The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/institutionesthe0001unse

INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ MORALIS
SPECIALIS

(TRACTATUS)
DE VIRTUTE RELIGIONIS
TOM. I.

AUCTORE

THOMA BOUQUILLON

S. THEOL. DOCT. ET IN ACADEMIA CATHOLICA INSULENSI
THEOL. MOR. PROFESSORE.

WITHDRAWN

240
B765 I
v. 1

240
B765i
v. 1

LIBRARY FRANCISCAN MONASTERY
3140 Meramec Street.
ST. LOUIS, MO.

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.

BRUGIS
BEYAERT-STORIE, EDITOR.

RATISBONÆ	PARISIIS	LONDINI	INSULIS
apud Pustet	apud P. Lethielleux 4 *rue Cassette.*	Burns & Oates *Paternoster Row*	apud Bergès, *rue Royale.*

1880

(TOUS DROITS RÉSERVÉS)

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

IMPRIMATUR

Brugis, 29 Septembris 1880.

† J. J. Episc. Brugen.

4096 D

TRACTATUS
DE VIRTUTE RELIGIONIS
TOM. I.

24,975

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

PROŒMIUM.

DE SIGNIFICATIONE VOCIS.

Nomine *religionis* proprie significatur

1. Vox latina *religio* (1), vel alia quæcumque pro variis idiomatibus æquivalens, semper proprie ac principaliter usurpata est ad exprimendum *specialem ordinem ad Deum*, scilicet *officium Creatori ex parte creaturæ debitum*.

vel complexus relationum hominis ad Deum,

2. Et quidem in sensu latissimo *religio* objective comprehendit tum dogmata, præcepta, instituta quibus constant hominis relationes ad Deum, tum societatem hominum in aliquam cultus formam coeuntium: ita loqui solemus de religione vera et falsa, naturali et revelata, judaica et christiana seu catholica. Eodem vero sensu subjective considerata *religio* comprehendit adimpletionem omnium obligationum in conscientia; quo referri possunt verba S. Jacobi, I, 26, 27: *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Cfr. S. Thomas 2. 2. q. 81, a. 8.

vel omnis cultus sacer,

3. In sensu minus lato vocabulum *religio* significat omnem cultum sacrum, et comprehendit universos

(1) De hujus vocis etymologia legi possunt, si vacat, Tullius lib. 2 *De Natura Deorum*, Lactantius, *Div. Inst.* lib. 4, c. 28, S. Augustinus, *De Civitate Dei*, lib 10, c. 3, *De Vera Religione*, n. 111, *Retract.* lib. 1, c. 13, n. 9, S. Hieronymus, *In Amos IX*, 6, S. Isidorus, lib. 10 *Etym.* n. 234. Cfr. S. Th. 2. 2. q. 81, a. 1.

actus quibus Deo, et creaturis quæ ad Deum peculiarem respectum habent, scilicet sanctis, reliquiis, imaginibus, etc., adorationem, reverentiam et honorem præstamus. Hoc sensu loquitur S. Augustinus, *Contra Faustum*, lib. 20, c. 21. « Populus autem christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur. » Hinc etiam singularis ritus et cæremonia aliquando vocatur religio, v. g. Ex. XII, 26, 27 : *Et cum dixerint filii vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est.*

vel cultus divinus,

4. Stricte autem nomine *religionis* designatur cultus soli Deo debitus; in quo sensu religio subjective sumpta definitur : virtus quædam moralis quæ hominem inclinat ad exhibendum debitum cultum et honorem Deo tamquam omnium Creatori ac Domino. Cfr. S. Thomas 2. 2. q. 81, a. 1 ; q. 103, a. 3, etc.

vel institutum in quo tenditur ad perfectum Dei servitium;

5. Tandem antonomastice *religio* dicitur institutum et societas eorum qui ad perfectissimum Dei servitium tendunt, non solum præcepta observando sed etiam consilia sequendo. Ita S. Thomas 2. 2. q. 186, a. 1 : « Id quod communiter multis convenit antonomastice attribuitur ei cui per excellentiam convenit..... Religio autem est quædam virtus per quam aliquis ad Dei servitium et cultum aliquid exhibet. Et ideo antonomastice religiosi dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes. Unde Gregorius dicit super Ezechielem : « Sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant ; sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant. » In hoc autem perfectio hominis consistit, quod totaliter Deo inhæreat, et secundum hoc religio perfectionis statum nominat. » Cfr. cl. J. Didiot, *L'état religieux*, Ch. 1, ubi docte æque ac eleganter doctrina Angelici exponitur.

improprie vero

6. Cum hac modo descripta significatione propria

connexæ sunt quædam significationes impropriæ quibus *religio* dicitur vel ipsa lex, vel anxia cura, sollicitudo, scrupulus ac timor conscientiæ in obligatione adimplenda, quomodo dicere solemus aliquid religioni nobis esse, nos aliis religionem injicere, etc. Cfr. S. Thomas 2. 2. q. 81, a. 1 ad 2, ac præsertim Suarez, *De Religione*, tom. 1, lib, 1, c. 1, n. 9 et 10.

eodem nomine significatur lex, conscientiæ scrupulus, etc.

7. Jam nostro tempore eo dementiæ a quibusdam deventum est, ut apud ipsos avita et universaliter recepta religionis notio videatur periisse; si enim non paucos audias eorum qui religionum philosophiam, ut aiunt, exponere contendunt, religio tandem nihil aliud erit quam vel infiniti perceptio, vel cognitio eorum quæ experientiæ non subjacent, vel aliquid absurdius (1). Vere ipsis applicari debent

Notio religionis hodie a rationalistis perversa.

(1) Ita v g. scribit Herbert Spencer: « A l'avenir comme maintenant, l'esprit humain s'occupera non-seulement des phénomènes constatés, mais aussi de quelque chose qu'on ne constate pas et qu'impliquent les phénomènes et leurs relations. Il en résulte que, si la connaissance ne peut monopoliser la conscience, si l'esprit a toujours la possibilité de porter son attention sur ce qui dépasse la connaissance, il y aura toujours place pour la religion, puisque la religion, sous toutes ses formes, se distingue de toutes les autres croyances en ce qu'elle prend pour objet ce qui dépasse la sphère de l'expérience. » Et rursus: « Si nous laissons de côté le code moral qui accompagne toute religion, et qui dans tous les cas n'est qu'un produit supplémentaire, une croyance religieuse peut se définir une théorie *a priori* de l'univers. Les faits qui nous enveloppent étant donnés, on suppose un pouvoir, qui, dans l'opinion de ceux qui y croient, rend compte des faits. Le plus grossier fétichisme, qui suppose derrière chaque phénomène l'existence d'une personnalité distincte, le polythéisme, dans lequel ces personnalités subissent un commencement de généralisation, le monothéisme, où cette généralisation devient complète, et aussi le panthéisme, où la personnalité généralisée s'identifie avec les phenomènes, toutes ces formes religieuses nous offrent une hypothèse, qui, à ce que l'on croit. fait comprendre l'univers. Bien plus, le système que l'on regarde comme la négation de toute religion, l'athéisme positif, rentre dans la définition; car l'athéisme lui-même, en affirmant que l'espace existe par soi, ainsi que la matière et le mouvement, et en les considérant comme une

verba S. Pauli ad Rom. I, 21. 22: « *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt.*

Partitio materiæ.

8. In præsenti opere, de religione agemus non quatenus sumitur in sensu stricto pro solo cultu divino, sed quatenus comprehendit etiam cultum sanctorum. Est enim posterior hic cultus veluti appendix et complementum prioris; sicut namque cultus sanctorum mediate refertur in Deum, ita cultus Dei sponte sua in sanctos redundat, utpote ejus amicos et familiares, et uterque iisdem principiis regitur, ac fere iisdem actibus, cæremoniis et ritibus exercetur. Materiam autem absolvemus tribus libris, quorum primus erit de religione in genere spectata, secundus de præcipuis actibus religionis in particulari, tertius de peccatis religioni oppositis. Scimus quidem ea, quæ pertinent ad cultum sacrum in genere spectatum, jamdiu a theologis explicari post tractatum de *Incarnatione;* verum nobis persuasum est hanc esse propriam sedem hujus argumenti, adeoque illud nobis revocamus, præsertim cum ad plenam et perfectam rerum intelligentiam, ejus cognitio prorsus sit necessaria.

cause adéquate de tout phénomène, propose une théorie *a priori*, d'où, à ce qu'il croit, on peut déduire tous les faits. » *Les premiers principes*, 1re partie, c. I & II, traduit par Cazelles, Cfr. Max Müller, *La Science de la Religion*, c. I, De Hartmann, *Philosophie de l'Inconscient*, tome I, deuxième partie, c. 9, etc.

LIBER I.

DE RELIGIONE IN GENERE SPECTATA.

9. In explicanda hac materia religionis eum fere ordinem sequemur quem tenuimus agendo de virtutibus theologicis; nimirum prius inquiremus de religionis *essentia*, deinde adstruemus ejus *necessitatem*.

PARS I.

DE ESSENTIA RELIGIONIS.

10. Essentiam religionis declarabimus tractando tum de religionis *exercitio*, tum de *virtute* religionis.

CAPUT I.

De exercitio Religionis.

11. Quum religio aliud non sit nisi *exhibitio cultus sacri*, ante omnia evolvi debet genuina cultus sacri notio, postea vero exponendæ sunt præcipuæ ejus species.

ARTICULUS I.

De notione cultus sacri.

Cultus religiosus est nota submissionis ad agnitam excellentiam sacram;

12. *Cultus*, seu adoratio, reverentia, veneratio, a S. Joanne Damasceno, *or.* 3 *De imaginibus*, n. 26, recte dicitur « subjectionis argumentum, hoc est, demissionis et humiliationis. » Definiri autem potest, juxta notionem generalissimam, *nota submissionis ad agnitam excellentiam alterius*. Cfr. Card. Franzelin, *De Verbo Incarnato*, th. 45. Est autem cultus mere *politicus* et *civilis*, si exhibeatur creaturæ

qua tali; *religiosus* autem et *sacer* est, si exhibeatur Deo aut creaturæ specialem ad Deum relationem habenti. Cfr. Martin, *De Matr.* præv. not., ubi accurate explicatur quid per nomen *sacri* intelligendum sit.

duplex elementum complectitur,

13. Itaque cultus religiosus non consistit in sola demissione propria, nec in sola testificatione excellentiæ Dei, sed utrumque illud elementum simul complectitur. Hinc actus religionis proprie dictæ ex una parte differt a sensu humilitatis, ex altera vero ab honoratione et laude; quod post Lessium, *De Virt. Mor.* lib. 2, c. 36, n. 5, egregie ostendit J. De Lugo, *De Incarn.* disp. 33, s. 1, n. 1, et *De Just. et Jure*, disp. 14, s. 1, n. 3. Cultus enim comprehendit honorem, non tamen vicissim honor importat cultum, siquidem cultus supra honorem addit significationem subjectionis. Similiter cultus religiosus differt a fide, ab amore, a pœnitentia, ab obedientia; quamvis enim illi actus fortasse possint a religione imperari, eam tamen, saltem per se, non constituunt, siquidem non continent notam submissionis. Cfr. J. De Lugo, *De Incarn.* l. c. s. 2, n. 24. Hinc parum accurate nonnulli *præcipuam* rationem cultus videntur reponere vel in charitate, vel in observatione mandatorum, vel in imitatione virtutum B. M. V. et sanctorum (1).

(1) Mira confusione de hac re loquitur quidam *spiritualista* modernus: « L'essence de la réligion, ait ipse, n'est pas le surnaturel, la croyance aux miracles, mais « l'amour de Dieu et des hommes. » C'est là toute la loi, suivant J.-C.; et pourquoi serions-nous plus exigeants que lui-même? Et que doit-on entendre par là?

» L'amour de Dieu est un sentiment complexe, qui doit être analysé: il comprend 1° un élément métaphysique; 2° un élément moral.

» 1° Métaphysiquement l'amour de Dieu est le sentiment de l'infini, le besoin de se rattacher à l'absolu, à l'éternel, à l'immuable, au vrai en soi, à l'être, en un mot.

« 2° Voilà l'élément métaphysique de la religion: en voici l'élément moral. Dieu n'apparaît pas seulement à l'âme humaine, comme infini, immense, inépuisable, éternel. Elle le veut plus près d'elle; et dans sa hardiesse respectueuse, elle l'appelle le *Père*... L'essence de la religion est donc la croyance à la bonté de Dieu. » *La Morale*,

14. Cultus autem religiosus plures supponit actus, quorum primus est *cognitio* excellentiæ illius qui adorandus est; secundus, *submissio* voluntatis propter agnitam hanc excellentiam; tertius, *intentio* exhibendi aliquam notam submissionis; quartus, ipsa *exhibitio notæ*, quæcumque illa sit. Tres priores sunt actus prævii, quarto solo cultus formaliter habetur. Cfr. J. De Lugo, *De Incarn.* l. c. n. 11 et 12.

cognitionem et volitionem supponit,

15. Jam vero testificatio illa submissionis fieri potest per actus internos et per actus externos, dummodo illi actus ex se vel ex institutione ad hunc finem aptitudinem et proportionem habeant. Hujusmodi sunt, inter actus internos, oratio et votum; inter externos vero, prostratio, genuflexio, inclinatio, sacrificium, etc.; ubi advertendum est, plerosque ex illis actibus, quia materialiter sumpti submissionem tantum in genere significant, communes esse omnibus speciebus cultus sacri, et locum habere etiam in cultu falso aut mere civili. Cfr. S. Thomas 2. 2. q. 84. a. 1; et Sylvius in h. l. Porro disputant theologi utrum actus omnium virtutum, præsertim actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, misericordiæ, ita possint a religione imperari, ut veram cultus rationem exinde acquirant; affirmat Suarez, *De Incarn.* disp. 51, s. 2 et *De Religione*, tom. 1, lib. 1, c. 8, n. 3 et 4; negat autem J. De Lugo, *De Incarn.* l. c.

et exercetur per actus internos et externos.

16. Ex dictis apparet, cultum religiosum procedere a voluntate per rationis lumen directa; adeoque tribui non posse nescio cui affectui cæco, nec etiam facultati alicui speciali, quæ sit vel supra rationem (1), vel ipsi quasi parallela (2). Sicut autem religio ortum habet

Cultus religiosus oritur ex legitimo usu rationis.

par Paul Janet, membre de l'Institut, professeur à la faculté des lettres de Paris, liv. 3, c. 12.

(1) Inter alios, D. de Quatrefages, in opere *L'espèce humaine* docet hominem ab aliis animalibus differre non intellectu et ratione, sed duplici alia facultate, scilicet *moralitate* et *religiositate*.

(2) Ita v. g. Max Müller: « Lorsque nous disons que c'est la re-

ex legitimo rationis usu (1), ita humano generi propria est, et necessario apud omnes gentes sub aliqua

ligion qui distingue l'homme de l'animal, nous n'entendons pas seulement les religions chrétienne et juive, nous ne songeons à aucune religion particulière, mais bien à certaine faculté de l'esprit, à cette faculté qui indépendamment, que dis-je? en dépit *du bon sens et de la raison*, rend l'homme capable de saisir l'infini sous des noms divers, sous des formes différentes. Sans cette faculté, aucune religion — non pas même le culte le plus grossier des idoles et des fétiches, — ne serait possible, et pour peu que nous prêtions une oreille attentive, nous entendrons sortir de toutes les religions comme une aspiration vers le monde de l'esprit, comme un soupir vers l'infini, comme un cri d'amour vers Dieu.... Ce qui fait l'essence de l'homme, c'est cette faculté dont seul il est doué de lever ses regards vers le Ciel, c'est ce privilége qui lui est départi d'aspirer à quelque chose, que ni les sens *ni la raison* ne peuvent lui fournir.

» Si donc il y a une école philosophique qui étudie les conditions de la perception sensible, s'il y en a une autre qui examine spécialement les conditions de la conception rationnelle, il y a évidemment place pour une troisième étude, étude qui aurait pour objet les conditions où s'exerce cette troisième faculté de l'homme, indépendante des sens et de la raison... » *La Science de la Religion*, c. I, trad. de Dietz.

(1) Sic recentissimus quidam somniator originem religionis et philosophiæ deducit ex *mysticismo*, quo nomine intelligere videtur veri intuitionem : « Il n'est pas étonnant que, du moment où la philosophie et la religion se séparent, elles nient toutes deux leur origine humaine et mystique. La première cherche à présenter ses résultats comme des conquêtes de la réflexion, la seconde comme des révélations positives de la divinité. Tant que le mystique s'en tient à ses croyances sans chercher à les démontrer par le raisonnement, il n'est pas encore philosophe; il ne le devient que le jour où il rétablit la réflexion dans ses droits. Mais il ne fait cela qu'après avoir donné la préférence à la pensée rationnelle sur la pensée mystique. Aussi est-il disposé alors à nier, à oublier l'origine mystique de ses croyances ; et le mystère de leur apparition lui rend cela facile. Si, au contraire, le mystique méprise la réflexion, et est porté par sa nature à traduire ses idées sous les formes de de l'imagination, il donnera à ses croyances une expression imagée, symbolique, qui n'aura toujours qu'un rapport accidentel et imparfait à son idée. Si lui-même ou ses disciples se montrent incapables de saisir l'idée cachée derrière le symbole, et prennent ce dernier pour la vérité, ils cessent d'être mystiques pour devenir religieux. Comme ils ne peuvent plus alors renouveler en eux-mêmes la création mystique à laquelle est dû le symbole, et comme ce der-

forma existit (1), siquidem cognitio Dei supremi Domini unicuique obvia est: *Vani* enim *sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.* Sap. XIII, 1.

17. Cultus religiosus *naturalis* vel *supernaturalis* intelligi potest. Cultus *naturalis* est qui solis naturæ viribus exercetur, Deo, auctori naturæ et domino, tribuitur, naturali rationis lumine dirigitur, et quoad formam externam ac publicam naturali auctoritate determinatur. *Supernaturalis* autem cultus est qui ab homine exercetur gratia prævento et adjuto, tribuitur Deo, præsertim quatenus auctori gratiæ, lumine fidei dirigitur, et quoad formam publicam et externam determinatus est vel ab ipso Deo vel ab auctoritate supernaturali Ecclesiæ. Cfr. Suarez, *De rel.* tom. 1, lib. 2, c. 1, n. 5.

Distinctio cultus religiosi naturalis et supernaturalis,

18. Cultus naturalis ordini naturali respondet; cultus vero supernaturalis respondet ordini supernaturali vel potius ejus pars est; prioris character est ut sit *servilis;* posterioris, ut sit *filialis,* nam eam *charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* 1 Jo. III, 1; cfr. Rom. VIII, 16, Eph. I, 5, Gal. IV, 4, 5, 1 Pet. I, 4. Cum autem homo in ordine naturali nunquam extiterit, sequitur, cultum mere naturalem nunquam fuisse verum, et plene Deo acceptum ac sufficientem. Advertendum

et mutua relatio unius ad alterum.

nier ne comporte pas une explication rationnelle, ils font appel à l'autorité de l'inventeur du symbole pour en établir la vérité. Mais l'autorite d'un homme paraît trop petite pour de si grandes choses, et d'ailleurs l'inventeur lui-même s'est déjà présenté comme en communication avec Dieu: la vérité des symboles est donc rapportée à l'autorité divine. C'est ainsi que se forment les symboles qui constituent le contenu dogmatique de toute religion.... » *Philosophie de l'inconscient,* loco supra cit.

(1) Nullum hucusque repertum fuisse populum absque sensu religioso, jam ultro viri docti fatentur; cfr. de Quatrefages, *Revue des cours scientifiques,* 6 Juin 1868. Aliunde eumdem sensum religiosum apud bruta animalia etiam reperiri ridiculo prorsus argumento ostendere conatus est Darwin, in libro cui titulus: *De la descendance de l'homme,* tr. Moulinié, tom. I, p. 70.

autem hic est, cultum naturalem supernaturali non opponi nec ab eo excludi, sed potius ei substerni et in eo comprehendi; nam generatim ordo supernaturalis non destruit sed perficit naturalem, et, juxta modum loquendi biblicum, ordo supernaturalis ad naturalem se habet sicut arbor naturali germini relicta ad arborem insitione nobilitatam. Rom. XI, 17, 24; cfr. Kleutgen, *Die Theol. der Vorzeit*, III B, § 658, 659. Jam pulcherrime scripserat S. Thomas, 1 p. q. 62, a. 7, ad 1: « Imperfectio naturæ non opponitur perfectioni beatitudinis, sed substernitur ei, sicut imperfectio potentiæ substernitur perfectioni formæ. Et non tollitur potentia per formam, sed tollitur privatio, quæ opponitur formæ. Et similiter etiam imperfectio cognitionis naturalis non opponitur perfectioni cognitionis gloriæ. » Advertendum præterea est, quando ritus aliqui legitima auctoritate ad cultum sacrum sunt determinati, jam alios, licet per se et in actu primo ad hunc finem apti sint, amplius adhiberi non posse. Cfr. Franzelin, *De SS. Missæ sacrificio*, th. 2. Unde intelligitur qua ratione responderi debeat iis qui asserunt quamcumque cultus formam Deo gratam esse et acceptam. Imprimis scilicet non quævis forma cultus decens est et conformis rectæ rationi; deinde non quævis forma cultus, etsi per se conveniens sit, de facto admissa est; non potest autem placere Deo ritus qui vel legi naturali repugnat, vel non exercetur juxta modum legitime præscriptum.

ARTICULUS II.

De præcipuis cultus sacri speciebus.

19. In omni cultu considerari possunt *objectum materiale*, seu ens cui defertur, *objectum formale*, seu excellentia propter quam tribuitur, *actus* quo exercetur, tandem *persona* quæ eum alteri reddit. Pro

diverso autem modo quo illa elementa in ipso reperiuntur, cultus sacer supernaturalis distinguitur in *supremum* et *subordinatum*, in *absolutum* et *relativum*, in *internum* et *externum*, in *privatum* et *publicum*.

§ I.

De cultu supremo et subordinato.

Cultus religiosus supremus ille est qui tribuitur Deo, subordinatus qui tribuitur creaturæ.

20. Cultus *supremus* ille est qui *Deo* tribuitur propter suam excellentiam supernaturalem, *increatam* et infinitam. Cultus *subordinatus* ille est qui tribuitur *creaturæ* propter excellentiam supernaturalem *participatam*, quæ consistit sive in sanctitate et gloria, sive in munere et dignitate, puta apostolatus, pontificatus, sacerdotii. Iste autem cultus subordinatus iterum subdividitur in duplicem speciem, prout tribuitur creaturæ propter excellentiam participatam *prorsus singularem*, vel creaturæ tribuitur propter excellentiam participatam *communem:* prioris speciei est cultus B. M. V.; posterioris est cultus cæterorum sanctorum.

Usu ecclesiastico antiquissimo,

21. Apud Hebræos et Latinos nulla, apud Græcos sola vox composita Θεοσεβεια divinum cultum ex primitiva institutione exclusive designat; jamdiu tamen usu ecclesiastico *Latriæ* nomen cultui Dei, *Duliæ* vero cultui creaturarum, maxime in cœlis degentium, proprium factum est. Hunc usum testatur et approbat S. Augustinus, *De Civitate Dei*, lib. 10, c. 1, n. 2: « Hic est enim divinitati, vel, si expressius dicendum sit, deitati debitus cultus, propter quem uno verbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit latinum, græco, ubi necesse est, insinuo quid velim dicere; λατρειαν quippe nostri, ubicumque sanctarum Scriptuarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus (Eph. VI, 5) servos dominis subditos esse debere, alio nomine græce nuncupari

solet : λατρεια vero secundum consuetudinem, qua locuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter ut pene semper, ea dicitur servitus quæ pertinet ad colendum Deum. » Idem, *Contra Faustum*, lib. 20, c. 21, postquam colendos esse martyres religioso quodam cultu docuit, de altero, qui soli Deo convenit, ita disserit : « At vero illo cultu qui græce latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo. » Eodem modo S. Joannes Damascenus, *or.* 3 *De imag.* n. 41 ; cfr. Petavius, *De Inc.* lib 15, c. 2, Thomassinus, *De Inc.* lib. 11, c. 1, Bellarminus, de *Beat. et Can. Sanct.* lib. 1, c. 12.

non sine fundamento usus biblici, cultus supremus dicitur *latria*, subordinatus vero *dulia* ;

22. Porro usus ille ecclesiasticus fundamentum habet in usu biblico : in Novo enim Testamento vox λατρεια non adhibetur nisi de cultu divino, dum cæteræ voces indifferenter usurpantur ad quemcumque cultum significandum ; in Veteri autem Testamento, ubi sermo est de cultu soli Deo debito, vox hebræa a Septuaginta Interpretibus reddita est λατρεια, Deut. VI, 3. Unde ex hoc loco ita arguebat Anastasius, episc. Theopolitanus, prout refertur act. IV synodi secundæ Nicænæ : « Et nemo offendatur adorationis significatione : adoramus enim homines et angelos sanctos ; non tamen servimus illis : *Dominum enim*, inquit Moyses, *Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Et vide, quomodo in eo quidem quod dixit *servies*, præposuit *soli ;* in eo vero quod ait *adorabis*, nequaquam ; itaque adorare quidem licet, honoris enim signum est adoratio, servire autem nequaquam. » Imo apud Patres græcos et etiam apud

latinos verbum ipsum adorare, προσκυνειν, eamdem aliquando restrictam significationem habet quæ convenit nostro *adorer;* sic S. Athanasius in *epistola ad Adelphium,* n. 3: « Rem creatam non adoramus; absit! » et S. Basilius præfecto Valenti, ad arianam hæresim sequendam minis et hortationibus instiganti, respondit: « Nullam rem creatam adorare sustineo, cum sim ipse creatura Dei et Deus esse jubear. » Cfr. S. Gregorius Nazianzenus, *or.* 43, n. 48. S. Cyrillus quoque sæpius προσκυνειν scribit ad significandam adorationem quæ soli convenit Deo, et creaturæ interdicitur, v. g. *De recta fide ad Theodosium,* n. 32, et sæpius in libris contra Nestorium. Demum S. Hieronymus, *Contra Vigilant.* n. 5: « Quis enim, o insanum caput, aliquando martyres adoravit, quis hominem putavit Deum? »

23. Quidquid vero de hoc sit, nullus vir cordatus Ecclesiam reprehendet quod ad designandas duas cultus species omnino diversas et quæ immenso intervallo a se invicem discrepant, specialia vocabula adaptaverit, præsertim cum in hac materia sedulo caveri debeat omne periculum æquivocationis.

recte etiam postea cultus B. V. vocatus est *hyperdulia.*

24. Ex eodem principio recte postea ad exprimendam singularem ac præstantissimam duliam, quæ debetur B. V., eamque a dulia communi distinguendam, in scholis adhiberi cœpit et mox in universa Ecclesia admissum fuit nomen *hyperdulia.* Ita S. Bonaventura, in 3, dist. 9, a. 1, q. 3: « Beatissima virgo Maria pura creatura est, et ideo ad honorem et cultum latriæ non ascendit. Sed quoniam excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius puræ creaturæ convenire non potest, ideo, non tantum debetur ei honor duliæ, sed hyperduliæ. Hoc autem nomen est, quod virgo existens, Dei mater est. Quod quidem ita tantæ dignitatis est, quod non solum viatores sed et comprehensores, non solum homines verum etiam angeli eam revereantur quadam prærogativa speciali. Ex hoc

enim quod Dei mater est, prælata est cæteris creaturis, et eam præ cæteris decens est honorare et venerari. Hic autem honor consuevit a magistris *hyperdulia* vocari, et accipitur verbum illud de glossa super 1 *Reg.*, ubi dicitur dulia major et dulia minor. »

§ II.

De cultu absoluto et relativo.

Cultus absolutus est ille qui alicui tribuitur propter excellentiam ei inhærentem,

25. Cultus *absolutus* ille est qui alicui tribuitur propter excellentiam ipsi insitam. Triplici autem modo potest alicui inesse excellentia propter quam colitur. Aliquando enim est unum et idem cum ipso: sic Deus est is qui adoratur et est ipsa infinita perfectio propter quam adoratur. Aliquando excellentia inest objecto cultus tamquam ejus forma, ut est sanctitas, sapientia in creatis spiritibus. Tandem aliquando objectum terminans adorationem est aliquid substantialiter unitum tamquam pars vel per modum partis alteri propter se et ratione suæ formalis excellentiæ colendo; hac in hypothesi, illud substantialiter unitum est objectum directum quidem, sed *partiale*, objectum *in se*, non *propter se*, illius cultus, qui ad totum unum substantiale dirigitur; sic, dum colimus hominem propter sapientiam, una eademque veneratio dirigitur ad totum hominem, et in eo tamquam ad partem, etiam ad corpus, licet ratio formalis venerationis immediate afficiat animam, et ad corpus eatenus tantum pertineat, quatenus est elementum substantiale hominis colendi propter sapientiam. Cfr. Franzelin, *De Verbo Incarn.* th. 45.

relativus autem qui tribuitur propter excellentiam quæ est in altero supposito quocum prius relationem habet.

26. Cultus *relativus* ille dicitur qui alicui supposito exhibetur propter excellentiam quæ in ipso non est, sed tantum est in altero quocum extrinsecam relationem habet; hæc autem relatio consistit aliquando

in repræsentatione, aliquando in speciali conjunctione morali.

Vario modo uterque simul exercetur.

27. Potest quidem uno et eodem actu immediate et directe coli, tum cultu absoluto suppositum in quo est excellentia, tum cultu relativo et per accidens suppositum ad prius relationem habens: in hoc enim casu respicitur quasi aggregatum ex utroque. Cfr. J. De Lugo, *De Incarn.* disp. 36, s. 3. n. 27 et seqq., Franzelin, *De Verbo Incarn.* th. 45, etc. Potest etiam directe et immediate coli cultu relativo suppositum quod ad alium relationem habet, quin simul directe et immediate colatur cultu absoluto suppositum ad quod prius illud refertur; possum enim v. g. velle genuflectere coram imagine, vel ponere eam in loco eminentiori propter reverentiam debitam exemplari, absque eo quod per hunc actum velim in recto osculari exemplar aut genuflectere coram eo. Lugo, l. c. n. 28. Attamen non potest aliquod suppositum coli cultu relativo, nisi simul eodem actu, saltem indirecte et mediate, aliud suppositum, ad quod scilicet prius refertur, formaliter et non tantum arguitive colatur cultu absoluto. Sicut enim amor Joannis propter Petrum, patrem ejus, concipi nequit absque formali amore Petri, ita cultus v. g. legati propter regem concipi nequit absque formali veneratione regis; unde quemadmodum in primo exemplo Petrus vere dici potest amari in Joanne, sic in altero exemplo rex vere dici debet coli in suo legato. Cfr. Lugo, l. c. n. 29 et seqq.

28. Cultus relativus, prout terminatur ad suum objectum proprium, non consistit in solo actu externo, sed comprehendit etiam aliquem affectum internum, qui dici potest affectus *cujusdam* submissionis; dummodo bene retineatur submissionem illam omnino differre ab ea quæ significatur per cultum absolutum. Cfr. Lugo, l. c. n. 34 et seqq.

Cultus relativus inferior est absoluto

29. Jam ex dictis intelligitur, cultum relativum inferioris omnino ordinis esse præ cultu absoluto, et

sub hoc respectu negari posse esse verum cultum. Pertinet autem cultus relativus analogice et reductive ad ad eam speciem cultus qui debetur objecto ad quod refertur. Sic v. g. cultus exhibitus imaginibus sanctorum, non est proprie dulia, sed cultus inferior, qui dici potest dulia *secundaria, secundum quid, analogice* et *reductive;* similiter cultus exhibitus imaginibus Beatæ Virginis non est hyperdulia proprie dicta, sed hyperdulia analogice et secundum quid; denique cultus exhibitus imaginibus Christi Domini, non est latria vera et simpliciter, sed cultus sine comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam, ut imperfectum ad perfectum. Cfr. Bellarminus, *De Reliquiis et imaginibus Sanctorum*, c. 25; J. De Lugo *De Inc.* disp. 36, s. 5, n. 74, quamvis aliter loqui videatur S. Thomas, 3 p. q. 25, a. 3.

et tribui potest etiam rebus inanimatis.

30. Tandem ex natura utriusque cultus apparet, cultum absolutum tribui non posse nisi enti intellectuali cui soli aliquid debitum esse potest, dum cultus relativus tribui potest etiam rebus inanimatis. « Ratio est, inquit Lugo, quia religio, sive dulia, est ex illis virtutibus quæ sunt ad alium, et quæ constituuntur ut partes saltem potestativæ justitiæ; quare omnes actus harum virtutum debent habere hunc respectum intrinsecum et essentialem, et debent tendere ad solvendum id quod alicui naturæ intellectuali debetur ob suam excellentiam; neque enim potest esse virtus quæ sit pars subjectiva sive potestativa justitiæ, quæ non sit ad naturam intellectualem, quæ sola intelligitur per illam vocem *ad alium*, quæ ponitur in conceptu justitiæ; nec potest esse actus justitiæ ad lapidem vel lignum, ut constat, quia respectu illorum non possumus habere verum debitum; omnis ergo actus adorationis, sicut quilibet actus justitiæ, debet tendere ad solvendum alicui naturæ intellectuali id quod ei debemus: talis autem est actus quo colimus imaginem S. Petri, v, g.; cum enim sit actus adorationis et duliæ debet esse ad alterum; est quidem voluntas sol-

vendi S. Petro id quod ipsi debemus, propter ejus excellentiam et sanctitatem, propter quam debemus illi non solum submissionem et cultum circa ejus personam immediate, sed etiam circa ejus imaginem; volumus ergo reddere notam animi submissi et parati ac prompti ad cedendum imagini, quam notam debemus S. Petro; non enim debemus imagini cultum, sed S. Petro debemus cultum suæ imaginis; quare exhibentes hunc cultum, solvimus non imagini sed S. Petro quod ipsi debemus; et per consequens vere et proprie S. Petrum tunc adoramus, non quidem immediate in sua persona, sed mediate in sua imagine, hoc est, solvimus debitum quod illi debemus, cedendi illi etiam in rebus suis et in imagine sua; hoc est autem propriissime honorare ipsum S. Petrum: cum enim hic honor, qui exhibetur imagini, exhibeatur tamquam debitum S. Petro, consequens est quod exhibeatur tamquam honor ipsius S. Petri, cui debetur, seu tamquam redundans in honorem ipsius, quod est reddi tamquam honorem mediatum ipsius, et animo honorandi ipsum. » Disp. 36, s. 3, n. 30.

§ III.

De cultu interno et externo.

Cultus internus animo perficitur, externus actibus corporis consummatur.

31. Cultus *internus* ille dicitur qui in animo perficitur; *externus* vero ille est qui actibus corporis consummatur. Cultus externus ad internum se habet non solum per modum *signi*, quatenus illum manifestat, sed etiam per modum *effectus*, quatenus mentis affectiones, saltem si paulo graviores sint, correspondentes motus sensibiles producunt; imo et per modum *causæ*, quatenus nempe eædem animi affectiones ritibus, cæremoniis, aliisque hujusmodi, excitantur, adjuvantur et nutriuntur.

Cultus internus existere potest absque externo;

32. Cultus internus vere existere potest absque externo, seu, aliis verbis, completa essentia cultus invenitur sine ulla corporali manifestatione, per solam nempe mentalem submissionis significationem. Probatur hæc veritas tum præsertim ab auctoritate, quia in sacris litteris sæpe sermo fit de adoratione in spiritu, de adoratione et genuflexione cœlestium, etc.; tum etiam argumento a priori et ratione theologica, quia scilicet possibilis est locutio interna, ac proinde interna communicatio et nota submissionis. Cfr. J. De Lugo, *De Incarn.* disp. 33, s. 2, n. 19.

an autem externus sine interno consistat, non certo constat.

33. Communius quidem theologi censent cultum externum non consistere sine interno; adeoque illas cultus species non distingui adæquate et quasi partes quarum una alteram non contineat, sed distingui ut duo quorum unum sit sine addito, alterum cum addito et signo; nam, juxta ipsos, cultus externus, si ab interno non vivificetur, hypocrisis est et turpe mendacium. Contrarium tamen propugnare conatur J. De Lugo, cit. disp. 33, s. 2, n. 14: « Verius existimo, inquit, illam (adorationem mere externam) in rigore esse adorationem, quia participat totam adorationis definitionem, cum sit nota exterior submissionis internæ, et procedat a voluntate qua homo vult significare exterius se habere talem submissionem internam; quare, sicut propositio vocalis, qua aliquis dicit se esse jejunum, quando revera comedit, adhuc est propositio et locutio, quia procedit a voluntate significandi mentem internam, licet revera non sit tale judicium interius; sic genuflexio erit realiter adoratio in illo casu, quia ponitur ad significandam submissionem internam, licet revera ipsa non detur talis interna submissio. — Dices: ille actus exterior significat tunc submissionem internam, quæ tamen non datur, ut supponimus; ergo illud signum exterius non est verum, sed falsum, cum non significet rem sicuti est;

ergo non est vera adoratio sed falsa. Respondeo distinguendo: illud signum exterius non est verum, id est, non conformatur cum re significata, concedo; non est verum, id est, non participat vere rationem signi, nego. Sicuti si aliquis proferret propositionem vocalem falsam, tunc sane illa propositio vocalis esset vera propositio, id est, participaret vere rationem propositionis, non tamen esset propositio vera, id est, conformis cum suo objecto; similiter dico de adoratione illa, quæ quidem vere habet rationem signi, licet non habeat conformitatem cum objecto..... Ex quo obiter infero, illum, qui exterius adoraret idola sine animo interno, licet revera non esset infidelis, esse tamen vere adoratorem idoli, et per consequens, si lata esset censura in talem, illam incurrere; similiter illum qui ex pacto adorat dæmonem, etiam sine interna recognitione, etc. »

§ IV.

De cultu privato et publico.

Cultus privatus ille est qui in occulto vel coram paucis aut nomine proprio exercetur; publicus vero qui exercetur coram pluribus vel nomine societatis peragitur.

34. Cultus religiosus duplici sensu distinguitur in *privatum* et *publicum*. In primo sensu cultus ille dicitur privatus, qui licet externus esse possit, non tamen exhibetur coram aliis, vel saltem coram paucis tantum exhibetur. Hinc ex opposito cultus publicus ille dicitur qui palam et aperte et coram aliis sat multis exhibetur. In altero sensu cultus privatus ille dicitur qui nomine proprio alicui tribuitur; publicus autem ille qui alicui tribuitur nomine communitatis vel societatis; hujusmodi actus cultus publici sunt oblatio sacrificii, recitatio horarum per clericos, beneficiarios, religiosos, etc. Tales actus cultus publici suum valorem habent non tam ex persona per quam fiunt, quam ex persona pro qua seu cujus nomine fiunt.

CAPUT II.

De religionis virtute.

Existit habitus aliquis infusus,

35. Nomine *virtutis* religionis hic non intelligitur habitus aliquis acquisitus et naturalis, sed habitus supernaturalis, per se et quoad substantiam infusus, quo disponimur ad cultum sacrum præstandum in ordine supernaturali et relate ad finem nostrum supernaturalem.

quo justificati disponuntur ad Deum supernaturaliter colendum.

36. Jam vero existentia specialis habitus quo disponimur ad cultum supernaturalem *Deo* exhibendum, communiter admittitur a theologis, et demonstratur iisdem fere rationibus quibus evincitur dari virtutes morales per se infusas. Cfr. Suarez, *De Gratia*, lib. 6, c. 9, et *De Religione*, tom. 1, tr. 1, lib. 3, c. 1. n. 1. Hujusmodi autem habitus in se habet omnes notas veræ virtutis, prout facile demonstrat S. Thomas 2. 2, q. 81, a. 2, atque idcirco vocari debet virtus religionis.

Iste habitus ab aliis differt;

37. Virtus religionis distincta est ab omnibus aliis, nominatim a fide, spe, charitate, pœnitentia, obedientia, quia refertur ad actus specialis ac propriæ naturæ et moralitatis, quæ superius determinata est. Cfr. n. 13.

connumerari nequit cum virtutibus theologicis, sed pertinet ad virtutes morales,

38. Nec potest connumerari virtutibus theologicis, quia licet habeat Deum pro objecto *cui* cultus exhibetur, non tamen habet Deum pro objecto *quod* per actus religionis immediate attingitur. Cfr. S. Thomas 2. 2, q. 81, a 5, et Suarez, *De Religione*, tom. 1, tr. 1, lib 3, c. 3. Est ergo Religio virtus mere moralis. Inter virtutes autem morales, dicenda est pertinere ad *genus* justitiæ, si nomine justitiæ intelligamus complexum omnium virtutum quibus debitum aliis reddimus. Cfr. S. Thomas, 1. 2, q. 60, a. 3. Si autem nomine justitiæ intelligatur virtus qua alteri jus strictum redditur ad æqualitatem, dicendum est religionem

et reducitur ad virtutem justitiæ.

esse partem ejus *potentialem*, seu virtutem ei adnexam. Cfr. Suarez, l. c. c. 4, n. 10 et seqq.; item Theol. nostra Fund. n. 451.

Virtus religionis theologicis inferior sed cæteris moralibus præstantior.

39. Quod pertinet ad ejus dignitatem, est quidem religio evidenter inferior virtutibus theologicis, quarum actus Deum immediate attingunt, et constituunt fundamentum et consummationem vitæ supernaturalis, imo cum aliqua proportione respondent actibus beatificis visionis, amoris et fruitionis; attamen longe præstat cæteris virtutibus moralibus, idque tum ratione materiæ, tum ratione debiti, tum ratione finis. « Religio, ait S. Thomas, magis de propinquo accedit ad Deum quam aliæ virtutes morales, in quantum operatur ea quæ directe et immediate ordinantur in honorem divinum. Et ideo religio præeminet inter alias virtutes morales. » Cfr præsertim Suarez, l. c. c. 9.

Præter virtutem religionis admitti potest habitus infusus duliæ,

40. Religio probabilius est habitus unus et simplex, quo sufficienter disponimur ad omnes actus cultus *divini;* cfr. Suarez, l. c. c. 5; nihilominus multum verisimile est et satis communiter admissum eam non se extendere ad cultum absolutum sanctorum, adeoque præter ipsam infundi in nobis specialem habitum *duliæ*. De qua re ita disserit De Lugo, *De Inc.* disp. 35, s. 1, n. 23: « Ratio autem in hoc puncto solum potest esse congruentia aliqua; quia de facto habitus infusi ita dantur multi et distincti inter se, ut non multiplicentur sicut habitus acquisiti; habent enim majorem sphæram habitus infusi quam acquisiti; non tamen tantam quantam ipsæ potentiæ, sed cum aliqua restrictione, cujus, licet non possimus assignare aliquam mensuram et regulam indivisibilem et certam, possumus tamen probabiliter discurrere ex aliis habitibus infusis, quos scimus esse distinctos, quales sunt fides, spes et charitas; ut pariter opinemur distingui inter se et alios, quorum objecta ita distant, sicut objecta horum, plus minusve. Hæc autem regula prudenti judicio applicanda est,

ad decernendum de distinctione horum habituum in præsenti, licet nihil certum de his possimus dicere.»

et probabiliter etiam hyperduliæ.

41. Imo « tanta est Virginis excellentia, et tam peculiaris etiam dignitas, ut posset aliquis non immerito assignare peculiarem habitum ad eam venerandam, licet ad cæteros sanctos sufficiat idem habitus; quia Beata Virgo, sicut in gloria, sic etiam in veneratione constituit classem ab omnibus diversam et longe superiorem. » J. De Lugo, l. c. n. 36.

Ad virtutem religionis refertur donum pietatis.

42. Ad virtutem religionis refertur donum *pietatis*, vi cujus ex affectu quodam filiali cultum Deo, ut patri, exhibemus. Pulchre rem explicat S. Thomas 2, 2. q. 121, a. 1: « Dona Spiritus Sancti sunt quædam habituales animæ dispositiones, quibus est prompte mobilis a Spiritu Sancto. Inter cætera autem movet nos Spiritus Sanctus ad hoc quod affectum quemdam filialem habeamus ad Deum, secundum illud Rom. VIII, 15 : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Et quia ad pietatem proprie pertinet officium et cultum patri exhibere, consequens est quod pietas, secundum quam cultum et officium exhibemus Deo ut patri, per instinctum Spiritus Sancti, sit Spiritus Sancti donum. » Et rursus ad 3: « Dicendum quod, sicut per pietatem, quæ est virtus, exhibet homo officium et cultum, non solum patri carnali, sed etiam omnibus sanguine junctis, secundum quod pertinent ad patrem; ita etiam pietas, secundum quod est donum, non solum exhibet cultum et officium Deo, sed etiam omnibus hominibus, in quantum pertinent ad Deum. Et propter hoc ad ipsam pertinet honorare sanctos, non contradicere Scripturæ, sive intellectæ sive non intellectæ, sicut Augustinus dicit in 2 lib. *De Doct. Christ.* (cap. 7, circa princ.) »

43. Virtuti religionis et dono pietatis respondet secunda Beatitudo, *Beati mites,* vel quarta, *Beati*

qui esuriunt et sitiunt justitiam. Ita S. Thomas, l. c. q. 2: « In adaptatione beatitudinum ad dona duplex convenientia potest attendi; una quidem secundum rationem ordinis, quam videtur Augustinus fuisse secutus; unde primam beatitudinem attribuit infimo dono scilicet timoris, secundam autem, scilicet: *Beati mites*, attribuit pietati; et sic de aliis. Alia convenientia potest attendi secundum propriam rationem doni et beatitudinis: et secundum hoc oportet adaptare beatitudines donis secundum objecta et actus; et ita pietati magis responderet quarta et quinta beatitudo quam secunda; secunda tamen beatitudo habet aliquam convenientiam cum pietate, in quantum scilicet per mansuetudinem tolluntur impedimenta actuum pietatis. »

PARS II.

DE RELIGIONIS NECESSITATE.

44. Integram hanc materiam duplici capite explicabimus, agendo scilicet imprimis de necessitate cultus religiosi absoluti, postea de necessitate cultus relativi.

CAPUT I.

De necessitate cultus absoluti.

45. Seorsim hic considerandum habemus quæ et quanta sit necessitas tum cultus supremi tum cultus subordinati.

ARTICULUS I.

De necessitate cultus supremi.

46. Ostendemus cultum supremum deberi non solum Deo Uni et Trino, sed etiam Verbo Incarnato.

§ I.

De cultu Dei Unius et Trini.

Debetur cultus supremus,

47. *Evidens est, et semper ab omnibus sanæ mentis admissum, Deo deberi cultum supremum.* Deus enim, tum in ordine naturali tum in ordine supernaturali, est hominis principium primum, infinita majestas et ultimus finis; adeoque inter Deum et hominem habetur essentialis relatio dependentiæ totalis ex una parte, absoluti vero dominii ex altera; quidquid enim homo est et habet a Deo venit, et ab ejus liberalitate expectandum est illud omne quo indigemus. Jam vero homo ad Dei gloriam creatus hanc suam dependentiam theoretice et practice agnoscere tenetur; agnitio autem illa theoretica et practica cultum et religionem constituit. Inutile esset in re tam clara textus S. Scripturæ vel Patrum testimonia afferre; sufficiat in mentem revocare verba tum Christi Domini, Matth. IV, 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, tum S. Pauli ad Rom. I, 21, ubi inexcusabiles dicuntur illi qui, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Cæterum vix necesse est advertere cultum Deo a nobis exhiberi non propter ejus commodum, sed propter nostram utilitatem, et ut in ordine maneamus. Cfr. S. Thomas, 2. 2. q, 81, a. 6, ad 2, et ibid. a. 7, ubi pulcherrima hæc leguntur: « Deo reverentiam et honorem exhibemus non propter seipsum, quia ex seipso est gloria plenus, cui nihil a creatura adjici potest, sed propter nos, quia videlicet per hoc quod Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subjicitur; et in hoc ejus perfectio consistit; quælibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori; sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima, et aer per hoc quod illuminatur a sole. »

internus et externus,

48. *Non minus certum est Deo deberi cultum non so-*

lum internum sed etiam externum. Cultus autem externus necessarius intelligi debet tum *ratione cultus interni,* tum *ratione sui.* Necessarius est cultus externus ratione cultus interni, quia tanta est corpus inter et animam connexio, ut affectus et sensus interni suapte indole in corporeas actiones redundent, et vicissim signa et ritus postulent quibus excitentur et foveantur; cfr. s. Thomas, 2. 2. q. 81, a. 7; Suarez, in 3 p. disp. 73, s. 8 et *De Religione,* tom. 1, tr. 2. lib. I, c. 1, n. 9, etc. Necessarius deinde est cultus externus ratione sui, quia sicut homo totus a Deo dependet, ita homo totus hanc suam dependentiam Deo testificari tenetur, nimirum non solum mente sed etiam corpore; cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 83, a. 12, Suarez, l. c., Bellarminus, *De Sacr.* lib. 2, c. 31, etc. Huic autem veritati, quæ cæteroquin innumeris factis in Scriptura comprobatur, minime obstant sed potius mirifice favent verba Christi, Joan. IV, 20-24. Etenim a) Christus a muliere Samaritana non interrogatur de quocumque actu cultus, sed de actu speciali, et quidem de actu cultus externi, imo publici et solemnis, scilicet de sacrificio, siquidem de solo sacrificio dissidium erat inter Judæos et Samaritanos; cfr. Deut. XII, 5; verbum ergo *adorare,* ibi usurpatum, accipiendum est in hoc sensu restricto: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.* — Hinc *b*) in responsione Christi Domini de eodem actu cultus externi, publici et solemnis sermo est, adeoque nedum cultus externus excludatur, potius supponitur et approbatur, quod aliunde colligi potest ex Joan. II, 16; *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* — Porro *c*) de hoc speciali cultus publici actu Christus duo affirmat. Primum est, eum cultum in Novo Testamento exhibendum esse ubique terrarum, et non in uno loco tantum, adeoque dissidii causam inter Judæos et Samaritanos prorsus auferendam esse: *Mulier, crede mihi,*

quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Secundum est, illum cultum fore in spiritu et veritate, et consequenter dignum Deo, qui spiritus est: *Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* Possunt quidem ea verba diverso modo explicari, non tamen possunt intelligi de cultu mere interno ad exclusionem cultus externi, ut ex præcedentibus satis liquet; interpretatio magis fundata ea esse nobis videtur qua cultus Novi Testamenti dicitur in spiritu et veritate tum in oppositione ad cultum falsum et superstitiosum Samaritanorum, tum in oppositione etiam ad cultum Mosaïcum, qui, qua talis, erat carnalis et in umbra, non autem in spiritu et veritate; de quo argumento legendus omnino est Card. Franzelin, *De Sacr. in gen.* th. 2. Describitur scilicet cultus N. T. a sua parte potiori, eo fere modo quo etiam cognitio N. T. aliquando dicitur esse intrinseca, quin tamen per hoc significetur locum non esse extrinseco magisterio; ita v. g. Jer. XXXI, 31-34. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.... Et non docebit ultra vir proximum suum....* Et 1 Joan. II, 20 — 27: *Sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia.... Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos.* Cfr. Franzelin, *De Traditione et Scriptura*, th. 12. Verborum Christi Domini sensus illustrari potest prophetia Mal. I, 10, 11: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

privatus et publicus,

49. *Tandem indubitatum est deberi Deo cultum publicum.* Quum autem cultus religiosus duplici sensu dici possit publicus, tenendum est, cultum publicum utroque sensu intellectum necessarium esse. Sane imprimis necessarius est cultus coram aliis exhibitus; etenim nos omnes ejusdem patris filii, unius corporis membra sumus; quocirca Deo, ut patri communi, communem etiam reverentiam et subjectionem deferre, nosmetipsos vero invicem ædificare ac in virtutibus confirmare tenemur. Quæ obligatio iis præsertim temporibus urget quibus divina auctoritas theoretice et practice negatur. Cfr. Ill. ac Rev. D. Pie, *Instruction synodale sur la première constitution du concile du Vatican*, § 14. Porro verbis Christi, Matth. VI, 6, non cultus publicus rejicitur, sed tantum reprobatur hypocrisis et externa pietatis affectatio eorum qui videri volunt ab hominibus; hoc sensu dicitur: *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Deinde necessarius est cultus socialis; cum enim absoluta dependentia a Deo sit non solum in homine individuo et privato, sed etiam in societate, quatenus societas est formaliter et una quædam persona moralis, non minus cultus publicus totius societatis quam privatus singulorum jure naturæ postulatur. Quod optime explicavit Suarez, in 3 part. disp. 73, s. 4: « Natura humana postulat ut in unum corpus reipublicæ congregetur; hoc autem politicum corpus ad Dei cultum debet potissimum ordinari; ergo necesse est, ut non solum singuli privati colant Deum, sed etiam ut tota respublica per modum unius corporis cultum Deo exibeat. »

Deo Uni et Trino.

50. *Cultus supremus tribuitur vel Deo in se et absolute considerato abstrahendo a personis, vel tribus simul personis, vel uni personæ determinate, aliis non quidem exclusis, sed tamen non intentis.* Sicut autem ad Deum *Unum* colendum magnopere impel-

limur studio infinitarum ejus perfectionum et operationum ad extra, ita ad colendum Deum *Trinum* non parum pertrahimur, si « sedulo, pie et sobrie » quæramus aliquam intelligentiam vitæ divinæ internæ ejusque operationum ad intra. Omni sane attentione digna sunt quæ habet Ill. ac Rev. D. Pie in 3ª *Instructione synodali circa præcipuos errores nostri temporis*, præsertim § 7 et 8.

§ II.

De cultu Christi Domini.

Adorandus est Christus Dominus

51. *Cultus Deo proprius debetur Christo Domino*, quia est verus Deus. Luculenta sunt quæ de hac veritate in sacris litteris leguntur; v. g. Joan. V, 23, Rom. XIV, 10, 12, Eph. V, 5, Phil. II, 10, Heb. I, 6, 13, 2 Pet. III, 18, Apoc. XI, 15, XII, 10, XIV, 4, XX, 6, XXI, 23, XXII, 1, 3. In his scilicet aliisque locis similibus, *a*) unum dicitur esse regnum Dei et Christi, unusque thronus: *Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus. — Et omne maledictum non erit amplius; sed sedes Dei et Agni in illa erunt; et servi ejus servient illi. b*) Iidem sunt sacerdotes Dei et Christi, eædemque primitiæ: *In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi. — Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno. c*) Unde Christo defertur æqualis cum Patre adoratio et glorificatio in cœlo et in terra: *Sedenti in throno et Agno: Benedictio et honor, et gloria et potestas in sæcula sæculorum.* d) Ea autem omnia sibi Christus viveus vindicaverat, quando affirmaverat omne judicium a Patre datum esse Filio *ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Cfr. Franzelin, *De Verbo Incarnato*, th 5.

in quantum Deus et in quantum homo

52. *Est autem Christus supremo cultu colendus non solum in quantum est Deus sed etiam in quantum est*

homo. Homo enim ille est Verbum habens humanam naturam; Verbum autem adorandum est cultu supremo. Non est quidem humana natura ratio formalis cur Christus homo sit ita adorandus; sed humana natura est ratio qua ita adorandus Christus est homo. Sane in textibus Scripturæ supra citatis de Christo homine dicitur: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium et terrestrium et infernorum. — Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. 15, c. 4, Franzelin, *De Verbo Incarn.* th. 45.

una et eadem adoratione latriæ.

55. *Uno igitur et eodem supremo cultu latriæ colendus est Christus spectatus secundum naturam divinam et spectatus secundum naturam humanam;* hæc autem adoratio unica catholicorum, quæ Verbo defertur cum sua carne, differt tum ab adoratione unica Apollinaristarum et Eutychianorum, quæ deferebatur uni naturæ sive divinæ sive compositæ, tum ab unica adoratione Nestorianorum, quæ deferebatur duplici personæ et quæ revera moraliter tantum una erat. Huc pertinet anathematismus 8[us] S. Cyrilli: « Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo et conglorificandum et nuncupandum Deum, tamquam alterum cum altero (nam *cum* syllaba superadjecta hæc cogit intelligi), et non potius una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit. » Item can. 9[us] conc. œcum. V: « Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duæ adorationes introducuntur, separatim Verbo et separatim homini; vel si quis ad interemptionem carnis aut ad confusionem deitatis et humanitatis, aut unam naturam sive substantiam eorum, quæ convenerunt, falso dicens (τεραπευομενοσ), sic Christum adorat; sed non una adoratione Deum Verbum

incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit. » Eodem modo S. Joannes Damascenus, *De Fide orth.* lib. 3, c. 8: « Unus igitur Christus est, Deus perfectus et homo perfectus, quem adoramus cum Patre ac Spiritu unica adoratione cum ejus immaculata carne, nequaquam carni ipsius adorationem denegantes. Adoratur enim in una Verbi hypostasi, quæ hypostasis ei facta est. Neque tamen hoc agentes creaturæ servimus; non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam, et quatenus in unam personam unamque hypostasim Dei Verbi duæ illius naturæ reducuntur. » Cfr. Petavius, l. c. c. 3, ubi alia testimonia citantur.

Humanitas Christi latreutice adoratur conjuncta cum divinitate.

54. *Imo ipsa sanctissima humanitas, quatenus est natura Verbi, est objectum partiale quod latreutice adoratur et ad quod terminatur unus idemque cultus absolutus quo adoratur persona Christus.* Nam objectum integrum adorationis est hæc persona Christus, habens naturam humanam ut suam et sibi propriam; cultus autem qui defertur personæ pro objecto habet personam non solum secundum aliquid ejus, sed secundum omnia quæ ei substantialiter insunt, quamvis ratio formalis cur persona colatur sit solum secundum aliquid quod inest personæ. Sic colimus totam personam Pontificis veneratione sacra, quamvis ratio formalis hujus venerationis sacræ sit ejus dignitas supernaturalis. Ita Card. Franzelin, in sæpe citata thesi 45 *De Verbo Incarnato.* Digna sunt quæ retineantur verba S. Athanasii, *Contra Apollinarium,* lib. 1, n. 6: « At enim, dicitis, nos creaturam non adoramus. O stulti! Cur non cogitatis, corpus Domini etiam creatum, minime creaturæ propriam adorationem requirere? Quippe quod increati Verbi factum est corpus. Nam cujus est corpus, huic adhibetur adoratio. Quare, ut meretur, ac par est, adoratur, et divina afficitur adoratione. Deus enim est Verbum,

cujus proprium est corpus. » Et in *Epist. ad Adelphium*, n. 3: « Nos creaturam non adoramus, absit! Gentilium enim et Arianorum ejusmodi est error. Sed Dominum creaturæ, carnem factum, Dei Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per sese pars est creaturarum, tamen Dei corpus est facta. At neque corpus ejusmodi a Verbo dividentes, adoramus; neque Verbum adorare volentes, ipsum a carne removemus. Verum illud scientes, ut jam diximus, *Verbum caro factum est*, idem Verbum in carne existens Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: Recede a corpore ut te adorem. »

55. *Consentiunt omnes humanitatem Christi, si consideretur secundum se, vel separata a Verbo, vel præcisione facti a Verbo, non posse coli cultu latriæ*, si quidem objectum formale talis cultus sit sola divinitas. Quum autem quidam Janseniani catholicis imputarent adorationem humanitatis seorsum spectatæ, hæc calumnia a Sancta Sede propulsa est per damnationem propositionis 61^ae^ Pistoriensium: « Propositio quæ asserit adorare directe humanitatem, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ; — quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur; — ex concilio Constantinopolitano V generali, can. 9, falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa. » *Ex altera tamen parte, si humanitas Christi consideretur cogitatione nostra tamquam præcisa a*

Si tamen consideretur ut separata a Verbo cultu latriæ coli non potest,

neque, probabilius, cultu hyperduliæ.

Verbo, non videtur posse coli cultu hyperduliæ vel duliæ. Hanc doctrinam contra Suarez egregie adstruit J. De Lugo, *De Incarn.* disp. 35, s. 3, n. 37 et seqq. « Licet revera possit concipi humanitas Christi prout præcisa a Verbo et ab unione, non tamen potest decenter adorari in illo statu præcisionis, in quo non est capax adorationis latriæ perfectæ, sed latriæ imperfectæ vel hyperduliæ, ut dictum est; omnis enim persona, quando decenter colitur, debet coli non quocumque sed meliori genere cultus, quem habere potest; sicut si aliquis simul sit rex, dux et comes, non potest decenter tractari ut comes, omissa adoratione et cultu quæ illi debetur ut regi; ergo cum humanitas Christi capax sit adorationis latriæ perfectæ, quando scilicet adoratur cum divinitate, ut dictum est, non tractatur nec colitur debito modo, ab illo qui præscindit humanitatem sine divinitate, ut eam inferiori aliquo cultu afficiat; sicut si regina haberet a rege titulum comitissæ sibi proprium, non coleretur debito modo ab eo, qui præscinderet a regia dignitate, et daret illi titulum debitum solum comitissæ. ... Ratio a priori hujus indecentiæ est, quod cultus, quem alicui exhibemus, est significatio distantiæ, quam profitemur esse inter nostram dignitatem et illius cui exhibetur; quare quo major et excellentior est cultus, eo majorem fatemur distantiam nostræ conditionis ab eo qui colitur; et quo minor etiam est et inferior cultus, eo minorem significamus esse illam distantiam et inæqualitatem, eoque magis nos æquare volumus illi, quem colimus. »

Singulæ partes humanitatis Christi cultu latriæ colendæ;

56. *Sicut autem tota humanitas Christi cultu latriæ colenda est, ita eodem cultu colendæ sunt singulæ partes humanitatis.* Ut autem intelligamus quare Ecclesia quasdam partes humanitatis Christi nostræ adorationi specialiter proponat, sequentia principia præ oculis haberi debent. a) Opera Dei ad extra, creatio sanctificatio etc. non constituunt motivum formale

cultus latriæ, sed divinam excellentiam nobis manifestant, simulque ad Deum adorandum nos impellunt; adeoque sunt *dispositiones* et *excitationes* ad cultum, eo fere modo quo divina beneficia sunt causæ disponentes et excitantes ad charitatem, licet non constituant objectum ejus formale; cfr. tract. *De Virt. Theol.* n. 405. — b) Jam vero inter omnia opera divina excellentissimum et sublimissimum est assumptio carnis a Verbo; unde humana Christi natura non solum est objectum partiale, quod cultu latriæ colitur, sed etiam nobis manifestat excellentiam Verbi, simulque nos excitat ad ejus cultum et adorationem: huc pertinent multiplices Scripturarum textus, v. g. Joan. I, 14, XVII, 5; 1 Tim. III, 16; Tit. III, 4; 1 Joan. I, 2, etc. *Verbum caro factum est... et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. — Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne,... prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. — Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei. — Vita manifestata est... quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis.* — c) Porro sicut opera Dei ad extra sunt manifestatio excellentiæ divinæ et excitatio ad Deum adorandum, ita operationes Christi deiviriles sunt ipsius excellentiæ argumentum, et excitatio ad Verbum incarnatum colendum; consequenter, quemadmodum Deum specialiter colimus ut creatorem, sanctificatorem, etc., sic recte colimus Christum specialiter ut infantem, prædicantem, patientem, morientem, resurgentem, etc; in singulis enim mysteriis vitæ suæ, a nativitate usque ad secundum ipsius adventum, Deus incarnatus adorabilis est. — d) Præterea, sicut integra humanitas assumpta manifestatio est excellentiæ Verbi, ita in hac humanitate illæ præsertim partes vim manifestationis habent quæ fuerunt vel instrumentum vel symbolum eorum, quæ pro nobis Deus incarnatus egit et passus

specialiter tamen adorationi nostræ ab Ecclesia proponuntur

est ac nostram redemptionem absolvit; eæ autem sunt partes quas Ecclesia specialiter nostræ adorationi proponit; non enim minus rationabiliter directe respici possunt singulæ partes humanitatis sanctissimæ, quam singularia aliqua mysteria Incarnationis. Cfr. Card. Franzelin, citata thesi 45 *De Verbo Incarnato,* omnino legendus.

sacratissimum Cor Jesu,

57. Jam vero principium et causa omnium eorum quæ pro nobis egit et passus est Christus Dominus, æterna illa charitas est qua nos dilexit usque in finem; charitatis autem symbolum, apud omnes gentes receptum, est *cor*, eo ferme modo quo caput habetur tamquam symbolum intelligentiæ. Hinc legitime omnino ab Ecclesia approbatus est cultus sacratissimi Cordis Jesu. Hujus scilicet cultus, prout in Ecclesia catholica viget, duplex est materiale objectum partiale, et ex utroque unicum constat objectum totale: quod jam breviter explicatur.

58. Imprimis *objectum materiale hujus cultus est Cor Jesu physicum et carneum, non quidem Cor divisum ab humanitate, vel consideratum præcisione facta ab unione hypostatica, sed Cor vivum et animatum atque Verbo unitum hypostatice.* Hoc patet primo ex revelatione facta Beatæ Margaretæ Mariæ; Christus enim cor suum ipsi detegit monstravitque, et huic cultum adhiberi postulavit. — Idem patet secundo ex sensu eorum qui cultus sacratissimi Cordis approbationem a Sancta Sede rogaverunt; ita unus ex ipsis, Frigid. scilicet Castagnorius, in suo *Memoriali* ann. 1697: « Ad digne recolendam infinitam divini Redemptoris charitatem, atque ad excitandum amorem erga Christum Dominum, nobis verum ejus Cor materiale ac vivum proponitur, quo sane nec efficacius nec dignius objectum eligi potest. » — Patet tandem ex pluribus actis Summorum Pontificum, et nominatim ex damnatione propositionis 63* Pistoriensium, hisce verbis: « Item in eo quod

cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu latriæ; — quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione aut præcisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro: — captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa. »

59. Deinde *objectum materiale cultus sacratissimi Cordis Jesu est ipse Deus homo infinite nos amans, præsertim in sua passione et morte et in institutione SS. Eucharistiæ Sacramenti.* Hoc rursus constat primo ex revelatione facta Beatæ Margaretæ Mariæ; ipsi enim ostensum est cor tanto hominum amore succensum. — Constat secundo ex doctrina eorum qui primi cultum sacratissimi Cordis explicaverunt et ejus approbationem a Sede Apostolica efflagitarunt; ita v. g. P. Galliffet, in sua *Responsione* ann. 1726: « In festo Cordis Jesu, amor, quo Cor illud sanctissimum ardet, est objectum proximum festi, indivisum cum Corde ipso; adeo ut affirmari vere possit, amorem Christi erga homines in hoc festo propriissime ac immediate attingi. » — Constat tertio ex multis actis Sedis Apostolicæ; sic v. g. Pius VI, in epistola commonitoria ad episcopum Pistoriensem, ait substantiam devotionis SS. Cordis Jesu eo spectare ut, in symbolica Cordis imagine, immensam charitatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur.

60. Ex hoc autem duplici objecto materiali cultus, quodnam dici debeat principale et primarium, quæstio est minoris momenti; existimamus objectum principale esse Christum nos amantem, seu infinitum

ejus amorem, quamvis cultus et festum appellationem habeant a Corde carneo et physico.

61. Cultus sacratissimi Cordis Jesu semper quidem extitit saltem implicite et in confuso; nutu tamen divino factum est ut ea præcise ætate qua Christi bonitas et amor a secta Janseniana maxime impetebatur, idem cultus explicite et determinate proponeretur; ac tandem nostris diebus præcipue diffunderetur, quum jam a tam multis hominibus ipse Christus rejiciatur, et negetur ejus divinitas. Ita nempe disposuit benignitas Dei, qui, ut ait S. Augustinus, epist. 138, n. 5. *Ad Marcellinum*, « multo magis quam homo novit, quid cuique tempori accommodate adhibeatur, quid quando impertiat, addat, auferat, detrahat, augeat minuatve. » Cfr. præ cæteris Em. Franzelin, l. c. Em. Manning, *Les gloires du Sacré-Cœur*, Jungmann, *de Inc.* n. 265 et seqq. Nilles, *De rationibus festorum SS. Cordis Jesu, et purissimi Cordis Mariæ*, part. I, sect. 1.

ejus vulnera et sanguis.

62. Porro ea quæ diximus de cultu sacratissimi Cordis Jesu, servata proportione, applicari possunt et debent ad cultum *Vulnerum* Christi, pretiossimi ejus *Sanguinis*, etc. Sedulo autem hic tenendum est, in re tanti momenti non posse fideles privatæ uniuscujusque pietati et sensui relinqui, sed ab omnibus Ecclesiæ dirigentis vocem esse audiendam; secus nec pauca nec parva varii generis pericula essent timenda.

Cultus latriæ debetur Christo in statu sacramentali.

63. *Cultus supremus internus, externus et publicus Christo debetur non solum in statu connaturali, sed etiam prout latet in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sub speciebus panis et vini.* Est corollarium sponte sua realem præsentiam sequens, quodque Ecclesia doctrina et praxi sua constantissime agnovit. Præclarissima sunt quæ legimus in *Antirrhetico* 2 Theodori Studitæ, c. 31, in S. Ambrosii lib. 3 *De Spiritu sancto*, c. 11 n. 79, in hom. 82 (al. 83) SS. Chrysostomi *in Matth.*, n. 1, 4, 5, etc. Sufficiat attulisse verba S. Augustini

ps. 98 enarrantis, n. 9: « Converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est, quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. » Merito itaque concilium Trid. in can. 6 sessionis XIII sancivit: « Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento, Christum unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ etiam externo adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum; et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit. »

Adoratio tribuitur ipsi Sacramento,

64. *Cultus latriæ deferri debet ipsi sanctissimo Eucharistiæ Sacramento,* quod constat duplici elemento, uno invisibili scilicet corpore et sanguine Christi, altero sensibili, scilicet speciebus panis et vini. Ita concilium Viennense, in Clementina unica *De reliquiis et veneratione Sanctorum:* « O excellentissimum Sacramentum! o adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis et sinceris mentibus retinendum. » Et concilium Trid. sess. XIII, c. 5: « Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant; neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur institutum; nam illum

eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei;* quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur. » Hinc in liturgia canimus: « Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui. »

ita tamen ut diversimode terminetur ad corpus et sanguinem Christi, et ad species panis et vini.

65. Ita tamen intelligendus est cultus latriæ Eucharistiæ redditus, ut, quatenus terminatur ad Christum Dominum, sit absolutus, quatenus autem terminatur partialiter ad ipsas species, sit relativus et inferior. Quod si species illæ in se considerentur, possunt præcise et solæ in recto coli culto relativo, nempe propter Christum sub eis contentum. Coadorantur scilicet species tamquam Christo conjunctæ, sicut coadoratur thronus vel purpura quando adoratur princeps in throno sedens purpura indutus. Hinc de speciebus eucharisticis loqui non possumus eodem modo quo loquimur de humanitate Christi. Cfr. J. De Lugo, *de Inc.* disp. 36, s. 5, n. 72.

ARTICULUS II

De necessitate cultus subordinati.

66. Dicemus primum de cultu simplicis duliæ quæ sanctis communiter debetur, deinde de cultu hyperduliæ quæ soli debetur Beatæ Virgini Mariæ.

§ I.

De cultu sanctorum.

Cultus sanctorum nullomodo reprobatur in Sacris Litteris,

67. *Licitum non esse Angelis et Sanctis cultum religiosum tribuere mere subordinatum, inepte novatores conantur ostendere iis Scripturæ textibus quibus cultus supremus soli Deo asseritur debitus,* v. g. Deut. VI, 13, Is. XLII, 8, 1 Tim. I, 17, etc.: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. — Gloriam meam alteri non*

dabo. — Soli Deo honor et gloria. Quis enim adeo demens est, qui, edicente rege, ne se pro rege quisquam gerat, aut regio cultu atque honore affici patiatur, continuo putet nolle regem suis ut magistratibus ullus honor deferatur? Cfr. *Cat. rom.* p. 3, c. 2, n. 16.

68. *Similiter contra logicæ regulas iidem peccant, dum omnem cultum subordinatum proscriptum esse exinde concludunt quod vel aliqua cultus forma inconveniens reprobata fuerit, vel aliqua persona cultum sibi tributum ex speciali ratione recusaverit.* Sic v. g. nullam difficultatem facere possunt verba S. Pauli, ad Coloss. II, 18; nam ibi non agitur de quacumque religione Angelorum, sed de ea quæ opponitur religioni Christi, et qua efficitur ut non retineatur *caput*, scilicet Christus, *ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* Quod si Apoc. XIX, 10, XXII, 9, Angelus non permiserit se a Joanne adorari, ita probabilius egit ad contestandam observantiam suam erga tantum virum, natura quidem minorem, dignitate tamen apostolatus, sanctitate et gloria martyrii maximum; præsertim cum eo præcipue tempore S. Joannes per revelationem mysteriorum summo Dei favore cumulatus fuerit, ac munere legati divini functus.

sed potius verbis et factis commendatur.

69. *Nedum autem Sacræ Scripturæ cultum Sanctorum et Angelorum, modo vere subordinatus maneat et conveniens, prohibeant, potius eum verbis et factis luculenter approbant.* Huc imprimis pertinet Eccli. XLIV, ubi celebratio laudis Patrum et seminis eorum talis legitur quæ haberi nequeat tamquam mere profana, sed, tum ex magnificentia locutionis tum ex ratione donorum quæ celebrantur, religiosa omnino existimanda sit. Idem fere dici debet de commendatione fidei et actuum Patrum, quam sublimi sermone Apostolus prosequitur Hebr. XI. Præterea absque ulla specie improbationis, sed velut res omnino legitima et naturalis, narratur, Angelis, ut Dei legatis, tributum

fuisse cultum, qui profecto in his circumstantiis nonnisi religiosus intelligi potest. Sic v. g. Num. XXII, 31, Josue V, 14, 15, etc.: *Aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. — Sum princeps exercitus Domini et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum.* Demum *a fortiori* arguere possumus pro cultu Angelorum et Sanctorum ex iis quæ infra dicemus de cultu religioso viventium.

In veteri œconomia parcior erat,

70. *In veteri œconomia cultus Sanctorum parcior et magis limitatus esse debuit:* primo, quia animæ Sanctorum nondum perfecta beatitudine fruebantur; — secundo, quia ipse Mediator primarius et principalis non plene cognoscebatur; — tertio, quia populus Israeliticus ab omni periculo idololatriæ, cui valde pronus erat, arcendus erat.

sub nova œconomia semper viguit.

71. *In nova œconomia cultus religiosus Sanctorum ab initio viguit, et per totum orbem christianum exercebatur jam ante sæculum IV.* Id ostenditur quibusdam factis omnino luculentis et quæ de re ipsa dubitare non sinant. Scilicet a) a primis temporibus dies festi instituti sunt in martyrum honorem et memoriam, quod testantur *Epistola ecclesiæ Smyrnensis ad ecclesias Ponti, Acta S. Pionii,* et *Constitutiones apostolicæ*, lib. 8, c. 33. —Præterea b) in martyrum solemniis sacrificia Deo offerebantur in eorum honorem, prout videre licet apud Tertullianum, lib. *De Corona*, c. 3, et apud S. Cyprianum, *Epist.* 34, n. 3. — Insuper c) in martyrum honorem, altaria, templa, monumenta erigebantur; cfr. Eusebius, *Hist. eccles.* lib. 2, c. 25, ubi refertur insigne et notissimum fragmentum Caii presbyteri. — Tandem d) idem plene evincunt ea quæ infra dicemus de invocatione Sanctorum et de veneratione reliquiarum; invocatio enim Sanctorum est pars cultus eorum; in reliquiis autem ipsi Sancti coluntur. Itaque ad vindicandam praxim, et doctri-

nam Ecclesiæ, necesse non est Patrum, qui sæculo IV et deinceps floruerunt. testimonia singillatim recitare; legi possunt apud Bellarminum, Petavium, Thomassinum, Trombellium, Plazzam aliosque, qui de hac materia ex professo scripserunt. Nec necesse est uti argumento illo omnino efficaci, quo, posito facto cultus sanctorum universaliter sæculo IV vigentis, historice demonstratur eumdem cultum necessario extitisse sæculis præcedentibus, propter impossibilitatem talis innovationis et corruptionis.

Cultus Angelis et Sanctis in Ecclesia exhibitus semper fuit subordinatus;

72. *Cultus Angelis et Sanctis in Ecclesia exhibitus semper mere subordinatus fuit.* Hoc multiplici modo adstruunt Patres et scriptores ecclesiastici: a) dum negant a christianis cultum Angelis vel Sanctis tribui, intelligendo nempe cultum supremum, quem præ oculis habebant ethnici, et qui solus per excellentiam talis est, et eo nomine dignus; ita v. g. Origenes, *Contra Celsum*, lib. 5, n. 8, lib. 7, n. 62, coll. lib. 8, n. 13 et *In Ezech. hom.* 1, n. 7; — b) dum asserunt Sanctos non esse quidem adorandos, adoratione scilicet proprie dicta, bene tamen diligendos, honorandos, religiosa solemnitate celebrandos; ita v. g. S. Hieronymus, *Contra Vigilant.* n. 5, *Epist.* 109 *ad Riparium*, n. 1; S. Augustinus, *Serm.* 273, n. 3, *De Vera religione*, n. 108 et 110, coll. *Contra Faustum*, lib. 20, c. 21, etc.; — c) dum affirmant se nullum cultum Sanctis deferre qui in eis sistat, et qui in Deum non transeat; ita v. g. Theodoretus, *Græcarum affect. curatio. serm.* 8, *de martyribus;* — d) dum practice inculcant cultum Sanctorum tunc Deo gratum esse quando conjunctus est cum vita vere honesta et virtutum exercitio; — e) dum tandem aiunt Sanctos mortuos eodem cultu honorari quo viventes prosequimur, quemadmodum loquitur S. Augustinus, *Contra Faustum*, lib. 20, c. 21. Præterea Ecclesia maxima semper cura studuit omnem superstitionem a cultu Angelorum et Sanctorum auferre, ut constat vel ex canone 35° synodi

Laodicenæ: « Quod non oporteat christianos Ecclesiam Dei relinquere, et ire, atque Angelos nominare, et congregationes facere; quæ interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ serviens, sit anathema, quia dereliquit Dominum Nostrum Jesum Christum Filium Dei, et se idololatriæ tradidit. » Cfr. supra. n. 68, et Theodoretus, *In epist. ad Coloss.*, ad verba: *Nemo vos seducat.* Ne autem prædictus canon in sensu protestantium intelligatur, omnino prohibet ejusdem synodi canon 51[us]: « Quod non oporteat in quadragesima Martyrum natalitia celebrari; sed eorum sancta commemoratio in diebus sabbatorum et dominicorum fieri consuevit. »

absolutus tamen est,

73. *Cultus Sanctorum redundat quidem in cultum divinum*, quia excellentia, propter quam tribuitur, a Deo, omnis perfectionis fonte, derivata est; *est tamen hic cultus vere absolutus*, quia prædicta excellentia Sanctis inhæret: consistit enim in donis gratiæ et gloriæ, in amicitia Dei, in conjunctione cum Deo, etc. Rem optime explicavit J. De Lugo, *De Incarn.* disp. 33, s. 1, n. 8—12: « Licet ratio formalis, ob quam colitur sanctus, sit amicitia quam habet cum Deo, et hæc dicat respectum ad Deum, non tamen adoratur (sanctus) propter ipsam Dei excellentiam nec mediate nec immediate, sed propter aliquid quod habet ordinem ad Deum, sistendo tamen in ipsa sanctitate creata, ut in ultima ratione formali.... Fateor, quando adoratur sanctus præcise quia Deo carus et amicus est, adorari quidem *arguitive* ipsum Deum, quo sensu plures Patres adducti a Suarez... dicunt tunc etiam Deum adorari; formaliter tamen non adoratur tunc Deus. Imo non videtur mihi impossibile, quod adoretur explicite sanctus, et negetur adoratio ipsi Deo. Sicut nec videtur impossibile quod aliquis diligatur quia amicus regis est, et tamen odio habeatur ipse rex;

quia possum ego esse male affectus in regem, ob damnum, quod ab ipso merito forsan accepi, et tamen cognoscere bonum esse habere gratiam apud regem et diligere eum quem video gratum regi. » Utrum autem etiam cultus relativus latriæ secundum quid Sanctis tribui possit, sic ibidem explicatur: « Si solum considerentur ut sunt Dei templa quædam, ubi Deus peculiariter habitat, vel quædam Dei imagines, quæ magis ad vivum exprimunt Dei bonitatem, possunt sane, ut sic, coli adoratione latriæ respectivæ, quæ tamen vitanda est, juxta doctrinam S. Thomæ, ne detur aliquis errori locus. »

74. *Cultus religiosus publicus iis solis tribui potest qui ab ecclesiastica auctoritate canonizati vel beatificati fuerunt, beatificatione nimirum formali aut saltem æquipollenti.* Ita decernitur in c. *Audivimus, De reliq. et venerat. SS.:* « Cum, etiamsi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis pro sancto absque auctoritate romanæ Ecclesiæ eum publice venerari. » *Cultus autem privatus iis omnibus licite tribuitur qui cum opinione et fama sanctitatis defuncti sunt, licet nondum beatificati vel canonizati fuerint.* Hic autem quædam adverti debent. Imprimis advertendum est, in præsenti materia, cultum publicum eum non intelligi qui exhibetur coram aliis, sed eum qui exhibetur nomine Ecclesiæ, et per actus qui ab ipsa instituti sunt, eique proprii remanent. Cfr. Matthæucci, *Practica theologo-canonica*, quæst. proœmialis, n. 24, et Benedictus XIV, *De Beat. et Canoniz. SS.* lib. 2, c. 7, n. 5; horum actuum præcipui sunt: erectio altarium in alicujus honorem, ejus commemoratio in divinis officiis, missæ celebratio, invocatio in litaniis, imaginum retentio in altari, earumque pictura cum laureolis, votivarum tabellarum suspensio, etc. Cfr. Benedictus XIV, op. cit. lib. 2, c. 8—14, ubi late et docte de his inquiritur. — Advertendum secundo, cultum publicum

et potest esse publicus

vel privatus;

canonizatorum præstare cultui publico beatorum, ex triplici præsertim capite, nempe quatenus est magis necessarius, magis amplus quoad ritus et cæremonias, magis extensus quoad loca; cultus enim beatorum est *permissus*, dum cultus canonizatorum est *impositus;* cultus beatorum est *localis*, cultus canonizatorum *universalis*, cultus beatorum est minus *solemnis* quam cultus canonizatorum, quum v. g. horum non vero illorum reliquiæ in processionibus deferri possint. Cfr. Benedictus XIV, *De Beat. et Canonizat. SS.* lib. 1, c. 37—40. — Denique advertendum est, ut cultus permissivus etiam publicus sit ab omni superstitione immunis, non requiri quod habeatur certitudo absoluta, per judicium infallibile, de sanctitate illius qui colitur, sed satis esse quod habeatur certitudo moralis; cfr. Benedictus XIV, *op. cit.*, lib. 1, c. 42, n. 13 et seqq.; et Thomassinus, *De Incarn.* lib. II, c. 11, n. 12, quæ doctrina non minimi momenti est ut, ex una parte, vitentur quædam æquivocationes, ex altera vero, facile respondeatur nonnullis calumniis protestantium adversus cultum Sanctorum.

aliquomodo obligatorius dici debet.

75. *Cultus Sanctorum non solum licitus et pius dicendus est, sed etiam necessarius.* Obligatio autem illa potest existere *per se*, nempe ratione præcepti specialis Ecclesiæ; secluso tamen speciali præcepto, prædicta obligatio non videtur urgere nisi per accidens, ratione scilicet circumstantiarum, in quibus honoris omissio injuriam contineret, v. g. quando sancti reliquiæ solemniter in processione deferuntur, etc.

Cultus religiosus tribui potest personis etiam viventibus.

76. *Cultus aliquis religiosus licite tribuitur personis adhuc viventibus.* Et quidem hujusmodi cultus *publicus* tribui potest et debet iis personis quæ insignitæ sunt charactere vel munere supernaturali, quales sunt Romanus Pontifex, Episcopi, sacerdotes; et iste cultus multiplici modo exhibetur, v. g. in a-

ctionibus liturgicis. Præterea cultus *privatus* laudabiliter tribuitur iis personis quæ vel eximiis virtutibus præstant, vel charismatum dono ornantur. Cujus cultus exempla non pauca leguntur in Sacris Litteris, v. g. 3 Reg. XVIII, 7, 4 Reg. II, 15, IV, 37 etc. : *Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait: Num tu es, domine mi, Elias? — Videntes filii prophetarum, qui erant in Jericho e contra, dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram. — Corruit ad pedes ejus, et adoravit super terram: tulitque filium suum, et egressa est.* Hinc S. Athanasius, in lib. *De Virginitate*, n. 22: « Si ingressus fuerit vir justus in domum tuam, cum timore et tremore occurres ipsi, et procides humi, ad pedes ejus adorans. » His autem minime obstat quod ipsi sancti, exemplo S. Petri, Act. X, 25, 26, honorem sibi tributum præ modestia recusare soleant, eumque cum Angelo Ap. XIX, Deo soli referendum declarent.

§ II.

De cultu Beatæ Virginis Mariæ.

77. *Cum Beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solum veneratio duliæ, eminentius tamen quam cæteris creaturis, in quantum ipsa est mater Dei: et ideo dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia.* Ita scribit S. Thomas, 3 p. q. 25, a. 5. Competit scilicet Beatæ Virgini cultus subordinatus omnino singularis, quia ei inest excellentia participata ordinis prorsus specialis. Et quidem a) fundamentaliter et essentialiter hæc excellentia consistit in *dignitate Matris Dei;* imprimis enim, ratione hujus maternitatis divinæ, est inter Mariam et Verbum In-

Beatæ Virgini tribui debet cultus duliæ excellentioris,

propter ejus divinam maternitatem,

carnatum intima conjunctio naturalisque cognatio, siquidem Maria Deo homini suppeditaverit illud omne quod unusquisque nostrum matri suæ debet; deinde, ratione ejusdem maternitatis, est mirabilis quædam relatio Mariæ ad *Deum Patrem*, generantem ab æterno, secundum divinitatem, eumdem quem ipsa in tempore genuit secundum humanitatem, et ad *Spiritum sanctum*, cujus ipse Filius Virginis est, secundum divinitatem, principium, et, secundum humanitatem, fructus atque effectus. Cfr. S. Bernardus, *Hom. 3 in Missus est*, n. 4. Ex quibus facile intelligitur, Beatam Virginem, ex eo quod sit Mater Dei, ad dignitatem aliquo sensu infinitam evectam esse. Cfr. Albertus M. *in Mariali super Missus est*, q. 97, et S. Th. 1 p. q. 25, a. 6, ad 4. — b) Maternitas divina annumeranda est inter gratias gratis datas, et pertinet ad ordinem unionis hypostaticæ, quam intrinsece respicit et cum qua necessariam habet connexionem; atque ideo si physice et in se spectetur non est ipsa formaliter sanctificatio matris, quamvis dici debeat sanctificationis illius radix et ratio. Dignitati videlicet Matris Dei connaturaliter re-

plenitudinem gratiæ,

spondet *plenitudo gratiæ* ipsi collatæ. Quod S. Thomas exinde ostendit quod « quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii.... Christus autem est principium gratiæ secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter.... Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo præ cæteris majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere. » — c) Cum divina maternitate connexæ

singulares prærogativas,

sunt singulares illæ *prærogativæ*, quibus Beata Virgo ornata est, nempe immunitas a peccato originali, immunitas a fomite concupiscentiæ, immunitas ab omni peccato personali, etiam veniali, immu-

nitas a quocumque detrimento virginitatis, tandem immunitas non quidem a morte ipsa, sed a mortis et sepulchri corruptione. — d) Hinc etiam *virtutes* splendidissimæ, sublimaque *merita*, quibus omnes homines, beatos simul omnes spiritus Virgo Deipara longissime superavit. — e) Præterea in maternitate divina quasi includitur Beatæ Virginis ad opera *incarnationis* Verbi, nostræque *redemptionis* et *sanctificationis* concursus, non solum *physicus*, quatenus Deum hominem, redemptorem et bonorum supernaturalium largitorem nobis dedit, sed etiam *moralis*, quatenus *voluntarie* Mater Dei facta est, et quasi consensum præbuit nomine generis humani in desponsationem Verbi cum humana natura; cfr. S. Thomas 3 p. q. 30, a. 1; — quatenus deinde Christo *cumpassa* est, Filiumque suum dilectissimum Deo Patri pro nobis obtulit; cfr S. Antoninus *Summa theol.* p. 4, tit. 15, c. 20, § 11; — quatenus demum Beata Virgo nunc in cœlo est constituta uberrimus gratiarum aquæductus, gratiarum thesauraria et dispensatrix, nostraque apud Christum Mediatorem principalem mediatrix, secundaria quidem, alios tamen mediatores secundarios longissime præcellens universalitate, efficacia et titulo. — f) Quia Mater Dei, ideo Beata Virgo est Regina cœli et Domina mundi, superexaltata super choros omnes Angelorum, ita ut, juxta verbum S. Anselmi, « nihil sit æquale Maria, nihil nisi Deus majus Maria. » Hinc nonnisi absurdissime cultus B. V. haberetur tamquam mere relativus, atque ideo jure damnata ab Alexandro VIII hæc auctoris *Monitorum salutarium* propositio: « Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est. »

virtutes et merita,

munera

et gloriam;

78. *Cultus religiosus hyperduliæ Beatæ Virgini constanter in Ecclesia tributus est, primis etiam sæculis, et nominatim ante hæresim Nestorianam Ephesinamque synodum.* Demonstratur hæc veritas a) ex

hujusmodi cultus semper in Ecclesia viguit.

vetustissimis imaginibus quæ Beatam Virginem exhibent honore et dignitate alios sanctos excellentem; cfr. P. Allard, *La Rome souterraine*, liv. 4, ch. 5, pag. 377—380, ubi in compendio referuntur ea omnia quæ recentius de hac materia præsertim a cl. de Rossi inventa sunt. — Demonstratur etiam hæc veritas b) ex antiquis liturgiis tum orientalibus, tum occidentalibus, in quarum formulis precatoriis Beata Virgo nunquam simpliciter connumeratur cum aliis sanctis, sed semper seorsim invocatur cum significatione principalioris et eminentioris dignitatis; cfr. Assemanus, *Codex liturg.*, tom. 5, pag. 45, Migne, *Patr. græc.* tom. 31, col. 1655, tom. 65, col. 901, tom. 77, col. 1295, *Patr. lat.*, tom. 78, col. 26, etc. — Demonstratur eadem veritas c) ex SS. Patrum testimoniis explicitis, v. g. Didymi Alex. *de Trin.* lib. 3, c. 4, ubi Maria dicitur summe præ omnibus honoranda, et S. Methodii, qui in *Serm. de Simeone et Anna*, n. 14, post multa encomia prorsus singularia, Virginem deprecatur omnium præstantissimam. Fatemur scriptores antiquiores parcius de Beata Virgine ejusque cultu locutos esse; at minime concedimus hujus silentii causam esse quod illi prædictum cultum non admiserint; sunt enim aliæ rationes propter quas non plura de hac materia dixerint: nempe, quia vigebat disciplina arcani sedulo hisce temporibus servanda, ne dogmata et ritus christianorum irrisioni et blasphemiis ethnicorum exponerentur; — deinde, quia agebatur de re non doctrinali sed potius practica, quæ usu satis tradebatur; — præsertim vero, quia nulla adhuc exorta erat controversia, adeoque nulla necessitas erat instantius prædicandi illam veritatem. Quum autem postea hæretici dignitatem Matris Dei et consequenter cultum ei debitum negaverunt, utrumque doctores catholici diserte, clare, unanimiter asseruerunt; quod factum per se jam sufficit ut historice ostendatur cultum

hyperduliæ Beatæ Virgini tributum esse etiam præteritis temporibus; attentis enim principiis quibus Ecclesia regebatur ac regitur, innovatio superstitiosa, in re tanti momenti, exorta non fuisset quin multi undique obstitissent. Nec ulla specialis difficultas desumi potest ex verbis S. Epiphanii, *Hær.* 79, n. 5, 6; ibi enim agnoscitur Mariam « selectum quoddam vas esse atque eximium, » eam « animo et corpore amplissimis donis fuisse ornatam, » ideoque maxime honorandam esse; negatur tantum, contra absurdam quamdam mulierculam sectam, Beatam Virginem adorandam esse latria quæ Deo propria est, et nulli creaturæ tribui potest, nequidem Angelis, qui tamen *natura* Mariæ superiores sunt. Porro cultui hyperduliæ in Ecclesia exhibito Mariæ prælusum est tum ab Angelo, quando eam salutavit gratia plenam, tum ab Elizabeth, quando exclamavit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Aliunde dignitas Beatæ Virginis in Evangelio minime tacetur, sed potius complete exprimitur iis formulis quibus dicitur de ea natum esse Jesum. Quod si in quibusdam circumstantiis ipse Christus Dominus Matris suæ dignitatem non magnificentius extulit, hoc conforme est illi œconomiæ qua totus fuit in asserenda sua divina filiatione, missione, auctoritate, atque in removendo a mentibus discipulorum cogitationes de carnali et temporali Messiæ regno et potestate. Hac animadversione facile explicantur illi textus quibus tam sæpe hæretici abusi fuerunt, v. g. Joan. II, 4, Matth. XII, 49, Luc. XI, 27: *Quid mihi, et tibi est, mulier? — Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei. — Quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.*

79. *Superioritas cultus Mariæ præ cultu cæterorum*

LIBRIS PROVINCIÆ
4. BIBLIOTH. THEOL.
S. S. CORDIS JESU.
24,975

Excellentia cultus hyperduliæ multiplici modo se manifestat.

Sanctorum interius consistit in sensu et significatione majoris submissionis, exterius autem multiplici modo se prodit. Ecclesia enim frequentius et instantius ad Beatam Virginem quam ad Sanctos et Angelos orat, orationi dominicæ salutationem angelicam adjungit, singulis diebus publicas preces illi offert in horis canonicis, a fidelibus ter salutari vult publice dato signo campanæ. Præterea, ad sanctissimam Virginem et Matrem singulariter colendam, præscripsit profundiorem capitis inclinationem, dum ipsius nomen invocatur, in sacris faciendam; plures dies festos illi habet dicatos, atque sodalitates pias sub ejus titulo erectas fovet, commendat, indulgentiisque copiosis ditat; plura templa, pluraque altaria Deo in ipsius honorem sunt ædificata atque erecta, etc. ita ut plene in Beata Virgine effectum habuerint verba ab eadem prolata: *Beatam me dicent omnes generationes.*

Cultus purissimi Cordis Mariæ.

80. *Ad præcipuum cultum Beatæ Virginis referri debet devotio erga purissimum ejus Cor;* cujus devotionis ratio facile intelligi potest ex iis quæ superius dicta sunt de cultu sacratissimi Cordis Jesu: eadem enim principia cum proportione applicari debent. Cfr. Nilles, op. cit. part. II.

Monitum Pii IX.

81. Abs re fortasse non erit, in fine præsentis quæstionis in memoriam revocare, Summum Pontificem Pium IX, occasione prohibitionis duplicis opusculi de purissimo sanguine Mariæ, mandasse, « per hujusmodi (prohibitionis) promulgationem monendos esse alios etiam scriptores, qui ingenia sua acuunt super iis aliisque id genus argumentis, quæ novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum, quod subest, pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata, et ansam præbendi religionis oso-

ribus ad detrahendum puritati doctrinæ catholicæ ac veræ pietati. »

CAPUT II.

De necessitate cultus relativi.

82. Cultus religiosus relativus præcipue tribuitur sacris reliquiis, sacris imaginibus et rebus sacris, de quibus singillatim agemus.

ARTICULUS I.

De cultu sacrarum reliquiarum.

Reliquiarum notio.

83. *Reliquiarum* nomine intelliguntur sensu stricliori et primario Sanctorum corpora, cineres, ossa, etc.; sensu autem latiori et secundario res omnes quæ cum Christo aut Sanctis *peculiarem* connexionem habuerunt, ac de se aptæ sunt ad *piam* eorumdem memoriam excitandam. Cfr. J. De Lugo, *De Incarn.* disp. 37, s. 1, n. 5, et s. 3, n. 34, et Martigny, *Dict. des antiquités chrétiennes, v° Reliques.*

Cultus reliquiarum rationi conformis est;

84. *Cultus reliquiarum rectæ rationi conformis est et humanæ inclinationi respondet;* fieri enim non potest ut quempiam, ob dotes, quibus fulget, aut gradum, quem obtinet, aut præclaram virtutem, qua excellit, honore et existimatione prosequamur, quin simul in pretio habeamus quæ ad eum spectant et ejus excitant recordationem. Cfr. Perrone, *De cultu Sanctorum,* c. 4, n. 91; et J. De Lugo, *de Incarn.* disp. 37, s. 2, n. 13. Ita S. Thomas, 3 p. q. 25, a. 6 : « Sicut Augustinus dicit, si paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi, tanto carius est posteris quanto erga parentes est major affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius quam quælibet indumenta gestamus: hæc enim ad

ipsam naturam hominis pertinent. Ex quo patet, quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ de ipso post mortem relinquuntur, veneratur, non solum corpus aut partes corporis ejus, sed etiam aliqua exteriora, puta vestes et similia. Manifestum est autem quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam membra Christi, Dei filios et amicos, et nostros intercessores. Et ideo eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus; et præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa et organa Spiritus Sancti in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde et ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat, in eorum præsentia miracula faciendo. »

sub antiquo fœdere non extitit, saltem in sua ratione formali et explicita;

85. *Quamvis sub antiquo fœdere Deus ipse non semel corpora prophetarum miraculis glorificaverit, v. g. 4 Reg. XIII*, 20, 21, *nec desint exempla specialis reverentiæ iisdem corporibus ab Hebræis exhibitæ, v. g. 4 Reg. XXIII*, 16-18, *tamen eo tempore non videtur formalis cultus reliquiarum communiter fuisse receptus;* hoc autem inde proveniebat, quod, ex una parte, corpus emortuum tum legaliter immundum erat; ex altera vero parte, nondum Christus Dominus morte sua et resurrectione mortem vicerat simul ac sanctificaverat, et futuram corporum resurrectionem præmonstraverat, nec animæ justorum perfecta felicitate jam fruebantur. His autem etiam explicatur cur Deus corpus Moysi absconderit; cfr. Deut. XXXIV, 6.

Scripturæ Novi Testamenti exhibent ejus vestigia et inchoationem;

86. *Scripturæ Novi Testamenti non continent quidem diserta testimonia quibus cultus reliquiarum vindicetur, hujus tamen cultus exhibent vestigia et inchoationem.* Huc referuntur v. g. Act. V, 15, XIX, 11, etc.: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur*

a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. Hinc videmus a) fideles tunc temporis maximo in pretio habuisse res quasdam ad illos spectantes, qui charismatum abundabant copia; b) eo usque hanc progressam esse venerationem, ut eas supernaturali quadam virtute censuerint præditas, non quidem ratione sui, sed ratione illius ad quem pertinuerant; c) per ejusmodi reliquias Deum mira contulisse beneficia; d) atque proinde authentico testimonio fideles confirmasse in pia illarum veneratione. Quibus minime obstant verba Christi Domini, Matth. XXIII, 29-32, et Luc. XI, 47, 48; ibi enim solum reprehenditur perversitas pharisæorum qui, dum monumenta prophetarum ædificarent, Jesum ipsum interficere conabantur; unde, attenta hujusmodi pessima animi dispositione, illa monumentorum ædificatio potius haberi debebat tamquam consensus in mala opera patrum, quam ut honor proprie dictus prophetarum. Cfr. Maldonatus in hh. ll. et J. De Lugo, *de Incarn.* disp. 37, s. 2, n. 14-18.

sub Novo Testamento semper fuit communis,

87. *Porro ab Ecclesiæ incunabulis cultus reliquiarum inter christianos omnino communis fuit.* Constat ex pluribus factis. a) Fideles summa cura martyrum ossa, sanguinem, etc. colligebant, prout videre licet in *Actis S. Ignatii, S. Cypriani, et S. Vincentii*, apud Ruinart *Acta martyrum sincera*, necnon in *Epistola ecclesiæ Smyrnensis*, apud Eusebium, *Hist. eccles.* lib. 4, c. 15; cujus sollicitudinis etiam testes sunt ipsi fidei christianæ hostes; hi enim martyrum cadavera, ne subducerentur et conservarentur, gladiatorum corporibus commiscebant, in amphiteatris feris, in aquis piscibus exponebant, ac ne quidpiam eorum superesset, eadem comburere, et cineres in ventum dispergere consueverunt: cfr. Trombelli, *De cultu Sanctorum*, diss. 7 et 8. — b) Eadem cura fideles

secernebant martyrum corpora a reliquorum christianorum exuviis, apponendo super eorum sepulcris palmæ effigiem, interdum vero piscis aut columbæ, una cum vasis vitreis seu ampullis plenis sanguine; cfr. Bosio, *Roma Sotterranea*, lib. I, c. 20, et lib. 3; Boldetti, *Osservazioni sopra i cimiteri de' santi martiri*, lib, 1, c. 38 et seqq; De Rossi, *Roma sotterranea*, tom. 3 pag. 618 et 707, etc; historia controversiarum quæ hac de re exortæ sunt, breviter enarratur a D. De l'Epinois, in opusc. *Les Catacombes romaines*, c. 18. — c) Porro Sanctorum corpora a christianis habebantur tamquam *thesauri inæstimabiles*, ipsisque erant *gemmis pretiosissimis cariora, et quovis auro puriora;* Cfr. *Acta S. Ignatii* et *Epist. eccl. Smyrn.* sup. cit. — d) Hinc super martyrum sepulchris erigebantur cubicula, memoriæ, altaria, etc., de quibus late scribit Baronius, ad ann. 226. — e) Pariter Deo in honorem Sanctorum super eorum reliquiis sacrificia offerebantur; cfr. Boldetti, op. cit. c. 10, et P. Allard, *Rome souterraine*, note E, pag. 554 et seqq. — f) Demum fideles magno studio sibi sepulturam comparabant prope Sanctorum et Martyrum reliquias. Cfr. P. Allard, op. cit. liv. 2, c. 3, et note D; Edm. Le Blant, *Inscript. chrét. de la Gaule*, tom. 1, pag. 432, tom. 2, pag. 607. — g) Ex his factum est ut inde a sæculo IV vix ullus ex Patribus sit qui cultum reliquiarum non extollat, explicet et vindicet; cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. 14, c. 11-13, ubi testimonia plurima referuntur; recte autem advertit doctissimus vir, prædictos Patres de cultu reliquiarum loqui non quasi exprimentes propriam ac personalem sententiam, nec tamquam de praxi noviter invecta, aut de usu peculiari et locali, sed potius quasi historice referentes sensum ipsius Ecclesiæ et morem ubique et perpetuo servatum. — h) His autem minime obstant ea quæ aliquando opponuntur, nempe

canon concilii Illiberritani 34[us], in quo reprobatur tantum abusus, cujuscumque speciei ille fuerit; vel textus S. Hieronymi, in cit. *epist. ad Riparium*, ubi solum negatur formam aliquam cultus tunc temporis fuisse admissam; vel factum quod reprehensum legitur apud S. Optatum, *De schism. Donat.* lib. 1, c. 16, quippe quod evidenter superstitiosum erat. — i) Cæterum illi, qui prædictum cultum impugnarunt, vel gentiles aut hæretici fuerunt, vel exinde tamquam hæretici habiti sunt; hujusmodi extiterunt Maximus Madaurensis, *Epist. ad S. August.* quæ est in collectione 16[a] vel 43[a], et Faustus manichæus, contra quem integrum opus habet idem Augustinus; item Ariani, et omnium deterrimi Arianorum Eunomiani, prout testatur S. Asterius in *Encomio sanctorum Martyrum;* Vigilantius etiam, de quo S. Hieronymus, *epist.* 109 vel 53 *ad Riparium;* et postea Claudius Taurinensis et Albigenses, quos tandem Lutherus cum suis protestantibus secutus est. Cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. 14, c. 14.

et multis miraculis confirmatus est.

88. *Sicut cultus reliquiarum constanter viguit in Ecclesia, ita idem cultus quavis ætate a Deo confirmatus est splendidis miraculis, quæ et SS. Patres et historiæ ecclesiasticæ scriptores unanimes narrant.* Ita v. g. Theodoretus, *Græc. affect. curatio.* serm. 8: « Quod vero compotes votorum fiant qui fideliter petunt (ad Sanctorum sepulcra) palam testantur illorum donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt, ex argento aurove confecta.... Hæc autem morborum depulsionem indicant, cui testandæ ab iis posita sunt, qui sanitatem receperunt; horum porro virtus Deum eorum verum esse testatur. » Et Isidorus Pelusiota, lib. 1, epist. 55: « Si te istud offendit, quod cinerem SS. Martyrum, propter eorum erga Deum charitatem atque constantiam honore afficiamus, eos, qui ab ipsis medicinam ac-

cipiunt, interroga, et quot morbis remedium afferant, intellige. Sic fiet ut non modo id, quod a nobis fit, non irrideas cavillisque incessas, verum etiam, quod recte et cum laude fit, imiteris. » Plura legi possunt apud Petavium, *De Incarn.* lib. 14, c, 13, Thomassinum, *De Incarn.* lib. 12, c. 4, aliosque. Protestantes quidem et moderni rationalistæ, quemadmodum olim gentiles et Ariani, ea facta rejiciunt; sed gratis, et in hujusmodi negatione non argumentis historicis, sed præjudiciis ducuntur, prout jam diu adverterat S. Ambrosius, *epist.* 22, n. 20: « Neque enim aliter eorum operibus inviderent, nisi fidem in his fuisse eam quam non habent, judicarent. »

Reliquiis exhibetur cultus relativus

89. *Cultus reliquiis exhibitus non potest esse nisi relativus;* nam nulla ipsis est excellentia intrinseca propter quam absolute colantur. Difficultas quibusdam orta est relate ad corpora Sanctorum, ex duplici capite, quia scilicet ea corpora nunc ad gloriosam resurrectionem ordinata sunt, et quia olim templa fuerunt Spiritus Sancti. At imprimis ordinatio corporis ad glorificationem non consistit in aliqua qualitate ipsis inhærente, sed est titulus mere extrinsecus proveniens ex præterita unione cum anima beata. Deinde, ut notat J. De Lugo, *De Incarn.* disp. XIV, s. 3, n. 49, « habitus vel qualitates supernaturales, si quæ dantur in corpore hominis grati, pereunt in morte, quia illæ omnes sunt passiones consequentes ex gratia habituali, nec possunt ab illa separari; manet autem in anima totus titulus ad illas recuperandas in resurrectione corporis, cum maneat ipsa gratia habitualis, quæ est unica radix et titulus dans jus ad illas. »

90. *De facto autem cultus in Ecclesia reliquiis exhibitus mere relativus semper fuit,* ut non semel authentice declaratum est, et facile colligi potest vel ex eo quod SS. Patres et scriptores vetustiores,

v. g. Clemens Alex. in *Protreptico adv. gentes*, Tertullianus, *De Idolol.* c. 13, Minutius Felix, *in Octav.* paganorum erga mortuos religionem irrideant, et consequenter eam diversæ prorsus rationis esse significent a cultu reliquiarum, quem eo tempore, communiter apud christianos viguisse factis luculentis ostendimus. Ethnici scilicet existimabant defunctorum animas circa sepulcra oberrare, vel dæmones sive genios ac deos esse, ac proinde eis tamquam numinibus templa extruebant; cfr. S. Augustinus, *De Civitate Dei*, lib. 9, c. 11.

latriæ, hyperduliæ vel duliæ secundum quid,

91. *Christi Domini reliquiis debetur cultus relativus latriæ secundum quid; reliquiis autem Beatæ Virginis et Sanctorum debetur cultus relativus sive hyperduliæ, sive duliæ secundum quid.* Inter reliquias Christi Domini præcipuæ sunt lignum crucis, corona, lancea, clavi, sacer cruor, de quibus omnibus multæ quæstiones sive historicæ, sive etiam dogmaticæ institui possent, quæ tamen ad nostram materiam non referuntur; cfr. Gretserus, *De cruce,* Rohault de Fleury, *Les instruments de la passion;* Ill. ac Rev. D. Malou, *Du culte du S Sang* etc. Porro superioritas cultus præstiti Christi reliquiis super cultum præstitum reliquiis Sanctorum multiplici modo ab Ecclesia observatur, dum prohibet, v. g., ne reliquiæ crucis veræ Domini Nostri promiscue cum reliquiis Sanctorum reponantur, dum jubet ut transeuntes ante crucis reliquiam super altari expositam genuflectant, etc. Cfr. *decreta* S. C. Ind. 22 Febr. 1847, et S. C. R. 18 Febr. 1843, etc. Advertendum denique est, cum reliquiis proprie dictis confundi non posse objecta contactu vel præsentia reliquiarum sacrata, quibus non competit nisi cultus relativus mediatus: huc pertinent sic dicta *Brandea* et *Olea*, de quibus loquitur S. Gregorius Magnus, lib. 5, epist. 30; cfr. Ch. Lupus, *De septima syn.* diss. c 3, Martigny, *Dictionnaire des antiqui-*

tés chrétiennes, v° Huiles saintes; et Paul Allard, *Rome souterraine*, Intr. deuxième partie, et liv. 3, c. 6.

publicus vel privatus.

92. Reliquiis eorum qui nec canonizati nec beatificati fuerunt, beatificatione saltem æquipollenti, tribui non potest nisi cultus privatus; reliquiis autem eorum qui vel canonizati vel beatificati fuerunt, cultus publicus, in dispari tamen gradu, tribui potest, dummodo fuerint ab episcopo recognitæ et approbatæ, juxta decreta conc. Later. IV, c. 62, et Trid. sess. 25.

Ut cultus reliquiarum sit prudens, sufficit certitudo moralis de earum authenticitate;

93. Ut cultus publicus reliquiarum sit vere prudens et ab omni superstitione immunis, requiritur moralis aliqua certitudo de earum authenticitate, non tamen necessaria est authenticitatis infallibilitas; adeoque legitimitati hujus cultus non officit quod inter multas illas reliquias, quas veneramur, fortasse nonnullæ reperiantur quæ non sunt veræ. Cfr. Benedictus XIV, *De Beat. et Canoniz. Sanctorum*, lib. 1, c. 42, et J. De Lugo, *De Incarn.* disp. 37, app. n. 46.

hæc certitudo moralis communiter habetur.

94. Cæterum, attenta constanti Ecclesiæ disciplina et sollicitudine in hac materia, generatim habetur moralis certitudo de veritate illarum reliquiarum quæ publice coluntur; quod si de una vel altera illarum in particulari dubium suboriatur serium, ab ejus expositione abstinendum est. Ut autem multis difficultatibus, cavillationibus et calumniis occurratur, sequentia præ oculis haberi possunt: a) quandoque decursu temporis confusio reliquiarum vel corporum plurium Sanctorum ejusdem nominis accidere potuit; — b) quandoque etiam reliquia alicujus Sancti, cujus nomen nesciebatur, coli potuit sub nomine alterius Sancti: — c) præterea nonnunquam factum est ut pro corpore integro, vel integra corporis parte, haberetur objectum confectum ad ejus similitudinem, et tantum in se continens veræ reli-

quiæ particulam; — d) similiter contigit ut ipsa reliquia crederetur illud quod non est nisi reliquiæ involucrum; — e) tandem fieri potuit ut pro reliquia fideles venerarentur objectum contactu reliquiæ sacratum; in quibus omnibus casibus manifestum est semper cultu relativo honorari rem sacram, non vero rem inanem et spuriam, quamvis subrepat erronea quædam confusio accidentalis. Cfr. *Dissertazioni del p. Anton. Maria Lupi, poste in luce da Franc. Antonio Zaccaria,* tom. 1, diss. 1, Jungmann, *De Verbo Incarn.* n. 590, Didiot, *Théologie des catacombes,* præsertim p. 2, etc.

95. Quod pertinet ad Ecclesiæ disciplinam circa reliquiarum cultum, præter monumenta superius citata, allegari possunt concilium Bracarense III, c. 5, Epaonense, can. 25, Cæsaraugustanum II, can. 2, concilium Parisiense, can. 2, apud Mansi, tom. 10 pag. 546, Moguntinum, ann. 813, can. 51, etc. Adeantur juris canonici interpretes in lib. 3 Decr. tit. 45 *De reliquiis et vener. Sanctorum*, nec non rerum liturgicarum expositores, v. g. De Herdt, tom. 2, n. 192, et *Revue des Sciences ecclésiastiques*, tom. 36, pag. 261 et 457.

ARTICULUS II.

De cultu sacrarum imaginum.

Imaginum notio.

96. *Imago* generatim dicitur personæ, rei, eventus, facti, per picturam, sculpturam, aliamve artem repræsentatio aut symbolum. Communi more loquendi, non idem est *imago* (εἰκων) quod idolum (εἰδωλον), licet origo utriusque vocis eumdem pene sensum exhibeat: idolum enim usu ecclesiastico est figura rei quæ vel simpliciter non est, vel saltem non est id quod significatur; usu autem profano est similitudo umbratilis, et apparens corporis spe-

cies; adeoque hoc nomen semper sumitur in deteriorem partem. Cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. 15, c. 6.

Usus imaginum conformis est rectæ rationi,

97. *Usus imaginum sacrarum omnino conformis est rectæ rationi, et respondet indoli atque exigentiæ cuidam humanæ naturæ.* Earum enim ope præsentes quasi nobis sistimus defunctos quos ceu parentes suspicimus, amamus et veneramur; præterea earumdem intuitu et contemplatione salutares veritates edocemur, simulque permovemur ad excitandos in nobis devotionis seu pietatis sensus. Apposite concilium Tridentinum, sess. 25: « Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis. Tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quæ a Christo sibi collata sunt, sed quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorum imitationem vitam moresque componant, excitenturque ad adorandum et diligendum Deum, et ad pietatem colendam »

non tamen omnino necessarius.

98. *Nihilominus imaginum usus non pertinet ad essentiam religionis, sed est de genere earum rerum quæ subjacent moderationi auctoritatis spiritualis;* quia, licet in se bonæ et utiles, possunt tamen aliquando, ratione specialium circumstantiarum, minus expedire; quo casu laudabiliter vel restringuntur, vel etiam prohibentur. Cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. 15, c. 13, n. 1.

Usus imaginum sub VeteroTestamento minus communis fuit, non tamen ab-

99. *Usus imaginum non videtur fuisse absolute prohibitus sub antiqua œconomia, quamvis fatendum sit eum tum minus communem extitisse, præsertim inter privatos.* Lege Mosaïca imagines absolute in-

terdictas fuisse apud Hebræos, pluribus in locis tradunt Philo et Josephus, quos secuti sunt nonnulli ex Patribus et scriptoribus ecclesiasticis, v. g. S. Justinus M. in *Dialogo cum Tryphone*, n. 94, Tertullianus, *De Idolol.* c. 3, fortasse Clemens Alex. lib. 5 *Stromatum* c. 5, S. Joannes Damascenus, *Orat.* 2 *De imaginibus* n. 7, etc; hanc etiam opinionem defenderunt quidam Scripturarum interpretes et theologi, inter quos Vasquez, disp. 104 in 3 partem; nec hodie desunt auctores qui idem sentire videntur; cfr. v. g. Héfélé, *Histoire des conciles*, lib. 18, c. 1. Innituntur omnes verbis Exodi XX, 4: *Non facies sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ est in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.* At sententia multo communior est his verbis damnari quidem usum idolorum, non autem simpliciter usum imaginum; quæ sententia clare demonstratur a) ex loci allegati contextu, in quo unice sermo est de rejiciendis diis alienis; b) ex locis parallelis, v. g. Lev. XXVI, 1, Deut. V, 8, VI, 13, Ps. XCVI, 7; c) ex quibusdam factis, quæ, utpote a Deo præcepta, non poterant esse legi Dei contraria; sic v. g. Exod. XXV, 8, 18, jubetur ut fiat arca tamquam symbolum præsentiæ divinæ, et ut ex utraque parte arcæ extruantur duo Cherubim aurei; et Num. XXI, 8 mandatur ut fiat serpens æneus, ac ponatur pro signo. Nec admitti potest legem a Salomone ignoratam vel violatam fuisse quando templum sculpturis symbolicis non solum animalium sed etiam Angelorum ornavit. Cfr. Petavius, *De Inearn.* lib. 15, c. 6. Quod si postea, maxime a tempore captivitatis babylonicæ, Synagoga hac in re severior fuerit, id non tam ex vi Legis repeti debet quam ex speciali sollicitudine erga populum, ne scilicet in superstitionem delaberetur; imo concedi fortasse potest *arbitrarias*

solute proscriptus;

Numinis vel Angelorum repræsentationes, tamquam genti ad idololatriam pronæ periculosas, semper illicitas fuisse.

in nova œconomia semper viguit.

100. *Sub œconomia nova usus imaginum constanter viguit, et a primordiis Ecclesiæ fere ubique communis fuit.* Hæe veritas constat a) ex multis tertii, secundi, imo et primi sæculi monumentis authenticis et publicis; adhuc enim hodie extant in parietibus cæmeteriorum, in sarcophagis, in lampadibus et annulis, etc. imagines et symbola quæ exhibent Deum unum et trinum, Christum Dominum, Beatam Virginem et Sanctos, præsertim Petrum et Paulum, Ecclesiam ipsam, mysteria et sacramenta, etc.; de quibus omnibus doctissime disseruerunt archæologi tum antiquiores tum moderni; cfr. Perrone, *De cultu Sanctorum*, c. 5, Henri de L'Épinois, *Les Catacombes romaines*, c. 9-14 et 19-20, Paul Allard, *Rome souterraine*, liv. 4, etc. — b) Eadem veritas constat ex quibusdam factis omnino certis, nempe: primos christianos ab ethnicis accusatos fuisse quod colerent cruces; cfr. Minutius Felix, *In Octavio*, et Origenes, *Contra Celsum*, lib. 2, n. 47; item, extitisse traditionem quod mulier hemorrhoïssa a Christo Domino sanata in miraculi memoriam monumentum erexerit; cfr. Eusebius, *Historia eccles.* lib. 7, c. 18, et Sozomenus, *Hist. eccles.* lib. 5, c. 20; præterea rationem cur ethnici nonnulli comminiscerentur epistolas a Christo ad Apostolos Petrum et Paulum scriptas fuisse, eam reddi a S. Augustino « quod pluribus in locis simul eos cum illo pictos viderent; cfr. S. Augustiuus, *De Consensu Evang.* lib. 1, c. 10. — c) Pauci quidem extant ex tribus prioribus sæculis relate ad usum imaginum textus diserti SS. Patrum; at hujus silentii explicatio obvia est: agitur enim de re quæ praxi sufficienter intelligebatur, et in controversia non veniebat, imo for-

tasse dissimulari debebat propter arcani disciplinam. Cæterum, testimonia explicita penitus non desunt, ut v. g. videre licet apud Tertullianum, *De Pudicitia*, c. 7 et 10: « Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius... Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis. » — d) Inde autem a sæculo IV, post pacem scilicet Ecclesiæ redditam, in omnium fere scriptis mentio fit imaginum, ita ut superfluum sit loca recensere aut verba ipsa allegare; cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. 15, c. 7 et seqq., et Thomassinus, *De Incarn.* lib. 11, c. 10. — e) Hinc illi qui, sive ex ignorantia sive ex malitia, imagines rejicere voluerunt, vel hæretici habiti fuerunt ut Iconoclastæ, eorumque imitatores, a Claudio Taurinensi usque ad varias protestantium sectas, vel aperte reprehensi fuerunt ab auctoritate ecclesiastica, ut Serenus Massiliensis; cfr. S. Gregorii M. lib. 9 epist 105 et lib. 11, epist. 13. — f) Porro factum usus imaginum communiter in Ecclesia vigentis, quod invictis argumentis demonstratur, nullimode in dubium poni potest sive propter canonem 36[um] concilii Illiberitani, sive propter verba S. Epiphanii in epist. ad Joannem Jerosolymitanum, n. 9, (si tamen sint genuina); sive propter aliquid aliud hujusmodi; nam contra morem generalem nihil valet actio particularis; licet igitur illa difficultatem præ se ferant, hæc tamen difficultas præsentem materiam non attingit, et tota relinqui potest explicanda archæologis et eruditis; cfr. Card. de Aguirre, *Collectio conc. Hispaniæ*, tom. 2, pag. 298, Héfélé, *Histoire des conciles*, liv. 1, c. 3, Paul Allard, *Rome souterraine*, liv. 4, c. 1, *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 35, pag. 482, Vasquez, in 3 p. disp. 105, c. 3, etc. — g) A fortiori nulla difficultas oritur ex eo quod nonnulli antiquiores distinxerint inter *picturas* et

sculpturas, imo *quasdam* imagines, nempe quæ Deum ipsum referant, illicitas arbitrati fuerint; talia enim usui ipso in se spectato minime opponuntur. Cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. 15, c. 14. Quum autem his antiquorum hæsitationibus abusi fuerint Janseniani ad morem jam a multis sæculis receptum impugnandum, eorum doctrina semel et iterum a Sede Apostolica damnata est. Huc pertinet imprimis propositio 25ª ex damnatis ab Alexandro VIII: « Dei Patris sedentis simulacrum nefas est in templo collocare. » Huc etiam refertur propositio 69ª Pistoriensium: « Præscriptio, quæ generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis; — propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ extent imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ, ac tuto permittendæ. » Cfr. Benedicti XIV epist. anni 1745 ad episc. Augustanum.

Cultus imaginum ex natura rei connexus est cum earum usu,

101. *Cum existentia et usu imaginum intime connexus est aliquis earum cultus;* fieri enim nequit, pro diversa ratione qua erga aliquem affecti sumus, amore scilicet aut odio, existimatione aut contemptu, quin iisdem animi sensibus feramur erga imagines aut simulacra quæ prototypum referunt. Hinc receptum est ut, cum nostrum erga quempiam amorem aut odium patefacere volumus, honoremus aut destruamus illius imagines ac simulacra, quod ex quotidiano experimento fieri comperimus.

et de facto semper extitit in Ecclesia.

102. *De facto autem imaginibus sacris semper cultus aliquis religiosus tributus est, non solum sub nova, sed etiam sub antiqua œconomia.* Et quidem quod attinet veterem œconomiam, res manifesta est ex multis Sacræ Scripturæ testimoniis, quibus discimus venerationi Hebræis fuisse arcam, Cherubim, serpentem æneum; cfr. Josue VII, 6, 2 Reg. VI,

Ps. XCVIII, 5, Num. XXI, 8 : *Josue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israël. — Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. — Qui percussus aspexerit eum, vivet.* Hinc S. Hieronymus in epistola (Paulæ et Eustochii) ad Marcellam, n. 5: « Venerabantur quondam Judæi Sancta sanctorum, quia ibi erant Cherubim et propitiatorium, et Arca testamenti, manna, et virga Aaron, et altare aureum. » Quod vero pertinet ad novam œconomiam, eadem veritas patet tum ex factis supra relatis, v. g. quod Christiani ab ethnicis haberentur tamquam adoratores crucis, tum ex disertis SS. Patrum testimoniis, quæ referuntur in *Actionibus* Concilii VII, necnon in *Epistolis* S. Gregorii II et Adriani I; cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. 15, c. 15, et Ch. Lupus, *Diss. in septimam synodum*, c. 12. Statim autem ac cultus imaginum in dubium serio revocatus est, Ecclesia eum per suos doctores asseruit et vindicavit, simulque in conciliis sancivit. Allegari quidem ex catholicis nonnulli possunt qui forte omnem cultum religiosum imaginibus denegarunt, v. g. auctor *Librorum carolinorum,* conventus Parisiensis, ann. 825, Jonas Aurelianensis; at hujusmodi hæsitatio, si reapse locum habuit, non fuit nisi localis, temporaria, et prorsus accidentalis, orta scilicet tum ex inscitia tum ex ardore disputandi et libidine contradicendi. Cfr. Petavius, *De Incarn.* lib. 15, c. 16.

Cultus imaginum in Ecclesia semper fuit mere relativus:

103. *Cultus imaginum non potest esse nisi relativus; nec unquam in Ecclesia alius, præter relativum, cultus imaginibus præstitus fuit.* Hoc facile discimus a) ex modo quo prioris ævi apologetæ ethnicos impugnant; ex una enim parte illis exprobrant simulacrorum cultum, quem multis documentis scimus absolutum fuisse, saltem prout com-

muniter exercebatur; ex altera vero parte, profitentur se, nec crucem nec aliud quodcumque simulacrum colere; quod verum non est, nisi intelligatur de ea specie cultus quam solam cognoscebant gentiles. Cfr. Perrone, *De cultu Sanctorum*, c. 5, n. 128-132, et 145-146. — b) Idem manifeste supponitur in textibus Patrum posteriorum; sic v. g. S. Cyrillus Alexandrinus, in Ps. CXIII, 16: « Etiamsi facimus imagines piorum hominum, non tamen ut eas *adoremus tamquam deos*, sed ut, iis inspectis, ad ipsorum æmulationem impellamur; ideo autem Christi imaginem facimus, ut mens nostra ad illius amorem excitetur. » Nec alius fuit sensus S. Gregorii M. in suis epistolis ad Serenum, ut clare ostendunt Thomassinus, *De Incarn.* lib. 12, c. 12, et Ch. Lupus, *Decretum septimæ synodi, scholion*, etc. Jamdiu monuit S. Joannes Damascenus, *Orat.* 2 *de imag.* n. 17: « Quocirca quæ tu in contrarium adducis loca, probatam apud nos imaginum venerationem non crimini vertunt, sed gentium eas ut deos colentium mores arguunt. » — c) Hinc concilium Francofurdiense septimæ synodi decreta rejecit atque detestatum est, eo quod falso arbitraretur in eis præcipi adorationem latriæ erga imagines. — d) Cæterum in prædicta synodo septima cultus debitus imaginibus præclare explicatus fuerat: « Definimus.... sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas..... Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam, et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impertiendam; ita ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis, et sanctis Evangeliis et reliquis sacris monumentis,

incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur: quemamodum et antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit, et, qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. » Prorsus consonat concilium Trid. sess. XXV: « Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur; id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ synodi, decretis, contra imaginum oppugnatores, est sancitum. » In fidei vero professione a Pio IV imposita: « Firmissime assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem atque venerationem impertiendam. »

duplici modo exerceri potest.

104. Advertendum autem est, cultum imagini præstari posse duplici modo: primo, ita ut directe et immediate cultus relativus tribuatur imagini, exemplari autem tribuatur cultus absolutus tantum mediate et indirecte; secundo, ita ut immediate et directe tribuatur tum cultus relativus imagini tum cultus absolutus exemplari: in hoc scilicet casu mente consideramus archetypum in imagine velut relucentem, et in externis significationibus reverentiæ substituimus imaginem repræsentantem ipsi archetypo, ut fit ab Ecclesia in repræsentatione

quorundam mysteriorum, ex. gr. crucifixionis in die parasceves. Cfr. supra, n. 27. Advertendum præterea est, quibusdam imaginibus non tribui nisi cultum mediate relativum, quatenus scilicet solus ille cultus ipsarum exemplari convenit, quod locum habet pro imaginibus reliquiarum. Ita J. De Lugo, *De Incarn.* disp. 37, s. 3, n. 37: « Crux Christi non solum adoratur quando retinet figuram crucis, sed etiam quando in partes separatur, quia tum etiam potest coli propter contactum Christi..... At vero aliæ cruces adorantur solum quamdiu crucis figuram retinent, quia, ablata figura, non manet in illis aliqua alia ratio repræsentationis, vel contactus, ratione cujus adorandæ sint. Unde fit, cruces istas quæ adorantur propter repræsentationem, et tamquam imagines crucis Christi, adorari cultu non solum respectivo, sed respectivo mediate, quia coluntur propter crucem Christi, quam repræsentant; quæ crux Christi adoratur etiam cultu respectivo, nec in ipsa sistit ultimo adoratio, ut constat, sed colitur propter excellentiam Christi; quare aliæ cruces adorantur respective respectu terminato immediate ad crucem Christi, mediate vero et ultimo ad ipsum Christum. Sicut etiam imago sindonis sacræ, qua Christus in sepulchro fuit obvolutus, colitur communiter cultu etiam respectivo, scilicet, immediate propter sindonem Christi, quam repræsentat, mediate vero propter Christum, propter quem colimus ipsam sindonem primam, quæ Christi corpus tetigit in sepulchro. » Hæc referre voluimus, quia principium supra enuntiatum inde clare perspicitur; notare tamen debemus hoc principium melius applicari posse ad alias imagines reliquiarum, quam ad cruces, siquidem cruces habentur potius ut symbola redemptionis et imagines Christi pro nobis morientis, quam ut meræ repræsentationes crucis in qua Christus pependit.

105. *Legitime apud catholicos quædam imagines præ aliis coluntur.* Hoc enim fit, non propter rationem intrinsecam, quasi existimaretur inesse illis aliquam specialem excellentiam supernaturalem, sed propter rationem extrinsecam, quia nempe Deus speciales gratias concedit personis quæ coram prædictis imaginibus orant, vel in iisdem miracula quædam patravit. Huc pertinet Pistoriensium propositio 70ª a Pio VI damnata: « Doctrina et præscriptio generatim reprobrans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere; — temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiæ ordini injuriosa, quo « ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult. » Ex S. August. epist. 78 clero, senioribus et universæ plebi ecclesiæ Hipponensis. Cfr. Marchetti, *De' prodigj* etc. Artaud, *Histoire du pape Pie VII*, tom. 1, chap. 2, etc.

Absque superstitione una imago præ alia colitur.

106. *Actus, quibus constat cultus imaginum, subsunt Ecclesiæ moderationi, et varii esse possunt pro diversis locorum et temporum adjunctis.* In conciliis enumerantur osculum, salutatio, luminum et thuris oblatio, et alia hujusmodi. Duo autem sunt de quibus aliqua adfuit dubitatio, scilicet imaginum *coronatio* et mos eas *velo* obducendi. Et quidem quod ad hoc ultimum pertinet, si ille mos superstitionem saperet, superstitionis auctor Deus ipse esset, qui mandavit Moysi ut dimitteret velum ante arcam. Notum præterea est, in antiquis ecclesiis partem interiorem ab exteriori velis et tentoriis separatam fuisse. Merito igitur proscripta est propositio 72ª Pistoriensium: « Quæ (doctrina et præscriptio) velut abusum extirpari vult morem, quo velatæ asservantur certæ imagines; — temeraria, frequentato in Ecclesia et ad fidelium

Imagines variis actibus legitime coluntur; nec reprehendi potest mos imagines obducendi velo

vel easdem coronandi.

pietatem fovendam inducto mori contraria » Quod vero pertinet ad imaginum coronationem, fatendum est, primis Ecclesiæ sæculis, illum morem fuisse suspectum, scandalosum et piorum oculorum offensivum, quia coronæ habebantur inter idolorum ornamenta magis recepta; at paganismi extinctio abstulit offensionem et scandalum, atque ita coronandi ritus, ex impio et gentili, factus est pius, religiosus, christianus. Cfr. Ch. Lupus, *Diss. de septima synodo,* c. 12, act. 5.

Imagines debent esse decentes et decoræ.

107. Ecclesia semper prospexit ut imagines essent decentes et decoræ; speciatim autem præcepit Tridentina synodus, a) « ut nullæ falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur; quod si aliquando historias et narrationes sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit »; — b) « ut omnis lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur »; — præterea statuit c) « nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit. »

Idem cultus præstandus nominibus sacris ac imaginibus.

108. *Sicut imaginibus, ita sanctissimo nomini Jesu, necnon aliis nominibus sacris tribuitur cultus relativus latriæ, duliæ vel hyperduliæ secundum quid.* Nam licet quidam discrimen conentur adhibere inter imagines et nomina sacra, nullum tamen est fundamentum distinctionis; quia sicut imago ideo est venerabilis, quia repræsentat exemplar, sic etiam nomen venerabile est propter rem significatam; quare nomini ipsi inclinamus caput, et nomen scriptum osculamur et veneramur. Cfr. Vasquez,

disp. 108, c. 11; J. De Lugo, *De Incarn.* disp. 36, s. 5, n. 71.

ARTICULUS III.

De cultu rerum sacrarum.

109. Nomine *rerum* hic intelligimus tum *res* proprie dictas tum etiam *actiones* et *loca*. Sic autem intellectæ, res *stricte* vel *minus stricte* sacræ dici possunt. Notio rei sacræ.

110. Inter res quæ stricte sacræ dici debent, aliæ tales sunt ex *natura sua*, aliæ ex *superveniente consecratione*. Ex natura sua stricte sacræ sunt res illæ omnes quæ in se cultum supernaturalem continent; hujusmodi sunt: oblatio sacrificii et confectio sacramentorum, benedictiones et consecrationes, officia ecclesiastica et prædicatio; item libri inspirati, etc. Ex consecratione autem sacræ sunt illæ res quæ per benedictionem, ut aiunt, constitutivam, Deo dicatæ sunt; hujusmodi sunt: sanctum oleum et sanctum chrisma; ecclesia et cœmeterium; altare, calix, patena, pixis; item planeta, amictus, alba, corporale, palla; præterea, agnus Dei, aqua benedicta, et alia similia.

111. Inter res vero quæ minus stricte sacræ dici debent, eæ potissimum veniunt, quæ, licet consecratione constitutiva careant, tamen publica auctoritate ad finem sacrum ordinatæ fuerunt; hujusmodi sunt: oratoria publica, item loca quæ vocantur religiosa, scilicet hospitalia, xenodochia, etc., episcopi nutu erecta, necnon bona quæ templorum ornatui vel ministrorum sustentationi inservire debent.

112. At nec stricte nec minus stricte res sacræ dici possunt sive loca pia, ut oratoria privata, sive bona quæ in finem sacrum voluntate mere privata addicta fuerunt, puta per aliquod votum commune, sive objecta quæ benedicta sunt benedictione invocativa, v. g. domus, cibi, etc.

Rebus sacris debetur cultus

115. *Certum est iis saltem rebus, quæ stricte sacræ sunt, deberi reverentiam seu cultum aliquem positivum.* Patet imprimis ex sacris Litteris, v. g. Exod. III, 5, XXVIII, 2, etc.: « *Ne appropies, inquit, huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. — Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem.* Patet etiam ex communi usu ab initio in Ecclesia vigente, cujus testes et approbatores sunt SS. Patres; sic v. g. S. Chrysostomus, *Hom.* 30 *in epist. II ad Cor.* n. 2: « Annon cernitis quotnam homines etiam hujusce templi vestibula osculentur, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes? » Cfr. *Serm.* 3 *de Anna*, n. 2. Hinc tum synodus œcumenica septima in sua fidei definitione, tum synodus octava, in suo canone 3, eodem prorsus modo loquuntur de libro evangeliorum aliisque sacris monumentis ac de imaginibus et reliquia crucis.

relativus.

114. *Cultus autem ille, licet aliquem affectum erga res sacras contineat, non potest tamen esse absolutus, sed debet esse et semper fuit mere relativus;* prout constat ex notionibus et principiis jam sæpius evolutis, et diserte traditum est in synodo septima; in hujus enim synodi actione 6ª, hæc, omnium quasi nomine, affirmaverat Epiphanius: « Habemus item et alia plurima consecrata vasa: hæc, quia in nomine tuo facta sunt et consecrata, exosculamur. » Cfr. Suarez, in 3 p. disp. 81, sect. 8.

LIBER II.

DE ACTIBUS RELIGIONIS IN SPECIE.

PRÆAMBULUM.

Cultus supernaturalis evolutio.

115. Juxta sapientissimum divinæ Providentiæ ordinem, in cultu supernaturali evolutio aliqua successiva locum habuit. Primo enim hujus cultus formam simpliciorem et vix in essentialibus positive determinatam reperimus. Collapsa autem in universo fere terrarum orbe vera religione, a Deo per ministerium Moysis nova præscripta est cultus forma, cujus character proprius fuit, ut esset *particularis*, obligans scilicet solum populum israëliticum, *temporaria*, usque ad Christum duratura, *externa* et *legalis*, quoad suum valorem, *typica* et *præparatoria*. Tandem in plenitudine temporum Filius Dei homo factus umbris ac figuris perfectissimam cultus rationem substituit, quo divinum numen ubique gentium in spiritu et veritate celebratur.

Actuum cultus enumeratio et distributio;

116. Cultus supernaturalis actus plures sunt et in varias classes distribui possunt; prima classis comprehendit eos actus qui, licet externi esse possint aut etiam debeant, principaliter tamen mente et spiritu perficiuntur; hujusmodi sunt: oratio, votum, juramentum et adjuratio; altera classis eos actus comprehendit qui corpore perficiuntur, ut adoratio (stricte sumpta), ritus et cæremoniæ; tertia comprehendit actus qui circa res externas versantur, ut oblationes et sacrificium; demum quarta comprehendit officia quæ pluribus quasi elementis constant, ut sanctificatio festorum.

117. Hæc actuum religionis enumeratio et distributio non recipitur ab omnibus theologis;

nobis tamen videtur cæteris præferenda, quia plenior et magis logica; cæterum fere coincidit cum illa quæ exponitur a Gregorio De Valentia, disp. 6, q. 1, p. 2: « Cum virtutis religionis munus sit, subjectionem hominis erga Deum protestari, quatenus primum principium est et dominus omnium, juxta diversitatem eorum, quæ Deo per religionem subjiciuntur ab homine, diversi sunt actus religionis. »

distributionis explicatio.

118. « Triplex autem est bonum ad hominem pertinens quod per religionem subjicitur Deo. Primum est, bonum mentis spirituale, et hoc maxime subjicitur Deo per actus *devotionis* et *orationis*, qui propterea sunt potissimi. Atque etiam per actum *vovendi*, quatenus per eum quoque homo protestatur se Deo velle inservire firmiter, tamquam servum et inferiorem suo domino. Itemque per actum *jurandi*, quatenus per Deum homo jurat, tamquam per majorem sui, ut inquit Apostolus ad Hebr. 6. Itemque per *usum sacramentorum*, quatenus per eum protestamur, Deum esse gratiæ auctorem, qua mentes nostras afficit, ut eas sibi magis magisque subjiciat. »

119. « Alterum est bonum externum corporis; et hoc subjicimus Deo per exteriorem *adorationem*, quæ proinde actus est religionis; talis est genuflectio, prostratio. »

120. « Tertium est, bonum quodvis externum, ad hominis dominium pertinens. Et hoc subjici potest tripliciter. Primo, offerendo hujusmodi bona externa immediate ipsi Deo, ita ut non cedant in alicujus hominis usum, sed omnino Deo consecrentur, faciendo aliquid circa illa in Dei honorem, et recognitionem universalis dominii et potestatis quam ille habet super omnia. Et sic offerimus Deo bona externa, per *sacrificia*, quæ etiam sunt actus religionis. Secundo, offerendo illa Deo mediate, videlicet dando illa ministris, quatenus Dei locum

tenent, et mediatores quodammodo sunt Dei et hominum, in quorum usus cedant, et per quos dispensentur, sicut fuerit expediens. Et sic offeruntur Deo bona externa per *oblationes* et *primitias;* quæ proinde sunt etiam actus religionis, quatenus reddentes Deo, in suis ministris, illa quæ de manu ipsius accepimus, parimus illi gloriam et honorem. Tertio, offerendo hæc bona Deo adhuc magis mediate, videlicet conferendo ea Dei ministris, non immediate respiciendo Dei gloriam et honorem, sed ut satisfiat obligationi qua populus tenetur alere spirituales ministros. Ex quo etiam redundat ad Deum gloria. Et sic subjiciuntur bona externa Deo per *decimarum* solutionem. »

Tractationi de actibus religionis in specie præmittitur explicatio devotionis:

121. Inter actus religionis primo loco enumerari solet *devotio*, et de ea sicut de cæteris actibus in specie tractatur. A qua methodo recedendum existimavimus, non solum quia pauca omnino sunt quæ de devotione in specie dici debent, sed etiam quia, licet devotio spectari possit et debeat ut religionis actus particularis, tamen communius consideratur ut religionis affectus, quemadmodum loquitur Suarez, *De Religione*, tom. 1, tr. 1, lib. 1, c. 8, n. 5; adeoque commodius explicanda videtur in hoc præambulo. Ea autem quæ illam respiciunt, facile ad sequentia revocantur.

ut sumitur pro actu, devotio est interna sui oblatio ad cultum sacrum;

122. *Devotio*, ut significat *specialem* actum religionis, nihil est aliud quam *interna quædam sui ad cultum sacrum oblatio et traditio;* seu, ut ait S. Thomas, 2. 2. q. 82, a. 1, ad 1, est actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei serviendum. Hujusmodi oblatio et traditio, qua talis, non involvit quidem promissionem vel juramentum; tamen non consistit in solo actu voluntatis elicito, sed supponit actum etiam imperatum; nempe oblatio sui non fit sola volitione, sed ad eam necessarius est actus intellectus, veluti locutio quædam qua quis seipsum Deo

tradat, sicut dum homo, explicare volens suum affectum et animi propositum, dicit principi: Me totum trado tuo obsequio. Ex qua notione patet, devotionem, quamvis in se et formaliter sit actus specialis, posse aliquo sensu dici actum universalem, nempe causaliter, quia movet omnes actus servitii Dei.

-ut autem sumitur prostatu, est habitualis addictio cultui divino.

123. Deinde devotio etiam dicitur *habitualis addictio cultui divino;* et sub hoc respectu, ab antiquo auctore operis *De Spiritu et Anima,* definitur « pius et humilis affectus in Deum: humilis ex conscientia humilitatis propriæ, pius ex consideratione divinæ clementiæ. » Cfr. inter opera S. Augustini, tom. 6 edit. Bened. Ex hac permanente ac firma animi dispositione homo dicitur vere *devotus*, seu quasi servitio Dei mancipatus.

quæ se manifestat per promptitudinem et fervorem in cultu divino præstando

124. Hæc autem devotio, sive actualis sive habitualis, debet se manifestare per aliquam promptitudinem et quemdam fervorem in servitio divino; atque idcirco talis *promptitudo* et *fervor* etiam devotio dicuntur. Porro ista promptitudo consistit in affectu absoluto et determinato, vincente omnem timorem, fugam et tergiversationem voluntatis, ita ut nihil amplius eam retardet ab executione quando occasio sese offert; fervor autem nihil aliud est quam intensitas et vehementia affectus. In quem sensum Exod. XXXV, 21, 29,. *Omnis multitudo.... filiorum Israël obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino. — Omnes viri et mulieres mente devota obtulerunt donaria.*

hinc oratio vel adoratio devota,

125. Hinc nomen devotionis translatum est ad significandam etiam *qualitatem actus* cum promptitudine et fervore positi, quo sensu loquimur de oratione, genuflexione, etc. *devota;* item ad significandam perfectionem totius rationis agendi, prout loqui solemus de vita *devota;* imo ad significanda ipsa pietatis exercitia, quibus Deo et Sanctis cul-

vita devota,

tum exhibemus, quomodo sæpe sermo est de hac vel illa *devotione;* ubi notat Suarez, hujusmodi exercitia potius dicenda esse *devota*, id est, dicata et oblata Deo, quam devotiones, « licet interdum, inquit, late sumpto vocabulo dicantur devotiones, vel materialiter, quia sunt materia in qua versatur devotio, vel per denominationem a devotione. » *De rel.* tom. 2, tr. 4, lib. 2, c. 6, n. 10.

exercitia devota.

126. Devotionem substantialem comitari solet, tamquam ipsius effectus, *lætitia quædam spiritualis*, quæ etiam devotio aliquando nuncupatur. Effectus iste devotionis pulcherrime explicatur a S. Thoma, 2. 2. q. 82, a. 4; optima etiam sunt quæ ea de re habet Herinckx, disp. 1, q. 2. n. 8: « Aliquando devotio sumitur pro dulcedine quæ sentitur in exercitio rerum spiritualium, sive pro facilitate et quasi sensibili suavitate qua devotus perficit ea quæ ad cultum Dei spectant. Quæ tamen usurpatio est impropria, cum devotio sit actus humanus virtuosus et meritorius, adeoque in potestate nostra constitutus, prout frequenter non sunt prædicta facilitas et suavitas, quæ sæpe oriuntur vel consistunt in speciali gratia Spiritus Sancti cor excitantis et prævenientis; subinde etiam pendent ex parte a dispositione corporali. Unde fit ut homo nunc operetur cum gustu et facilitate, nunc cum tædio et difficultate. Neque absentia similis minuit meritum voluntatis nihilominus in devotione persistentis, cæteris paribus; quin potius auget..... Sunt tamen plerumque prænissa suavitas et gustus occasio majoris meriti, quatenus inde oritur major actuum intentio, diuturnior continuatio et frequens eorumdem repetitio. » Quapropter merito L. Bail reprehendit illos qui, præsertim e secta Jansenianorum, illam devotionem accidentalem nimium deprimebant. Cfr. *Théologie affective,* des quatre vertus card. 7me médit.

Devotionis effectus est lætitia quædam spiritualis,

quæ, licet accidentalis,

est tamen magni facienda.

Devotionis causa duplex:

127. Duplex assignatur *causa* devotionis, alia extrinseca, nempe gratia Dei, alia intrinseca, scilicet meditatio, consideratio et studium. Ita Angelicus:

gratia Dei

« Causa (devotionis) extrinseca et principalis Deus est, de quo dicit Ambrosius, super Lucam, quod Deus, quos dignatur, vocat, et quem vult, religiosum facit, et, si voluisset, Samaritanos ex indevotis devotos fecisset. Causa autem intrinseca ex parte nostra oportet quod sit meditatio seu contemplatio.

et meditatio,

Dictum est enim quod devotio est quidam actus voluntatis ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est objectum voluntatis. Unde S. Aug. dicit in lib. de Trin. quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo necesse est quod meditatio sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concipit quod se tradat divino obsequio. » Hinc patet imprimis, quod scientia theologica

adeoque etiam studium theologiæ.

per se maximopere devotionem promoveat, et quod solummodo ipsi obstare possit per accidens, nimirum in quantum vel male applicatur vel occasio est superbiæ. Cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 82, a. 3, ad 2 et 3, et Caietanus in h. l. Patet etiam, quid sit sentiendum de iis protestantibus qui vocantur *pietistæ*, eo quod disputationum ac dissentionum pertæsi sensui nescio cui devotionis se totos dedant, absque intelligentia, imo vero sine fidei fundamento.

128. Jam hisce generalibus et fere communibus præmissis, de singulis actibus, quibus Deum vel Sanctos colimus, seorsim agemus, juxta ordinem superius indicatum.

PARS I.

DE ORATIONE.

129. Totam orationis materiam duplici capite evolvemus; scilicet primum tractabimus de ora-

tione in genere, præscindendo a variis modis quibus fieri potest; postea dicemus de oratione prout est vocalis et externa.

CAPUT I.

De oratione in genere.

130. Exponenda imprimis est *essentia* orationis, deinde explicari debet ejus *necessitas* et *efficacia*.

ARTICULUS I.

De essentia orationis.

131. Ut essentiam orationis perspectam habeamus, quinque fere a nobis sunt consideranda, scilicet ipse *actus* orandi, *persona ad quam* oratio dirigitur, persona *quæ* orat, persona *pro qua* oratio fit, tandem *res* quæ orationis materia est.

§ I.

De actu orandi.

Oratio late dicitur motus omnis intellectus et voluntatis in Deum;

132. Vox *oratio* varios sensus habet. Etenim a) quandoque latissime sumitur pro *omni motu interiori intellectus et voluntatis in Deum*, quo sensu videtur accipi quando sermonem facimus de meditatione seu oratione mentali: hæc enim complectitur omnes actus interiores quibus Deus religiose coli potest, et præterea ad omnes virtutes sese extendit, maxime fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ et humilitatis. Cfr. Suarez, *De religione*, tom. 2, tr. 4 lib. 2, per totum, Perrone, *De Virtute Religionis*, s. 2, c. 2, a. 3, n. 135 et seqq.; maxime vero aureum opusculum quod sub titulo *Scalæ claustralium*, vel *De modo orandi* reperitur inter opera sive S. Augustini sive S. Bernardi, quamvis scriptum videatur a Guigone, magnæ Car-

strictius autem actus laudandi, gratias agendi, postulandi;

thusiæ priore. — b) Quandoque ea vox strictius sumitur pro *mentis in Deum ascensu*, quo vel Deum *laudamus* eique benedicimus, vel pro acceptis beneficiis *gratias agimus*, vel nova ab ipso beneficia *postulamus;* et hoc sensu accepta oratio complectitur laudem, gratiarum actionem, petitionem. — c) Proprie autem oratio a SS. Patribus describitur vel *petitio decentium Deo*, vel *boni cujusdam petitio quæ a piis ad Deum effunditur*, vel *petitio bonorum quæ Deo cum supplicatione offertur*. Cfr. S. Basilius, *Hom. in mart. Julitam*, n. 5, S. Joannes Damascenus, *De fide orth.* lib. 3, c. 24, S. Gregorius Nyssenus, *In psalm.* tr. 2, c. 3.

proprie est pia petitio ad Deum.

Petitio est appellatio ad benevolentiam alterius ad favorem obtinendum.

133. Pertinet igitur oratio proprie dicta ad *genus petitionis;* petitio autem est *actus quo aliquis ad benevolentiam alterius appellat ad aliquid ab eo obtinendum per modum favoris*. Hinc, licet peti possit illud quod debitum est, petitio tamen, qua talis, differt ab *imperio* et debiti *exigentia;* præterea, quamvis illud, quod petitur, non semper sit in favorem ipsius petentis, nihilominus rei petitæ concessio semper habetur ut favor petenti præstitus; et sic petitio differt a *consilio* et *exhortatione*. Porro omni petitioni multi actus intellectus et voluntatis prærequiruntur, qui confundi nequeunt cum ipsa petitione formali. Ad hoc enim quod ego aliquid petam, debeo *scire* illud mihi vel aliis conveniens esse, et præterea ab altero concedi posse et probabiliter concedendum; deinde necessarium est quod illud mihi vel aliis *desiderem*, et insuper illud desiderem ut obtinendum ab altero, et quidem tali via et titulo, scilicet per modum favoris; his autem omnibus suppositis, locum habet petitio, quæ est *prædicti desiderii insinuatio et repræsentatio*. Hinc intelligitur quare oratio in sacris Litteris sæpe vocetur desiderium, v. g. Ps. X, 7: *Desiderium peccatorum exaudivit Dominus;* ratio scilicet est, quia est

desiderii interpres. Quapropter oratio dici etiam debet actus rationis; quamvis enim ad orandum remote concurrat appetitus seu affectus desiderando, proxime tamen et principaliter concurrit intellectus desiderium explicando et proponendo. Cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 83, a. 1, Bellarminus, *De bonis operibus in particulari*, lib. 1, c. 1, et alii communius, contra nonnullos asserentes orationem esse actum voluntatis. Merito itaque definitur oratio: *Actus rationis practicæ desiderium animi coram Deo explicantis, ut aliquid ab ipso impetretur;* vel brevius: *Desiderii nostri coram Deo explicatio ad aliquid ab ipso impetrandum.* Cfr. Laymann, lib. 4, tr. 1, c. 1.

Non omnis petitio *oratio* dici potest,

134. Petitio involvit aliquem sensum demissionis, adeoque ex se *apta* est ut per eam testificemur nostram subjectionem et indigentiam, alterius autem dominium et excellentiam. Si ergo petitio ex tali intentione procedat, erit actus cultus, et si dirigatur ad Deum vel ad eos qui cum Deo specialem relationem habent, erit actus cultus religiosi; secus vero, si petitione intendamus tantum vel alteri *manifestare* nostram indigentiam, vel ei persuadere ut desiderio nostro satisfaciat.

sed ea tantum quæ fit intentione cultus religiosi;

135. Jam vero sola petitio, quæ fit intentione cultus religiosi, *oratio* proprie est; adeoque licet omnis oratio sit petitio, non tamen e converso omnis petitio est oratio. Quod sine difficultate intelligetur, si advertatur, sub hoc tantum respectu petitionem, ad Deum directam, rationabilem et consequenter utilem esse posse; non enim Deum alloquimur ut ipsi aliquid notum faciamus, vel ut ei aliquid persuadeamus, sed unice ut eum honoremus et colamus. Hinc possumus quidem charitate, pœnitentia aut alia virtute moveri ad aliquid a Deo postulandum; semper tamen petitio nostra, ut suo fini respondeat, procedere debet ab affectu religionis, saltem

generali, implicito et confuso, prout explicat Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 1, c. 7, n. 12: « Dices: Ergo quoties homo orat ad Deum absque formali intentione cultus, nec exercet actum religionis, nec convenienter orat, ita ut exaudiri mereatur. Consequens est valde durum et incredibile, quia illa petitio, etiamsi fiat absque intentione cultus, non est mala, quia esse potest ex fine bono, et in se non habet deformitatem; ergo est actus bonus, ergo pertinet ad aliquam virtutem, ergo poterit petitio ad Deum seu oratio elici ab alia virtute præter religionem. Responderi solet negando primam illationem, quia si homo orat ad Deum, eo ipso habet intentionem orandi et petendi a Deo rem decentem, ut supponimus, et hoc satis est, ut ille actus sit religionis, etiamsi illa persona nihil actu cogitet tunc de cultu Dei, in actu signato et formali, ut sic dicam; quia satis est quod in actu exercito velit verum cultum, de quo cogitat, prudenter judicando Deum esse orandum. Sed hæc responsio majori indiget explicatione; nam ut interior actus voluntatis substantialiter constituatur in specie alicujus virtutis, necesse est ut formaliter tendat in objectum illius virtutis, quatenus talem honestatem habet..... Et ratio est, quia alias ille actus non est voluntarius, ut rectus et honestus, sed solum materialiter, quod ad virtutem non sufficit, quia voluntas illius objecti materialis potest esse mala. In præsenti ergo, ut affectus orandi, seu voluntas, a qua procedit oratio, intrinsece ac substantialiter sit actus virtutis religionis, necesse est, ut formaliter sit ex motivo divini cultus; alias non potest ex illo motivo speciem sumere. At vero, si is, qui petit, nihil cogitet de cultu, non potest formaliter velle petitionem sub ratione cultus, ergo non potest actum religionis elicere. — Duo ergo mihi dicenda occurrunt. Unum est, vix fieri posse, ut aliquis ex vera fide

Deum oret, et non sufficienter cogitet de cultu Dei, quem orando intendat, quia non est necesse ut cogitet de honore vel cultu sub his conceptibus generalibus, imo neque quod distincte sciat, petitionem esse cultum, aut notam vel signum honoris, vel aliquid simile; nam simplices, licet hæc ignorent, optime orant. Satis ergo est, ut, qui orat, cognoscat se indigere ope Dei, et quod orando velit se Deo submittere tamquam superiori et potenti, quod sine dubio facit, quisquis ex vera fide orat, etiamsi ex magno affectu ad rem postulatam vel ex ingenti timore mali contrarii oret; imo quanto hic affectus magis movet, tanto solent homines, etiam simplices, majori submissione et reverentia submitti Deo ad orandum. Hæc ergo apprehensio ex parte intellectus, et affectio ex parte voluntatis sufficit, ut illa oratio sit verus actus religionis. — Dico vero ulterius, quod si contingat, aliquem ex nimio affectu ad suum commodum, vel alio simili, nullo modo cogitare, dum petit, de submissione et reverentia erga Deum, nec de recognoscenda potentia ejus vel dependentia ab ipso, aut aliquid æquivalens, sed solum de obtinendo bono, quod cupit, vel fugiendo malo, quod timet, petitionem ejus materialiter quidem esse cultum Dei, tamen, ut est ab ipso, non esse verum actum religionis; quia non procedit ex affectu qui est actus a religione elicitus. Hoc probat ratio facta, potestque facile suaderi exemplis aliarum virtutum moralium: quotiescumque enim exterior actus vel observantiæ vel misericordiæ vel similis, fit sine interiori intentione et motivo talis virtutis, non est actus ejus, nisi materialiter tantum. Cum autem quæratur an illa oratio sit bona vel mala, respondeo: Aut ille, qui orat, per solam naturalem inadvertentiam non intendit divinum cultum, vel per voluntariam et culpabilem negligentiam. Quando hoc posteriori modo fit, actus est malus,

quia voluntarie fit sine debito modo et circumstantia. Quando vero fit priori modo, actus excusatur a malitia ex illo capite, quia, quoad illam circumstantiam, non est actus humanus, nec deliberatus; quatenus vero, secundum suam substantiam, ex aliquo actu libero procedit, et propter aliquem finem fit, erit bonus vel malus juxta conditionem actus et finis a quibus procedit. »

imo ad veram orationem requiritur ut petitio eliciatur viribus gratiæ,

136. *Porro ad orandum sicut oportet auxilium Dei supernaturale absolute requiritur.* Hæc veritas constat ex omnibus argumentis, quibus generatim demonstratur gratiæ necessitas; in specie autem huc pertinent Rom. VIII, 26, 1 Cor. XII, 3, 2 Cor. III, 5, etc.; in his enim aliisque locis similibus asseritur, nos sufficientes non esse cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, — neminem dicere posse *Dominus Jesus*, nisi in Spiritu Sancto, — nos nescire quid oremus sicut oportet, sed Spiritum adjuvare infirmitatem nostram, et postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus Ad rem S. Chrysostomus, vel quisquis est auctor homiliarum *De precatione*, 2 : « Fieri nullo modo potest ut homo sine Divini Spiritus ope divinam ferat consuetudinem ; verum oportet hac præsente et sanctos conatus prosequente, rem aggredi, genua flectere, precari. Cum enim res humanas longe superet divinus congressus, ingrediente in nos Spiritus Sancti gratia, confirmemur, corroboremur, honoris magnitudinem doceamur necesse est. » Hinc concilium Arausicanum II, c. 3: « Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit prophetæ vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui non interrogabant. » Et can. 6, damnat eos qui dicunt « sine gratia Dei... petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam conferri divinitus », simulque definit

« per infusionem Spiritus Sancti fieri ut hæc omnia sicut oportet agere valeamus. » Licet igitur concilium Tridentinum specialem mentionem orationis non habeat, et tantum enumeret actus fidei, spei, charitatis et pœnitentiæ, merito tamen assertio supraposita censeri potest de fide, utpote quæ in Scriptura et conciliis satis expresse contineatur. Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 1, c. 8.

ex fide procedat, atque spei innitatur.

137. *Præterea oratio sicut oportet et qualis requiritur ad cultum supernaturalem, procedere debet ex fide et inniti spei, non tamen necesse est ut oriatur a charitate vel ab ea imperetur.* Prima pars assertionis facillime probatur ex sacris Litteris, in quibus vix unquam de oratione sermo fit quin significetur ejus connexio cum fide et spe; huc pertinent, v. g. Matth. XXI, 22, Marc. XI, 24, Rom. X, 14, Heb. IV, 16, Jac. I, 6, etc: *Et omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. — Omnia, quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis et evenient vobis. — Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? — Postulet in fide, nihil hæsitans. — Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Cfr. *Tractatus de virtutibus theol.* n. 198—204, et rursus, n. 370. Porro fides illa est qua credimus firmiter Deum posse dare quod petitur, et esse bonum ac misericordem ad dandum; spes vero est fiducia certo obtinendi bona petita, si et nobis expedit, et ex parte nostra non est impedimentum. Huic autem essentiali qualitati orationis christianæ opponitur sola illa *hæsitatio* quæ, quoad intellectum, involvit dubitationem certitudini fidei repugnantem, et, quoad voluntatem, timorem et animi trepidationem firmitati spei oppositam. Altera pars assertionis fundatur in omnibus illis Scripturæ locis quibus peccatores ad orationem provocantur ut gratiam sinceræ conversionis obtineant et

in amicitiam Dei recipiantur; ratio autem est, quia charitas, secus ac fides et spes, non est vitæ christianæ initium, sed ejus perfectio et consummatio.

§ II.

De iis ad quos orari potest.

138. Cum oratio sit actus cultus religiosi, certum est eam non esse dirigendam nisi ad Deum et ad personas quæ cum Deo specialem habent relationem supernaturalem: si ad Deum dirigatur, est actus latriæ, si ad alias personas, est actus duliæ vel hyperduliæ.

I. De orando Deo et Christo.

Oratio christiana præcipue dirigitur ad Deum;

139. *Et quidem imprimis orationem christianam ad Deum præcipue dirigi, veritas est ita certa et evidens ut supervacaneum sit illam probare.* Nam, ut scribit Suarez, l. c. c. 6, n. 9, « utrumque Testamentum plenum est frequentia orationum, et omnes psalmi altissimam orationem continent, et Christus Dominus frequentissime orasse legitur, et vitam suam non solum in cœna et in horto, sed etiam in cruce orando consummasse, et de Apostolis et tota Ecclesia fideli ab ejus initio idem refertur in Actibus Apostolorum. »

rectæ rationi conforme est Deum orare

140. *Jam vero Deum orare omnino rationabile est;* quia, ex una parte, Deus nostri providentiam habet generalem ac particularem, multaque beneficia præstare nobis libere valet; ex altera vero parte, conveniens est ut ad ea beneficia accipienda recognoscamus tum divinum dominium, tum propriam dependentiam, quod per orationem egregie fit, prout jam sæpius declaratum est. Quod autem rationalistæ objiciunt, nempe orationem non esse legitimum actum cultus, quia supponit Deum vel

ignorare aliquid, vel *non esse bonum*, vel *esse mutabilem*, hoc omnino absurdum est; non enim oramus ut aliquid Deo manifestemus, sed oramus quia credimus Deum omnia cognoscere, et inter ea nostras preces nostrasque miserias; neque oramus ut aliquid a Deo quasi invito extorqueamus, sed quia credimus eum nos amare, et paratum esse nobis bona conferre; tandem non oramus ut Deus aliquid in tempore velit quod ab æterno non voluit, seu ut mutet decretum quod ab æterno habuit, sed rogamus ut faciat quod decrevit se facturum media hac oratione; prævisis scilicet ab æterno nostris precibus, multa statuit Deus et voluit facere, quæ alioquin non voluisset, adeo ut oratio prævisa sit suo modo causa cur Deus ab æterno voluerit, non secus ac si nunc velle inciperet. Hinc omnia, quæ contingunt, decreta sunt ab æterno sive ut fiant, sive ut permittantur fieri, non tamen omnia ante prævisionem nostrarum orationum. Hoc pulcherrime explicavit S. Thomas, 2. 2. q. 83, a. 2: « Ex divina providentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam quibus causis et quo ordine proveniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorumdam causæ actus humani; unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum. Non enim propter hoc oramus ut divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendum, ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante sæcula diposuit donare, ut Greg. dicit in lib. dialogorum (1). »

(1) Inepte de Providentia et oratione disserit J. Simon, in opere *La religion naturelle, quatrième partie*, c. 1: « La prière, qui est l'acte le plus simple du culte, peut-elle se concilier avec la Providence, telle que nous l'avons décrite? Si l'on pouvait se

unum et trinum;

141. *Porro oratio dirigi potest vel ad Deum absolute, abstrahendo a personis*, ut in hymno martyrum « Te summa Deitas unaque poscimus », vel *ad tres simul personas*, ut sæpe fit in liturgia et apud Sanctos Patres, vel *ad unam determinate personam, aliis non exclusis, quod absurdum esset, sed tamen non formaliter intentis*, ut in litaniis. Hic autem præclare advertit et explicat Suarez, orationem sæpe accommodari uni vel alteri personæ secundum quamdam *appropriationem*. « Nam, sicut solemus attributa essentialia appropriare personis, non ut alias

représenter Dieu comme un père incessamment occupé du bonheur de chacun de ses enfants, jouissant de leurs joies et souffrant de leurs peines, attentif à leurs besoins de chaque jour, et modifiant, pour y pourvoir, les lois générales, capable même de se laisser émouvoir par une prière plus fervente et d'accorder à une sollicitation persévérante un don qu'il était dans ses desseins et dans sa sagesse de refuser, la prière serait à la fois possible, utile, efficace. Mais dans ce tableau si touchant de la sollicitude divine, beaucoup de traits sont en dehors de la vérité. Ils ne rapprochent Dieu de nous qu'à la condition de le dégrader. Dès qu'on réfléchit sur sa perfection, il devient impossible d'admettre qu'il puisse changer quelque chose à ce qu'il a voulu, et que ce changement puisse avoir pour cause les intercessions d'un être aussi frivole, aussi imprévoyant que l'homme. On a beau chercher une issue: si Dieu modifie sa volonté, il n'est pas immuable; il n'est pas toujours égal et semblable à lui-même, il tombe comme nous dans le mouvement et dans le temps, et l'infinité lui échappe. La résolution que Dieu avait formée, était la meilleure qu'il pût prendre; en se laissant aller à la changer, il fait moins bien; il se diminue deux fois: en prenant une résolution mauvaise et en la prenant par faiblesse. Il faudrait, pour échapper à cette conséquence, supposer que c'est nous, au contraire, qui améliorons les desseins de Dieu, et qui l'éclairons sur le bien. Toutes ces hypothèses ne peuvent tenir; on rougit de les exprimer, on souffre en les entendant. Ce Dieu, si bon en apparence, n'est qu'un ouvrier imparfait, dont l'œuvre a besoin à chaque instant d'être réparée, et qui nécessairement la répare mal, s'il écoute toutes nos prières insensées et contradictoires. En vain dira-t-on qu'il ne cède à nos prières, que quand elles sont raisonnables; c'est se payer de mots: car elles ne sont raisonnables que quand elles sont conformes à sa volonté, et cela revient à dire qu'il ne nous écoute jamais. »

personas excludamus ab identitate in illis attributis, sed ut proprietatem aliquam talis personæ indicemus, ita etiam oramus ad singulas per quamdam appropriationem, ut aliquid peculiare in illis recognoscamus. Sic Ecclesiæ orationes regulariter diriguntur ad personam Patris tamquam ad primum principium et fontem divinitatis; quia sicut omnipotentiam, ob hanc causam, appropriatur Patri, ita, ob eamdem rationem, ad illum dirigit Ecclesia orationes suas... Alia ratio reddi potest, quia solus Pater proprie misisse dicitur Filium suum, licet tam Filius quam Spiritus Sanctus Incarnationem etiam operati fuerint; unde, quia Ecclesia consuevit petere propter Christum, ideo ad Patrem, qui illum misit, orationes dirigit, ut commodius addat terminationem illam: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, etc. Dum autem ad Patrem orat, non excludit alias personas, sed potius includit,... et ad hoc significandum addere solet in fine orationum verba illa: *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.* Nonnullæ item orationes Ecclesiæ diriguntur specialiter ad personam Filii, fortasse quia solus Filius incarnatus est, et ideo maxime hoc consuevit facere Ecclesia in his orationibus quæ continent aliquem respectum vel habitudinem ad personam incarnatam, ut videre licet in orationibus de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, et in vigilia sancti Joannis Baptistæ, et in festo sanctæ Annæ et sancti Joseph, et similibus. Inter collectas autem Ecclesiæ non invenimus orationem specialiter directam ad personam Spiritus Sancti, cujus rationem D. Thomas reddit, quia Spiritus Sanctus procedit ut donum, cujus magis proprium est dari quam dare, et ideo magis consuevit Ecclesia petere ut sibi donetur Spiritus Sanctus a Patre et Filio quam ab ipsomet Spiritu Sancto. Vel fortasse id factum est quia Spiritus Sanctus neque est principium Deitatis, ut Pater, neque factus est homo,

sicut Filius. Quamvis autem in collectis hoc servet Ecclesia, aliis modis dirigit orationes suas ad personam Spiritus Sancti, ut in litaniis, in hymnis, *Nunc Sancte nobis Spiritus*, et *Veni, Creator Spiritus*, et aliis similibus. » l. c. c. 9, n. 14.

oratio ad Deum dirigi debet tamquam ad principalem auctorem boni postulati.

142. *Sive autem ad unam formaliter personam Trinitatis oratio dirigatur, sive ad tres personas simul, sive ad Divinitatem abstrahendo a personis, petitio ad Deum fieri debet tamquam ad principalem auctorem boni postulati, qui per seipsum illud conferre potest.* In illa autem particula *per seipsum* includitur primo, quod propria virtute possit conferre bonum postulatum; secundo, quod in eo bono conferendo, si velit, a nullo pendeat; tertio, quod a nemine impediri possit; quarto, quod ipse sua virtute possit vel auferre impedimenta, vel disponere omnia aliunde necessaria ut talis effectus fiat: itaque, in summa, est petere ab aliquo ut a primo auctore illius boni, quod petitur, et insuperabili, ut ita dicatur, in eo conferendo, si velit. Oratio ergo procedens ex hac existimatione et fide, in solum Deum cadere potest, et sub ea ratione fieri debet ut cultum latriæ contineat; unde nisi ita fiat ad Deum, non recte fit, et si ita fieret ad alium, præter Deum, esset idololatriæ actus. Cfr. Suarez, l. c. c. 9, n. 4.

Christus Dominus orandus est

143. *Eodem modo oratio fit ad Christum Dominum quo dirigitur ad Deum;* est enim Christus verus Deus. Potest autem Christus ita exorari non solum quatenus est Deus, sed etiam quatenus est homo, et particeps naturæ nostræ nos videt et audit, idque sive spectetur in statu connaturali et glorioso, sive in statu sacramentali: qua de re legatur Eminentissimus Card. Franzelin, *De Sacramento Euch.* th. 11, cor. 1. Ipsa tamen Christi humanitas non videtur posse directe et proprie exorari, siquidem oratio dirigitur ad *personam*, quæ est divinum suppositum, ut notavit Suarez, in 3 p. tom. 1, disp.

45, s. 2, et *De Religione*, tom. 2, tr. 4, lib. 1, c. 10, n. 18: « Non quod orare possimus convenienter ad Christi humanitatem, quia, sicut humanitas non meretur, ita nec facit, nec postulat, quod desideramus, sed Christus, quem tamen possumus ut hominem considerare. » Quomodo autem cum hoc stet ut preces nostras dirigamus ad sacratissimum Cor Jesu, facile explicatur ex iis quæ supra diximus, præsertim, n. 58 et 59. Ita P. Gallifet, apud Nilles, *De rationibus festorum sacratissimi Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariæ*, p. 1, sect. 1, c. 2, § 5: « Quum Cor Jesu animæ personæque Christi intime et indissolubiliter conjunctum sit, sane oratio, quæ ad ipsum Cor dirigitur, eodem tempore, eodemque actu necessario dirigitur ad ipsam animam et personam indivise, adeoque hic orandi modus nequaquam videri potest, hominibus saltem attentis, contra rectam rationem. Quod autem orando non persona Christi sed Cor ipsum appelletur, invocetur, laudetur, id fit piissime ex affectu erga ipsum Cor, quem affectum Christo esse gratissimum ex variis Sanctorum testimoniis et revelationibus... liquido constat. Certe Ecclesia ipsa orationes et laudes publico et solemni cultu dirigit ad Christi Crucem, quamvis de se materialem et inanimam: O CRUX, AVE, SPES UNICA ... AUGE PIIS JUSTITIAM REISQUE DONA VENIAM. — O CRUX SPLENDIDIOR CUNCTIS ASTRIS... SALVA PRÆSENTEM CATERVAM IN TUIS HODIE LAUDIBUS CONGREGATAM. — O CRUX VENERABILIS, QUÆ SALUTEM ATTULISTI MISERIS, QUIBUS TE EFFERAM PRÆCONIIS, QUONIAM VITAM NOBIS CŒLITEM PRÆPARASTI... Si ergo ab Ecclesia universa ejusmodi orationes, laudes et præconia ad Crucem ipsam materialem et inanimam diriguntur, quanto magis hic orandi et laudandi modus conveniet Cordi Christi! »

144. *Christus Dominus, ipseque solus, exorandus est tamquam mediator noster primarius et principalis;* est scilicet Christus Dominus mediator noster tum

tamquam mediator noster principalis.

naturalis, quia in una hypostasi utramque naturam, divinam et humanam, conjunxit; tum *moralis,* quia per passionem et mortem suam pro peccatis nostris satisfecit, nobisque bona meritus est, et sic nos cum Deo reconciliavit; ac præterea jugiter pro nobis apud Patrem interpellat. Hæc autem mediatio Christi primaria est ac principalis, quia a nulla alia pendet, et omnis alia pendet ab ipsa; ille enim perfecte mediator est, qui pro *omnibus* orat et pro quo *nullus* orat, et qui ipse non *per alium* orat mediatorem, quique *insita* sua dignitate et merito *independenter* ab alio alterum reddit propitium. Jam vero Christum Dominum tamquam mediatorem principalem et primarium oramus, quando ab ipso postulamus *ut nobis concedat* illa bona quæ per mortem et passionem meritus est; qua ratione in litaniis majoribus dicimus: *Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera nos, Domine!* An autem præterea a Christo mediatore postulare possimus ut pro nobis Patrem interpellet, non omnino constat; ita Suarez, l. c. n. 16: « Licet Christus in cælo pro nobis oret, nihilominus non habet usus Ecclesiæ orare Christum ut pro nobis oret, sed ut misereatur nostri vel benefaciat nobis; quia, licet utrumque in eodem capite XIV Joan. ipse promiserit: *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam,* et infra: *Ego rogabo Patrem,* tamen primum convenit ei, ut Deus est, secundum, ut est homo; nos autem loquentes cum Christo et colentes illum, semper respicimus ad dignitatem personalem ejus, et ideo loquimur cum illo tamquam cum vero Deo, et ideo non loquimur cum eo tamquam cum intercessore, sed tamquam cum auctore bonorum omnium. » Cfr. etiam in 3 p. l. c. Advertendum autem est, aliud esse orare Christum ut mediatorem, aliud uti mediatione Christi orando ad Patrem, scilicet ei merita Christi Domini repræsentando.

II. De orandis Sanctis et Beata Virgine.

In Ecclesia semper viguit usus orandi Sanctos;

145. *Certum etiam est orationem christianam ab initio consuetam esse dirigi non solum ad Deum et Christum, sed etiam, licet minus præcipue, ad Angelos et Sanctos cum Deo ac Christo regnantes.* Hæc veritas constat a) ex antiquis liturgiis, quæ, etsi forte sæculo IV tantum conscriptæ fuerint, referunt tamen Ecclesiæ primitivæ praxim, sensum et fidem; cfr. Renaudot, *Liturgiarum orientalium collectio*, Assemanus, *Codex liturgicus Ecclesiæ universæ*, Muratori, *Liturgia romana vetus*, Perrone, *De cultu Sanctorum*, c. 3, n. 57. — b) Patet eadem veritas ex inscriptionibus sepulcralibus, quæ in cœmeteriis christianis repertæ, nobis exhibent quid simplices fideles in hac re crederent et agerent; cfr. Perrone, l. c. n. 60, H. De l'Epinois, *Les Catacombes romaines*, c. 18, *Revue archéologique*, mai 1878, etc. — c) Nec desunt testimonia diserta ex Patribus scriptoribusque ecclesiasticis trium priorum sæculorum, inter quos citari potest Origenes, *Contra Celsum*, lib. 8, n. 64, *De oratione*, n. 14, *In Ezech.* hom. I, n. 7; quod si hujusmodi testimonia pauciora sunt, hoc provenit ex causis supra allatis, n. 78 et n. 100. — d) Cæterum ex innumeris textibus auctorum sæculi IV, argumentum habemus non solum directum, sed etiam indirectum; nempe, posito quod invocatio Sanctorum communis fuerit dicto sæculo IV, historice demonstratur eumdem usum exstitisse sæculis antecedentibus, propter innovationis impossibilitatem; cfr. Perrone, l. c. n. 59. — e) Hunc autem usum Ecclesia in suis conciliis asseruit, vindicavit et explicavit; cfr. Synodus Tridentina, sess. 25. — f) Porro nulla difficultas exinde deduci potest quod in sacris Litteris nihil fere reperiatur de Sanctorum invocatione; sub Veteri enim Testamento ista invocatio minus conveniebat, tum propter alias ra-

tiones, tum quia animæ justorum nondum perfecta beatitudine fruebantur; libri autem Novi Testamenti non in eum finem scripti sunt ut in eis traderetur integrum systema doctrinæ revelatæ, sed ut, pro specialibus adjunctis et necessitatibus, peculiaria quædam doctrinæ capita in illis inculcarentur; cfr. Em. Franzelin, *De Trad.* th. IV. Jam vero nulla talis urgebat necessitas agendi de invocatione Sanctorum; præsertim cum ipsa Christi Ecclesia eo tempore primum congregaretur a Sanctis illis, quos maxime veneramur, ita ut pauci essent Sancti novi fœderis, qui jam Christum in cælum secuti erant; justi autem et Sancti antiqui fœderis nexu minus stricto christianis conjungebantur. Cfr. Jungmann, *De Verbo Incarnato,* n. 346.

usus iste non opponitur cultui divino,

146. *Jam vero oratio ad Sanctos, prout in Ecclesia fieri consuevit, minime obstat cultui divino.* Imprimis enim non postulamus a Sanctis ut aliquid nobis concedant potestate propria et independente, sed ab ipsis petimus ut vel aliquid nobis concedant potestate sibi a Deo communicata, vel apud Deum pro nobis intercedant; ad quod significandum Patres antiquiores aliquando dicunt *solum* Deum esse invocandum, ut Origenes, *Contra Celsum*, lib. 8, n. 26. Præterea, non recurrimus ad Sanctos quasi de bonitate Dei diffideremus, neque eos invocamus ut ab ipso Deo exorando quasi dispensemur, sed invocatio Sanctorum Dei invocationem necessario supponit et subsequitur; hoc est quod inculcat S. Chrysostomus, *Hom. 44 in Gen* n. 1 et 2: « Quando quod ex nobis simul est afferimus, ipsa etiam Sanctorum intercessio plurimum nobis confert. Quod si ipsi negligentes fuerimus, et spem in illis *solis* nostræ salutis collocaverimus, nihil amplius nobis confert; non quod minus valeant justi, sed quia propter nostram desidiam nos ipsos prodimus..... Id scientes, dilecti, confugiamus ad Sanctorum preces, et

oremus ut pro nobis intercedant; sed non illorum precibus tantum confidamus, sed et ipsi nostra, ut oportet, dispensemus recte et ad melicra semper converti nitamur, ut locum demus orationi, quæ pro nobis funditur. » Indolem veram invocationis Sanctorum pulcherrime explicavit Suarez. l. c. c. 10, n. 21: « Habet quidem Deus paratissimam voluntatem ad dandum, sed vult dare ordinato modo, juxta dispositionem suæ providentiæ; unde quædam vult dare non rogatus, alia rogatus a nobis tantum, alia et a nobis et ab amicis viventibus rogatus, alia exoratus etiam a Sanctis cum ipso regnantibus. Unde nos non oramus Sanctos, quia de divina voluntate diffidamus, sed ut ordinem providentiæ suæ impleamus; nescimus enim quomodo disposuerit aliquid nobis dare, et ideo plures intercessores adhibemus; simulque Sanctos ejus colendo magis per hoc disponimur ad beneficia, quæ petimus, recipienda. »

147. *Nec magis oratio ad Sanctos, prout in Ecclesia fit, obstat cultui Christi Domini.* Non enim invocamus Sanctos ut mediatores primarios, qui propria virtute nos redimant, sed eos invocamus tamquam mediatores secundarios, quorum nempe tota dignitas est a Christo principali mediatore, et qui per Christum orant, ac nobis conferri postulant fructus passionis et mortis Christi. Cfr. Franzelin *De Christo mediatore*, præn. 8.

nec cultui Christi Domini,

148. *Aliunde oratio ad Sanctos omnino rationabilis est*, suppositis saltem sequentibus conditionibus, nempe quod Sancti nos ament nosque adjuvare parati sint, — quod preces nostras cognoscant, — quod aliquid apud Deum pro nobis possint, — quod recursus ad ipsos Deo placeat. Atqui a) Sancti nos amant, nosque pro viribus adjuvare parati sunt. Sumus enim cum ipsis unum corpus Christi mysticum, cujus membra mutua inter se charitate devinciuntur; hæc autem charitas efficit ut, « si quid

sed e contra omnino rationabilis est.

patitur unum membrum, compatiantur omnia membra, sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. » Cfr. Rom. VIII, 29, 1 Cor. XII, 26, 27, Eph. II, 19, IV, 12, V, 30, Apoc. VI, 11, XXII, 9, etc. Hinc S. Augustinus *Confessionum* lib. 9, c. 3. « Nec sic eum arbitror inebriari ex ea (sapientia) ut obliviscatur mei, cum tu, Domine, quem potat ille, nostri sis memor. » Cfr. *Ench.* c. 56, etc. Et S. Bernardus, *Serm.* 2 *de S. Victore*, n. 3: « Sedet veteranus miles debita jam suavitate et securitate quietus: securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. Non enim cum putredine carnis simul se exuit visceribus pietatis; nec sibi sic induit stolam gloriæ, ut nostræ pariter miseriæ suæque ipsius misericordiæ oblivionem indueret. » — Deinde b) Sancti preces nostras cognoscunt, ut colligitur ex variis S. Scripturæ locis, v. g.: Tob. XII, 12, Zach. I, 12, 13, Luc. XV, 7, 1 Cor. IV, 9, Apoc. V, 8. Hanc autem Sancti cognitionem habent sive per ministerium Angelorum, sive per species ipsis a Deo impressas, sive per revelationem, sive per visionem beatificam; de qua re multa legi possunt apud S. Ambrosium, *De excessu fratris*, lib. 1, n. 73, S. Hieronymum, *Adversus Vigilantium*, n. 6, S. Augustinum, *De Civitate Dei*, lib. 22, c. 29, n. 2, *De Genesi ad lit.* lib. 12, c. 22, n. 48, *De cura pro mortuis agenda*, c. 15, S. Thomam. *Suppl.* q. 72, a. 1; cfr. Scheffmacher, lett. 10, et præsertim Lessius, *De summo bono*, lib. 2, c. 10. — Præterea c) Sancti aliquid possunt pro nobis, quia Deo grati sunt, et aulæ cælestis ministri; adeoque in eorum gratiam et per eorum ministerium Deus nobis plura confert beneficia; cfr. 4 Reg. XIX, 34, Dan. III, 35, etc. Hinc S. Hieronymus, l. c. « Si Apostoli et Martyres adhuc in carne constituti, possunt orare pro cæteris quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphas? » Et S.

Bernardus, *Serm.* 1, *in Vig. SS. Apost. Petri et Pauli,* n. 2: « Qui potens in terra fuit, potentior est in cælis ante faciem Domini Dei sui. » — Tandem d) Deo omnino placet tum interventio dignioris apud ipsum pro minus digno, tum consequenter minus digni ad digniorem recursus in hunc finem; cfr. Gen. XVIII, 23, XX, 7, 17, Ex. XXXII, 9, Job. XLII, 8, etc: *Ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.*

et omnino conformis præsenti œconomiæ divinæ Providentiæ.

149. *Quinimo oratio nostra ad Sanctos eorumque vicissim pro nobis interventio plane conformis est illi divinæ Providentiæ œconomiæ, juxta quam in ordine etiam supernaturali locus est influxui causarum secundarum, simulque prærogativæ Christi capitis a membris corporis ejus participantur.* Filius enim Dei unicus dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus; ipse, qui solus Magister est et Rex et Pontifex, hominibus a se electis tradidit auctoritatem docendi, regendi et sanctificandi populum suum; remittendi peccata et communicandi Spiritum Sanctum; ipse, qui solus lux est, petra et fundamentum, voluit ut Apostoli essent lux mundi, et fundamenta super quibus ædificaretur Ecclesia. Simili ergo ratione, licet ipse solus sit mediator noster primarius, et non sit aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, constituit tamen ut Sancti de mediationis munere nonnihil participarent.

Angeli et Sancti orantur tamquam mediatores secundarii ad Deum, et tanquam Dei ministri;

150. *Itaque Angelos et Sanctos legitime oramus tamquam mediatores secundarios ad Deum, nec non tamquam Dei ministros et instrumenta ad beneficia sua nobis conferenda.* Præclare rem explicavit Suarez hisce verbis quæ referre placet: « Ad Deum oramus ut ad principalem auctorem gratiæ et gloriæ... At

vero ad Sanctos non hoc modo oramus, sed ut intercessores apud Deum sint, et pro nobis impetrent. Hanc differentiam observavit et docere voluit Ecclesia in litaniis. Nam ad Personas divinas et Trinitatem orat: *Miserere nobis;* ad Virginem vero et reliquos Sanctos dicit: *Ora pro nobis.* Et similiter cum in Missa vel oratione publica aliquid per Sanctos petit, a Deo directe petit, per merita et intercessionem Sanctorum. Imo interdum a Deo ipso petit ut Sanctus aliquis pro nobis intercedat, ut in collecta S. Lucæ..... Dices: interdum Ecclesiam orare Sanctos ut ipsi faciant, ut ad Virginem orat: *Tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Et Apostolos precatur: *Nos a peccatis omnibus solvite jussu quæsumus:* ubi ponderanda est particula *jussu;* nam majorem potentiam et efficaciam significat quam impetrationem. Imo ibidem additur: *Quorum præcepto subditur salus et languor omnium, sanate ægros moribus, nos reddentes virtutibus.* Respondemus imprimis, cultum non tam ex verbis et externis signis quam ex intentione discernendum esse; sæpe enim intercessorem rogamus eisdem verbis quibus auctorem beneficii, ut quod misereatur nostri, quod hoc bonum nobis concedat, et similia; semper tamen intelligimus ut id faciat pro nobis intercedendo... Deinde addo interdum posse Sanctum cooperari Deo ad aliquod beneficium nobis præstandum, non solum orando sed etiam ministerium aliquod sibi a Deo collatum exhibendo. Et tunc licitum est petere a Sancto, ut ipse nobis conferat illud beneficium, non solum orando sed etiam cooperando, prout potest vel quantum a Deo ei commissum est. Sic potest unusquisque orare ad suum Angelum custodem, ut se protegat, illuminet et juvet... Sic etiam a Sancto aliquo, si credamus habere gratiam miraculorum,

sanitatem postulare possumus, ut id faciat secundum gratiam sibi a Deo concessam. Quod significare videtur Augustinus, 22 libro *de Civitate Dei*, c. 10, ubi de miraculis, quæ ad memoriam Sanctorum fiunt, ait: Faciunt autem ista martyres vel potius Deus, vel orantibus aut cooperantibus eis; ubi duplicem causalitatem tribuit Sanctis, orationem et cooperationem; utramque ergo possumus ab eis postulare. Et ad hunc modum possunt exponi verba adducta ex hymno Apostolorum », l. c. c. 10, n. 7.

legitime alii Sancti orantur pro aliis gratiis obtinendis;

151. Tria porro in præsenti remanent advertenda. Imprimis a) sicut in corpore non omnia membra eumdem habent actum, neque in aliquo regno omnes ministri eodem funguntur munere, neque natura ubique easdem exserit vires; ita nemini mirum videri debet, si Deus dividens munera sua prout vult, specialia quædam beneficia per hos potius quam per alios velit elargiri Sanctos; hinc neque superstitiosum dicere licebit, si idcirco fideles *alios pro aliis gratiis obtinendis invocent Sanctos*. Ad hæc, propter arctiorem alicujus Sancti ad certas personas, urbem, societatem, etc. relationem conjunctionemque, merito confidimus eum impensius etiam pro his intercedere, unde ceu patronum specialem posse invocari. Ad rem S. Augustinus: « Sicut enim..... non omnes Sancti habent dona curationum,.... ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult. » *Epist.* 78 (al. 187) n. 3. Cfr. S. Thomas, *Suppl.* q. 72, a. 2 ad 2. — b) Præterea Sancti non solum dicuntur orare pro nobis, sed etiam dicuntur *nostras orationes Deo offerre;* quod quomodo intelligi debeat, bene explicat Suarez, l. c. c. 11, n. 8, ubi ostendit « nihil aliud esse Sanctum aliquem offerre Deo orationem alicujus viatoris, nisi narrare apud Deum quid viator ille desideret ac postulet, quod variis modis intelligi potest. Primo, quando

Sancti etiam offerunt Deo orationes nostras.

viator orat ad Sanctum ut hoc vel illud sibi impetret a Deo, et postea Sanctus hoc ipsum præsentat seu narrat Deo. Et tunc simul ipse orat, et præsentat orationem alterius, orationem, inquam, non Deo immediate factam, sed sibi. Unde tunc Sanctus directe orat, et intercedit pro viatore, ut desiderium ejus impleatur. Ad hoc autem obtinendum præsentat petitionem sibi factam, quasi pro titulo et ratione obtinendi a Deo, id quod impetrat..... Alio modo potest hoc contingere, quando viator optat quidem petere ab ipsomet Deo, sed non audet per se ipsum accedere, et ideo rogat Sanctum aliquem, ut orationem suam præsentet Deo. Tunc enim Sanctus per se primo præsentat Deo petitionem, quam viator ab ipsomet Deo immediate postulat, sed in signum devotionis et humilitatis, vult per digniorem personam præsentari. Unde etiamsi intelligamus tunc non adjungere Sanctum propriam et immediatam intercessionem, ut oratio viatoris exaudiatur, per hoc solum quod alterius orationem præsentat, illi addit, ut sic dicam, vim et pondus ad impetrandum ; credibile autem est semper adjungere intercessionem suam. Nihilominus tamen, satis differunt, ratione formali, orare Deum pro alio, vel offerre Deo orationes alterius ; et hoc posterius semper supponit orationem aliquam hominis Sancto oblatam; illud vero prius non semper supponit orationem hominis; nam orant Sancti pro nobis, etiam non rogati a nobis. » — Tandem c) aliud est orare Sanctos ut mediatores nostros secundarios, aliud uti eorum mediatione secundaria seu orare Deum propter Sanctos, ei repræsentando ipsorum merita, quemadmodum Judæis solemne erat provocare ad merita Patriarcharum, ut constat ex Ex. XXXII, 13, Dan. III, 35, etc. : *Recordare, Domine, Abraham, Isaac et Israel, servorum tuorum, — Neque auferas misericordiam tuam a nobis, propter*

Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum.

Præ cæteris sanctis exoranda est Beata Virgo Maria,

152. *Præ cæteris autem Sanctis exoranda est et in Ecclesia semper exorata fuit Beata Virgo Maria,* quia, ut mater nostra, magis nos amat quam alii Sancti, et, ut mater Dei, efficacius nos adjuvare valet. Cfr. supra, n. 77-79 et 148. Imo eo magis ad eam recurrendum est, quod, juxta piam ac receptissimam sententiam, ejus interventus apud Deum pro nobis, non solum utilis sit, sed etiam necessarius ; quatenus nempe, ex divina ordinatione, gratiæ nobis non concedantur nisi per Mariam, quæ constituta est bonorum omnium thesauraria. Hæc sententia a) erui potest ex Ecclesiæ catholicæ liturgia in qua Beatæ Virgini applicantur verba quæ leguntur Eccli XXIV, 25, Prov. VIII, 35, aliaque hujusmodi: *In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. — Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* — Eadem sententia b) non obscure traditur a SS. Patribus; ita v. g. S. Germanus, *In S. Mariæ Zonam* (apud Migne, *Patr. Græc.* tom. 98, col. 379): « Ad te confugimus. Plane enim nullus tuæ magnificentiæ finis; insatiabilis opitulatio tua. Nullus munerum tuorum numerus est. Nemo enim nisi per te, o sanctissima, salutem consequitur. Nemo nisi per te, o immaculatissima, qui a malis liberetur. Nemo nisi per te, o castissima, cui donum indulgeatur. Nemo nisi per te, o honoratissima, cui gratiæ munus misericorditer præstetur. » Et S. Petrus Damianus, *Serm.* 11, *De Annuntiatione Beatissimæ Virginis Mariæ,* in fine : « Dulcis Dominus, dulcis Domina, quia ille Deus meus misericordia mea, hæc Domina mea misericordiæ porta. Ducat nos mater ad Filium, filia ad patrem, sponsa ad sponsum, qui est benedictus in sæcula. » Omnibus nota sunt verba S. Bernardi, *In Nativitatem B. M. V.* n. 7 : « Sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In

quia, juxta sententiam piam ac valde receptam, constituta est omnium gratiarum thesauraria.

omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. An vero trepidas et ad ipsum? Frater tuus est et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potest-ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam; non audire aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. *Invenisti*, ait Angelus, *gratiam apud Deum*. Feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, et sola est gratia, qua egemus. » — Consentiunt c) theologi præstantissimi, inter quos speciali modo istam doctrinam asseruit ac pluribus propugnavit S. Alphonsus. — Quinimo d) ipsi summi Pontifices eamdem sententiam in gravissimis documentis expresserunt; ita v. g. Pius IX, in *Encyclica* 2 Februarii 1849: « Optime enim nostis, venerabiles Fratres, omnem fiduciæ nostræ rationem in SS. Virgine esse collocatam; quandoquidem Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. » — Tandem e) hæc sententia confirmatur ratione theologica, si-

quidem cooperatio Mariæ in gratiarum elargitione respondet ipsius cooperationi in mysteriis Incarnationis et Redemptionis. Qua de re legi omnino meretur opusculum R. P. Jeanjacquot, cui titulus: *Coopération de la Sainte Vierge à l'œuvre de la Rédemption*, præsertim p. 3, cap. 3, ubi de præsenti materia agit. Cfr. Suarez, *De Incarn.*, p. 2, disp 24, s. 3.

Incertum est utrum orari possint animæ in purgatorio detentæ.

153. Controvertitur utrum saltem privatim orari possint *animæ in purgatorio detentæ*. Theologi vetustiores communius tenuerunt opinionem negativam; ita Alex. Alensis, 4 p., q. 26, m. 3, a. 5, § 1, S. Thomas, 2. 2. q. 83, a. 11, ad 3, S. Antoninus, 4 p. tit. 5, c. 3, § 2, etc. Rationes eorum sunt, quod istæ animæ non sint in statu succurrendi aliis, sed patiendi, et quod non cognoscant preces nostras. At hujusmodi rationes alii insufficientes arbitrati sunt, qui idcirco affirmativam opinionem amplexi sunt; ita J. Medina, *De Oratione*, q. 4, etc. Alteram istam opinionem Arragon, q. 83, a. 4, vocat « ad concionandum magis piam atque utiliorem. » Suarez vero, relatis utriusque partis momentis, sic concludit, lib. 1, c. 10, n. 28: « Qui in hoc modo orandi (ad animas Purgatorii) fructum et devotionem senserit, non videtur ab illo revocandus, quamquam per se loquendo non videatur necessarius, quia devotio ad animas Purgatorii magis ostenditur, suffragando illis per opera satisfactoria, et orando pro illis, et hoc satis est ut ipsæ moveantur ad orandum pro nobis, quando et quomodo potuerint juxta divinam ordinationem. » Cfr. Th. Raynandus, *Heteroclita spiritualia*, p. 3, p. 1, q. 4, ubi tota controversia exponitur.

Possunt aliquo modo orari viatores.

154. Quod pertinet ad homines sanctos et justos in terris adhuc degentes, nulla videtur esse ratio quominus etiam ad ipsos oratio dirigi possit; sunt enim capaces alicujus duliæ; cfr. supra, n. 76. Advertendum tamen est, orationem non haberi per hoc solum quod aliquis petat pro se orationes alterius, ut patet ex iis quæ diximus n. 134 et 135.

§ III

De iis qui orare possunt.

Oratio est actus proprius creaturæ rationalis.

155. Ex data notione orationis patet eam propriam esse *creaturæ rationali;* sola enim creatura rationalis suam submissionem intellectu et voluntate superiori testificari potest deprecando. Ita S. Thomas 2, 2 q. 83, a. 10: « Oratio est actus rationis per quem aliquis superiorem deprecatur, sicut imperium est actus rationis quo inferior ad aliquid ordinatur. Illi ergo proprie competit orare cui convenit rationem habere et superiorem, quem deprecari possit. »

Hinc personæ divinæ, qua tales, orare nequeunt;

156. *Hinc personæ divinæ, qua tales, proprie orare nequeunt, sicut nemini cultum præbere possunt.* Quod si Rom. VIII, 26, Spiritus Sanctus dicitur postulare pro nobis, hoc ita accipiendum est quod sua operatione nos orantes ac postulantes faciat, non vero quod per se intercedat; simili fere ratione, ad Gal. IV, 6, dicitur clamare Abba, Pater, quia nos clamare facit. Cæterum non desunt qui ibi nomine spiritus intelligant gratiam spiritualem, non vero ipsam tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam. Cfr. Estius in h. l., Suarez, *De Trinitate*, lib. 2. c. 6, Petavius, *De Incarnatione*, lib. 12, c. 8. etc.

attamen Christus Dominus secundum humanitatem orare potuit, et oravit in vita sua mortali;

157. *Attamen Christus Dominus secundum humanitatem orare potuit et vere oravit in vita sua mortali;* constat ex plurimis S. Scripturæ locis, nominatim Matth. XXVII, 46, Luc. VI, 12, XXII, 32, XXIII, 34, 46, Joan. XII, 27, 28, XVII, Heb. V, 7, etc; quæ omnia, sicut proprie dictum genus orationis significant, ita proprie intelligenda sunt ac semper proprie intellecta fuerunt ab universa Ecclesia. Cur autem decens fuerit Christum orare, satis ex honestate ipsiusmet actus perspici potest; continet enim decentissimum Dei cultum et ideo conveniens fuit ut Christus, quatenus homo, illum Patri exhiberet et mente et corpore.

Cfr. Suarez, in 3 p. disp. 45, s. 1. Oravit autem Christus tum maxime pro humano genere, tum etiam pro se, ut explicat S. Thomas 3 p. q. 21, art. 1-3. Porro Christum etiam nunc in cælis gloriosum apud Patrem pro nobis *interpellare*, nostrumque *advocatum* esse, disertissime traditur in sacris Litteris, nempe Rom VIII, 34, Heb, VII, 25, 1 Joan. II, 1. Multum tamen disputatur utrum hæc interpellatio ex parte Christi consistat in sola exhibitione suorum meritorum et repræsentatione sui ex natura humana quam in cælum assumpsit, an vero etiam comprehendat proprie dictam orationem. Adhæremus sententiæ Suaresii existimantis « Scripturis et pietati magis consentaneum videri quod Christus vere pro nobis in cælo oret. Ipse enim Dominus promisit se, postquam jam abierit ad Patrem, *rogaturum* ut mittat alium Paracletum, Joan. XIV, 16. » Aliunde, ut bene arguit Suarez, « oratio non dedecet Christum, eo quod Deus est, nam est etiam homo: alias neque in hac vita unquam orasset; neque quia beatus est: alias neque alii beati orarent;... oratio ergo nullam includit imperfectionem repugnantem aut divinitati aut beatitudini Christi; ergo non est cur non oret. » Quinimo « oratio est cultus religionis Deo debitus; Christus autem in cælo Deum religione colit, adorat, laudat et gratias agit: cur ergo non etiam postulet? » Præterea, « in omni statu operatur pro salute hominum quidquid commode potest; potest autem in statu patriæ orare et impetrare, quia hæc non repugnant cum illo statu. » in 3 part. disp. 45, sect. 2; cfr. etiam pro eadem sententia Petavius, *De Incarn.* lib. 12, c. 8, Lessius, lib. 2, c. 37, dub. 5, n. 24, Sylvius, in 3 p. q. 21, a. 1; Estius in Rom. VIII, 34, Toletus in Joan. XVI, adn. 55; pro parte vero opposita videri possunt Vasquez, disp. 82, c. 2, Arragon in 2. 2. q. 83, a. 11, Thomassinus, *De Incarn.* lib. 9, c. 6.

Christi autem interpellatio in cælo probabilius est vera oratio.

158. *Angeli et Sancti cum Christo regnantes orare possunt* tum pro *viatoribus* tum pro *animabus* in pur-

Orare possunt Angeli et Sancti;

gatorio detentis, idque sive in generali sive in particulari; cfr. supra, n. 136. Quinimo Sancti probabiliter orare possunt etiam pro *se*, non quidem in ordine ad gloriam essentialem, sed in ordine ad gloriam *accidentalem;* quo referunt illud Apoc. VI, 9, 10: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant: et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine (sanctus et verus) non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 83, a. 11, ad 1, Suarez, *De Religione,* tr. 4, lib. 1, c. 11, n. 9. Porro existimamus cum eodem Suarez quod, licet Sancti non orent alii ad alios, cum omnes sint ejusdem ordinis, preces tamen suas dirigunt ad Beatam Virginem, eorum dominam et reginam; et hinc consequenter ortum est ut, inter cæteros Sanctos, non utamur uno tamquam intercessore ad alium, ad Mariam autem alii adhibeantur intercessores. Cfr. in 3 part. tom. 2, disp, 23, c. 3.

etiam animæ in purgatorio detentæ,

159. *Animæ in purgatorio detentæ certo orare possunt pro seipsis,* ut a pœna liberentur; qui enim in gravi afflictione constitutus est, et scit aliqua esse remedia, quibus juvari possit, procul dubio orat ut ea adhibeantur; jam vero animæ purgantes sciunt extare hujusmodi remedia, ut sacrificia, preces, jejunia, eleemosynas, etc; ergo petunt ut hæc sibi applicentur et ut Deus fideles ad hoc excitet. An autem orent pro *vivis*, non satis constat: videtur negare S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 11, ad 3; probabilius tamen affirmant Bellarminus, *De Purgat.* lib. 2, c. 15, Greg. De Valentia, disp, 6, q. 2, p. 6, Becanus, c. 83, q. 5, aliique non pauci; Suarez, l. c. n. 16 et 17, expensis utriusque partis rationibus ita concludit: « Est ergo hæc sententia pia et probabilis, et quamvis sit incerta, sufficit ut possint viatores benefacere animabus purgatorii eo fine ut orationes earum magis participent. »

non autem damnati.

160. *Damnati in inferno existentes proprie orare nequeunt,* quia carent auxilio gratiæ, ac pio submissio-

nis affectu, ex quo oratio procedere debet; cfr. supra, n. 133—137. Potest tamen aliqualis petitio Deo ab illis fieri, ut cum Satan petiit tentare Job, et cum dives epulo petiit Lazarum ad se mitti; cfr. Job, I, 11, Luc. XVI, 24.

Omnes viatores orare possunt,

161. *Fideles viatores orare possunt, etiamsi attigerint apicem perfectionis*, ut ex ipsa notione orationis constat, et colligitur ex proscriptione sequentis propositionis Michaelis de Molinos, quæ est 14ª inter damnatas ab Innocentio XI, 20 Nov. 1687 : « Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ; et illud Evangelii: Petite et accipietis, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere. » Cfr. Matthæucci, in h. p.

quantumvis impii et peccatores.

162. *Omnes fideles orare possunt quantumvis impii et peccatores;* constat tum ex sacris Litteris, v. g. Ps. CVI 11-13 et 2 Esd. IX, 26-27 tum ex scriptis sanctorum Patrum, v. g. S. Augustini, *Serm.* 135, c. 5, n. 6, Origenis, *in Isaiam*, hom. 5, n. 2, etc.; cfr. S. Thomas 2. 2. q. 83, a 13. Textus autem, qui in contrarium aliquando afferuntur, vel agunt de oratione quæ male fit et ad malum, vel unice significant orationem peccatoris minus efficacem esse, quod omnes admittunt. Cfr. Prov. XV, 8, XXVIII, 9, Ps. LXV, 18. Hinc merito damnata est propositio Quesnelli 59ª: « Oratio impiorum novum est peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium. » Cfr. Collet, *De Religione*, c. 2, art. 6, ac præsertim Suarez, l. c. c. 12.

Oratio infidelium.

163. De *infidelibus* autem dubium non est quin, pro cognitione quam habent de Deo, possint petere, et fortasse honesta intentione et sine circumstantia moraliter mala, quamvis hæc ipsorum petitio non sit

vere oratio supernaturalis, prout fusius alibi explicatur.

§ IV.

De rebus quæ oratione peti possunt.

Objectum orationis est bonum;

164. Ex definitione orationis communiter recepta, qua scilicet dicitur petitio *decentium* a Deo, facile deducitur ejus objectum esse *bonum*. Hoc tamen principium non paucis explicationibus indiget, quibus aliquæ notiones necessario præmitti debent.

bonum definitur: ratio perfecti, quod est appetibile;

165. Bonum a S. Thoma, 1. q. 6, a. 1, declaratur esse « ratio perfecti, quod est appetibile. » His autem verbis notio datur tum boni *in se*, tum illius quod est bonum *alteri*. Bonum *in se* est illud quod habet omnia sibi convenientia, et ideo recte vocatur *ratio perfecti;* bonum vero *alteri* est quod alteri convenit, et ideo dicitur *quod est appetibile;* patet non posse aliquid esse bonum alteri nisi sit bonum in se.

et distinguitur in bonum utile, honestum et delectabile,

166. Bonum multipliciter distingui debet. a) Imprimis nempe bonum est vel *utile*, vel *honestum*, vel *delectabile:* bonum *utile* illud dicitur, quod alteri conveniens est tamquam medium ad aliquid consequendum; bonum *honestum* illud dicitur, quod alteri convenit quatenus ipsum perficit eique honorem affert; tandem bonum *delectabile* illud dicitur, quod alteri convenit quatenus ipsum satiat; porro honestum, delectabile et utile, juxta debitum ordinem, ita se excipiunt ut honestum causa sit, non medium, boni delectabilis, utile vero ordinetur tum ad honestum tum ad delectabile, ad illud principaliter, ad hoc ut ad effectum honesti. — b) Deinde bonum est *internum*, *externum* et *mixtum:* bonum *internum* illud est, quod homini inhæret, et distinguitur in bonum animæ, ut scientia, et bonum corporis, ut sanitas; bonum *externum* illud dicitur, quod

in internum, externum et mixtum,

extra hominem est, et constituitur terminus operationum, ut pecunia; bonum *mixtum* illud dicitur, quod partim in homine, partim extra ipsum concipitur, ut honor. — c) Bonum est *ontologicum* vel *morale:* bonum *ontologicum* (alii dicunt physicum) proprium est rei; bonum *morale* (alii dicunt stricte honestum) proprium est actui libero. — d) Bonum est *naturale* et *supernaturale:* bonum *naturale* est illud, quod convenit creaturæ qua tali, eamque in ordine creaturarum perficit; bonum *supernaturale* illud est, quod ita creaturam perficit ut eam supra conditionem suam evehat ad ordinem divinum. — e) Tandem bonum est *necessarium* vel *liberum*, prout enti inesse debet vel non, idque vario modo et in vario gradu.

in ontologicum et morale,

in naturale et supernaturale,

in necessarium et liberum.

167 Bono opponitur malum; malum autem est vel malum *in se* vel malum *alteri*. Malum *in se* illud dicitur, quod non habet ea quæ sibi debita sunt; malum vero *alteri* illud dicitur, quod ipsi nocet. Porro malum distinguitur in *turpe*, *contristans* et *impediens*, *ontologicum* et *morale*, prout opponitur bono honesto, delectabili vel utili, etc. Advertendum autem est, cum malo *in se* et malo *alteri*, confundi non posse malum *absolutum* et malum *relativum;* malum enim absolutum illud dicitur, quod omnibus inspectis tale remanet, malum autem relativum vocatur, quod sub uno quidem respectu nocet, sub aliis tamen respectibus potioribus prodest.

Notio et distinctio mali.

168. Quibus præmissis seorsim dicemus de petitione bonorum supernaturalium et de petitione bonorum naturalium: hæc enim est potissima distinctio in præsenti ante oculos habenda ut tota materia delucide tractetur; postea aliquid addemus de petitione mali.

I. De petitione bonorum supernaturalium.

169. Bona supernaturalia ordinis *beatificationis*,

Bona supernaturalia

ordinis beatificationis

scilicet gloria cælestis, peti debent *absolute*, *propter se* ac *sine limitatione:* constat ex ipsa rei natura, et clare habetur in oratione dominica: *Adveniat regnum tuum;* cfr. Suarez, l. c. c. 20, n. 1-2.

et sanctificationis petl possunt propter se, absolute, et absque limitatione;

170. Bona supernaturalia ordinis *moralis* et *sanctificationis*, scilicet gratia actualis, virtutes et dona, merita ac satisfactiones, gratia habitualis, etiam peti possunt et debent; et quidem peti debent *propter se*, quia sunt honesta et in se amabilia, quamvis peti non possint propter se tamquam finem ultimum, nam non sunt nisi media ad vitam æternam; cfr. Suarez, l. c. c. 21, n. 8; præterea peti possunt *absolute*, id est, sine conditione, non solum si petantur ut necessaria, sed etiam si petantur in abundantia; nam, ut recte arguit Suarez, « talia bona neque per se neque per accidens videntur esse posse occasio ruinæ », et « si daremus, posse hominem aliquando inde in superbiam efferri, per talem orationem virtute postulamus ut id nobis non eveniat, atque ita non petimus sub conditione, sed potius petimus perfectionem contrariam illi conditioni, seu excludentem illam: quod patet, quia petendo perfectam sanctitatem, petimus humilem (ut sic dicam) sanctitatem et solidam virtutem, quæ cum elatione esse non potest », l. c. c. 20, n. 5. Tandem eadem bona peti possunt *absque limitatione*, dummodo vitentur temerariæ comparationes, et præsumptuosa desideria. Cfr. Suarez, l. c. c. 21, n. 10.

supernaturalia ordinis ontologici peti nequeunt nisi sub conditione;

171. Bona supernaturalia ordinis mere *ontologici*, scilicet gratiæ quæ vocantur gratis datæ et charismata, peti nequeunt nisi *sub conditione*, et, ut loquitur Suarez, « cum magna cautela, prudentia et humilitate », l. c., c. 20, n. 5.

hæc bona petuntur concedenda juxta

172. Per orationem petitur ut bona supernaturalia nobis concedantur *juxta ordinem a Deo statu-*

tum; ordo autem ille est ut remissio peccatorum habeatur per pœnitentiam, merita acquirantur per bona opera, vita tandem æterna meritis rependatur; hinc præcipue postulamus ut nobis media præbeantur atque auxilia dentur quibus adjuti bene vivamus et perseveremus. ordinem a Deo constitutum,

173. Denique bona supernaturalia peti possunt ac debent *per Christum,* qui ea omnia passione et morte sua nobis promeritus est. et per Christum.

II. De petitione bonorum naturalium.

174. Bona naturalia *honesta* in oratione peti possunt *propter se,* quia in se amabilia sunt, dummodo tamen non petantur tamquam fines ultimi; eadem autem bona peti possunt *absolute,* quin necessaria sit conditio expresse apposita, quamvis concedendum sit semper supponi conditionem interpretativam, in hoc consistentem quod orans ita sit habitualiter dispositus, ut ea bona nolit si futura sint occasio ruinæ; cfr. Suarez, l. c. c. 17, n. 7-10, ubi sic concludit: « Tandem dicimus (ne solum de nomine fiat disputatio) omnes fateri, actum illum, prout a nobis declaratus est, esse licitum, etiamsi ex particulari intentione operantis, vel præsenti ac formali vel præterita et virtualiter manente, conditio non apponatur, quia nimirum operans nihil unquam de illa cogitavit. Si quis autem contendat ex natura operis interpretative includi illam conditionem, non esset fortasse contradictio in re; nam certe qui hæc bona honeste desiderat, semper habet hanc animi præparationem, ut si virtutem sint impeditura, vel si futura sint in occasionem ruinæ, ea nolit; hæc vero conditio magis esse intelligitur in bona dispositione subjecti quasi habituali, quam in ipsomet actu petendi, et ideo illum absolutum vocamus. » Bona naturalia honesta peti possunt propter se et absolute;

utilia autem peti nequeunt nisi propter finem aliquem bonum.*

175. Bona naturalia mere *utilia*, ut divitiæ, etc. peti non possunt propter se, sed tantum propter finem aliquem bonum; quod si desiderentur cum moderatione et in quantum sunt necessaria ad hujus vitæ commoditatem, peti possunt absolute et absque conditionis appositione; si autem desiderentur cum excessu et in abundantia, peti non debent, etiam propter bonum finem, nisi sub conditione: sunt enim periculosa. Attamen in absoluta petitione *abundantiæ* talium bonorum, imperfectio potius aliqua haberi videtur quam proprie dictum peccatum. Cfr. Suarez, l. c. c. 17, n. 12-15.

In oratione petitur ut hæc bona nobis obveniant secundum ordinem divinæ Providentiæ.

176. Per orationem communiter petitur ut bona naturalia nobis obveniant *juxta ordinem divinæ providentiæ*, non solum generalis sed etiam specialis, adeoque mediantibus causis secundis. Jam vero inter bona naturalia, a) alia sunt quorum acquisitio pendet ab agentibus liberis, cujusmodi sunt victoria in bello, pax etc.; in hoc autem casu postulamus ut ad finem nostrum voluntates moveantur et operationes dirigantur. b) Alia vero sunt quæ directe pendent a causis physicis, indirecte autem ab agentibus liberis, quatenus scilicet pro varia ratione qua elementa applicentur, vario modo agant causæ physicæ et diversi obtineantur effectus; in hoc autem casu postulamus ut ad finem nostrum debito modo elementa applicentur sive ab hominibus, sive ab Angelis, sive ab ipsomet Deo. Ita optime Suarez: « Hæc naturalia beneficia... licet per se pendeant ex causis naturalibus vel objectis et aliis principiis, tamen concursus ipsarum causarum pendet ex variis motibus, qui sine miraculo possunt a Deo fieri, vel per Angelos vel ad nutum suæ voluntatis. Et hoc modo possunt, sine miraculo per specialem providentiam Dei vel præparari apti concursus causarum secundarum tum efficientium tum materialium, ut talis effectus sequatur, vel possunt auferri

impedimenta, quæ Deus novit futura, si omnes inferiores causæ suum cursum agere sine interventu alicujus providentiæ specialis sinerentur. Hoc ergo modo postulamus a Deo peculiarem protectionem et curam in præstando nobis hæc bona, quod non est tentare ipsum vel ejus potentiam, sed est supernaturalem ejus providentiam recognoscere. Eo vel maxime quod non absolute petimus extraordinarias illas actiones divinæ providentiæ, sed solum quatenus ad effectum consequendum fuerint necessariæ. Sæpe enim effectus a nobis desideratus ac postulatus eveniet per communem cursum causarum naturalium, et tunc satis exaudit Deus orationem pro tali effectu, si cum hujusmodi causis concurrat, et non permittat per actionem dæmonum impediri, prout interdum potest, quod etiam nos postulamus, quando hæc bona petimus. » — c) Præterea etiam rationabiliter peti possunt ea bona quorum consecutio supponeretur pendere a solo influxu agentium physicorum, et a determinata serie causarum et effectuum naturalium; relate enim ad hujusmodi bona oratio in tempore facta optime intelligitur ratio cur Deus ab initio talem vel talem seriem phænomenorum ordinaverit. (1) — d) Quamvis

(1) Ita Euler pulcherrime scribit: « Je remarque d'abord que, quand Dieu a établi le cours du monde, et qu'il a arrangé tous les événements qui devaient y arriver, il a eu égard à toutes les circonstances qui accompagnaient chaque événement, et particulièrement aux dispositions, aux vœux et aux prières de chaque être intelligent, et que l'arrangement de tous les événements a été mis parfaitement d'accord avec toutes ces circonstances. Quand donc un fidèle adresse à Dieu une prière digne d'être exaucée, il ne faut pas s'imaginer que cette prière ne parvient qu'à présent à la connaissance de Dieu. Il a déjà entendu cette prière depuis toute l'éternité, et, si ce père miséricordieux l'a jugée digne d'être exaucée, il a arrangé exprès le monde en faveur de cette prière, en sorte que l'accomplissement fût une suite du cours naturel des événements. C'est ainsi que Dieu exauce les prières des fidèles sans faire des miracles, quoiqu'il n'y ait aucune raison de nier que Dieu ait fait et fasse

Petitio miraculi.

hæc ita sint, tamen non repugnat ut aliquando in oratione petamus bona quædam nobis etiam miraculose conferri. Ita Suarez, l. c. c. 18, n. 8: « Quoniam interdum fieri potest ut ad obtinendum bonum postulatum... neque ordinaria neque extraordinaria naturalis providentia sufficiat, sed miraculosa necessaria sit, nullum est inconveniens quod ad hoc totum extendatur orantis intentio et petitio; quia hoc non est tentare Deum, quia non petitur simpliciter miraculum, sed sub conditione, si fuerit necessarium et supposita convenientia beneficii postulati. Et hoc modo credendum est orasse Ezechiam, quando salutem postulavit et obtinuit, et in Scriptura inveniuntur plures orationes similes... Sic etiam solent fideles petere salutem vel similia bona in locis piis, in quibus solet Deus ea miraculose operari in Christi honorem, vel Vir-

encore quelquefois de vrais miracles. L'établissement du cours du monde une fois fixé, loin de rendre nos prières inutiles, comme le prétendent les esprits forts, augmente plutôt notre confiance, en nous apprenant cette vérité consolante, que toutes nos prières ont été déjà présentées dès le commencement au pied du trône du Tout-Puissant, et qu'elles ont été placées dans le plan du monde, comme des motifs sur lesquels les événements devaient être réglés, conformément à la sagesse infinie du Créateur. *Lettres à une princesse d'Allemagne*, 90e. Cfr. Dupont, *Théodicée*, th. 83.

Optime etiam R. P. Carbonnelle S. J.: « La série des événements et l'état initial dont elle dépend ont été choisis en vue des actes libres, et, entre autres, des prières que nous devions adresser à Dieu; ce qui fait que tout en dérivant, par les lois naturelles, de l'état initial du monde, tout en restant de purs événements naturels, les bienfaits temporels que Dieu nous accorde peuvent très-bien avoir pour cause déterminante la demande que nous lui en faisons. Sans notre demande, un autre état initial aurait, de par les mêmes lois, amené un résultat tout différent. Nos prières ne sont donc pas inutiles, puisqu'elles peuvent être la cause qui, dans la prescience divine, détermine l'événement; elles ne sont pas présomptueuses, puisqu'elles ne demandent aucune dérogation au cours de la nature. » *L'aveuglement scientifique*, VI, in doctissimo opere periodico *Revue des questions scientifiques*, oct. 1878. Cfr. etiam R. P. Delvaux, *Les derniers écrits philosophiques de M. Tyndall*, c. 14.

ginis, aut alicujus Sancti per ejus intercessionem » (1).

177. Remanet examinandum an hæc bona naturalia oratione peti possint *per Christum;* de qua re ita scribit Suarez, l. c. c. 18, n. 10—12 : « Supponimus spiritualia omnia per Christum peti posse Ex quo recte concluditur, temporalia bona, si tantum ut instrumenta virtutis et in ordine ad spiritualem salutem animæ petantur, per Christum

Bona naturalia peti possunt per Christum.

(1) Ex his omnibus apparet quam insulsa sint ea quæ J. Simon habet de objecto orationis. « On ne lui (à Dieu) adressera pas non plus de demandes frivoles. On ne lui dira pas: « Faites que cette poire murisse; » ou: « Faites que je gagne ce procès » Il n'est pas permis de demander à Dieu des choses pour lesquelles on rougirait d'importuner un ami .... En courant dans une plaine, je sens tout à coup que la terre me manque et que je suis précipité: « O mon Dieu, sauvez-moi! » c'est le cri que la nature m'inspire. Mais comment Dieu me sauvera-t-il, sera-ce par un miracle en suspendant les lois de la pesanteur? Non, cette espérance ne traverse même pas mon esprit. Je demande à Dieu de me faire trouver une branche secourable, au lieu de me laisser rouler jusqu'à l'abîme. Mais cette branche, elle est là dans la direction de mon corps. Si elle y était avant ma prière, j'ai prié en vain; si elle n'y était pas, et que Dieu l'y mette, ce miracle n'est pas moins étonnant que de suspendre les lois de la pesanteur. Ainsi, ma prière, si elle est sérieuse, est la demande formelle d'un miracle. C'est qu'au fond, elle n'est que l'instinct irréfléchi d'un être faible qui se sent périr, et qui invoque le Dieu dont il tient la vie. Si nous savions toujours ce que nous faisons quand nous prions, nous ne demanderions pas si facilement des miracles; et nous ne les demanderions pas pour obtenir un jour de plus à passer loin de Dieu sur cette terre..... Mais si nous ne crions au Ciel ni pour la peine ni pour le travail, quelle est donc la prière légitime? Nous pouvons demander la force, la résignation, la vertu; le bien de l'âme, non celui du corps; ce qui est de notre destinée, et non ce qui ne touche qu'à notre épreuve. Voilà la vraie prière, la seule permise. Nous ne dirons pas: « Mon Dieu, fais pousser mes épis; » mais nous dirons: « Mon Dieu, donne-moi le courage de semer; » ou: « Console-moi de n'avoir pas récolté. » Nous ne dirons pas: « Mon Dieu, fais-moi gagner mon procès » mais: « mon Dieu fais que le procès soit gagné par celui qui a la cause juste, et si je dois perdre, fais que je supporte le malheur en homme. » C'est de cette prière que nous parlons, et comme elle n'est au fond qu'un ferme propos de faire le bien, et qu'une aspiration vers Dieu, elle n'a rien qui ne puisse se concilier avec l'immutabilité divine». l. c.

peti posse, quia talia bona sub ea ratione considerata spiritualia censentur; unde sub meritum cadere possunt, et ita etiam Christus nobis illa meruit. Atque hoc confirmat usus Ecclesiæ: nam etiam quando salutem corporalem, pluviam congruentem, victoriam contra inimicos, et alia similia bona postulat, concludit orationem: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, quia semper postulat hæc bona cum expressa habitudine ad spiritualem fructum, ut in oratione pro infirmis ait: *Ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia referant actiones;* in oratione pro pluvia: *Ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti sempiterna fiducialius appetamus,* et sic de aliis. Difficultas ergo est, quando hæc bona petuntur tantum propter commoditatem naturæ, recta ratione regulatam. Et ratio dubitandi est, quia petere aliquid per Christum est propter meritum ejus postulare; at Christus non meruit nobis temporalia bona sub ea ratione spectata; quia non venit ut hæc temporalia commoda nobis mereretur, sed ut salutem æternam et media ad illam consequendam nobis obtineret; ergo non possumus temporalia bona, ut talia sunt, per ipsum postulare... Nihilominus dicendum censeo, quacumque ratione honesta hæc bona petantur, ex vera fide et religione posse peti propter Christum. Nam imprimis, quidquid ipse Christus in oratione sua petere docuit, potest propter ipsum postulari, sed ipse docuit petere etiam subsidium temporale... Item eo ipso quod aliquid petitur sub vera ratione boni honesti, vel in ordine ad illud, etiamsi ab ipso petente non referatur in altiorem finem, ex se est aptum referri, et potest esse medium, vel instrumentum aut occasio spiritualis fructus, et ex parte Dei semper datur propter hunc finem: ergo justa ratione potest propter Christum postulari..... Unde existimo Christum nobis meruisse bona honesta

etiamsi naturalis ordinis videantur. Et quamvis a nobis quando illa recipimus vel appetimus in altiorem finem non referantur, semper de se conferunt ad eum finem, et a Deo sub ea ratione semper conferuntur. Et hoc etiam confirmat usus Ecclesiæ; nam semper per Christum petit, etiamsi interdum temporalia petat, non facta expressa mentione spiritualium bonorum. »

III. De petitione malorum.

Malum morale nullo modo peti potest;

178. Malum *ordinis moralis* in oratione peti nequit ut a Deo procurandum, quod impium esset, nec etiam ut a Deo permittendum, quia tale malum involvit Dei injuriam, et licet possit esse occasio alicujus boni, non est tamen ad hoc medium aptum. De qua re ita Suarez, l. c. c. 21, n. 14: « Non licet petere a Deo permissionem proprii peccati, etiam sub titulo obtinendi illa via majorem aliquem spiritualem fructum, quia peccatum per se non est medium ad ejusmodi fructum, sed potius destruit omne spirituale bonum. Et licet Deus sua potentia et sapientia possit illud malum convertere in bonum, et ratione suæ universalis providentiæ juste et recte uti valeat illo medio permissionis peccati ex intentione majoris boni, tamen respectu particularis voluntatis ipsius hominis, non est medium rationi consentaneum; quia ipse homo tenetur, quantum de se est, omnino fugere peccatum et vitare quidquid potest esse causa vel occasio ejus, præsertim certa et infaillibilis, sive sit per se sive per accidens. Unde quamvis Deus sua voluntate utatur hoc medio, nihilominus non vult ut ipse homo utatur illo, quia non quidquid Deus vult, potest homo velle, nec Deus semper vult, ut illud velit. Et ideo talis petitio nunquam esset conformis voluntati divinæ, voluntati, inquam, illi quæ esse de-

bet regula nostrarum voluntatum; illi enim nos conformare tenemur, non vero semper in objecto volito, imo interdum talis conformitas rationabilis non esset, propter diversam habitudinem objecti ad Deum et ad hominem. »

malum physicum peti potest quatenus tale est tantum relative.

179. Malum *physicum* seu *ordinis ontologici* potest in oratione peti in quantum est malum solummodo relativum et secundum quid, absolute vero et simpliciter bonum est. In quam quæstionem transferri debent ea quæ habentur in tractatu *De Virtutibus theologicis*, n. 519 et 520; cfr. etiam Suarez, l. c. c. 19, n. 2, ubi hæc præclare adnotantur: « Considerandum est, ex bonis temporalibus, quædam ita esse in nostra potestate ut nos ipsi licite possimus eis nos privare propter virtutem, ut sunt divitiæ temporales vel delectationes corporales, seu objecta et occasiones earum etiam non turpes, sed indifferentes, ut sunt illæ quæ ad deliciosum cibum aut vestitum pertinent. Si ergo privationes talium bonorum inter temporalia mala vel potius incommoda numerentur, non solum possumus hæc mala a Deo petere, sed etiam nobis ipsis illa inferre, relinquendo divitias, castigando corpus, et contemnendo honores. Unde in his potius postulamus a Deo ut nobis præbeat auxilium ad amanda hæc incommoda, et virtutem ad ea inferenda, quam ut ipse per se ea faciat. Quamvis etiam recte postulemus ut auferat a nobis occasiones habendi talia bona, quia non solum recte optamus non habere illa in effectu, sed etiam non habere in affectu, nec solum cupimus illa non quærere, sed etiam neque ad illa quæri, aut vel inviti ad illa recipienda compelli, propter periculum vel impedimentum majoris boni, quod ex eis timemus. Alia vero sunt temporalia vel corporalia incommoda, quæ non possumus nos licite nobis inferre, ut est ægritudo, mutilatio corporis, mors et propria infamatio in

re gravi juxta uniuscujusque statum. Et nihilominus hæc licet nobis desiderare propter honestum finem, et quatenus evenire possunt sine culpa alicujus. Non enim quidquid licet desiderare, licet facere, et e converso non quidquid illicite a me fit, illicite a me desideratur, quia potest desiderari ut ab alio fiat, a quo licite fieri potest..... Hic ergo modus orationis licitus est, quamvis fortasse non sit omnibus consulendus, quia non omnes sunt apti vel idonei ad hoc genus probationis, et interdum esse posset præsumptio illam appetere aut postulare sibi. »

§ V.

De iis pro quibus orari potest.

Orari potest pro solis creaturis rationalibus.

180. Sicut solæ creaturæ rationales orare possunt, ita potest pro illis solis orari. Imprimis igitur orari nequit pro *Deo,* quia Deus nulla re eget, nulliusque beneficii recipiendi capax est, sed e contra omne beneficium ab eo tamquam ab auctore principali in oratione postulatur. Quando ergo dicimus: *Sanctificetur nomen tuum,* non oramus pro Deo sed oramus propter Deum, seu Deus est finis in quem tendit petitio nostra. Cfr. Suarez, l. c. c. 14, n. 6. Deinde orari nequit pro *creaturis irrationabilibus,* siquidem illæ creaturæ nullo modo sunt sibi, sed omnino sunt aliis, quibus sunt utiles, adeoque nihil potest esse bonum eis, licet sit bonum in eis. Cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 64, a. 1, et Card. Franzelin, *De Verbo Incarnato;* th. 28.

Pro Sanctis fortasse aliquo modo orari potest;

181. Pro *Sanctis* orare non possumus petendo ipsis substantialem gloriam, qua jam fruuntur; et hoc sensu vere dixit S. Augustinus, *Serm.* 159 n. 1: « Injuria est enim, pro martyre orare..... » At non desunt qui existiment posse etiam nos pro *Sanctis* orare petendo ipsis augmentum gloriæ acci-

dentalis; atque ita in sensu proprio explicant formulas antiquarum liturgiarum, in quibus oratio fieri dicitur pro Apostolis et Prophetis, et pro ipsa Beata Virgine; cfr. Tournely, *De Deo*, q. 12, a. 1, *obj. ex Liturgiis et precibus Ecclesiæ*, Perrone, *De Deo creatore*, p. 3, c. 6, n. 739-740. Huc pertinet responsio Innocentii III ad Archiepiscopum Lugdunen., relata lib. III *Decretalium*, tit. 41, c. 6, *Cum Marthæ*, tertio loco: « Quod in plerisque orationibus continetur: Prosit vel proficiat huic Sancto vel illi talis oblatio ad gloriam et honorem, ita debet intelligi ut ad hoc prosit quod magis ac magis a fidelibus glorificetur in terris; licet plerique reputent non indignum Sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari, et ideo Ecclesiam interim sane posse augmentum glorificationis eorum optare. » Cfr. Suarez, l. c. c. 14, qui totam hanc quæstionem his verbis concludit: « Addendum vero est, licet in hac locutione sano modo intellecta, ut explicata est, non sit absurditas, nihilominus extendendam non esse, nec facile apud vulgus promulgandam. Nam nos indigemus suffragiis Sanctorum, illi vero non indigent nostris. »

certum est pie et utiliter orari pro animabus purgatorii;

182. Certum est orari posse pro *animabus in purgatorio detentis*. Demonstratur hæc veritas a) ex Sacris Litteris, nempe 2 Machab. XII, 46: *Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Nec mirum esse debet quod in libris Novi Testamenti nihil de hac re expresse dicatur; siquidem, ex una parte, auctoribus inspiratis scopus non fuit tradendi completam ac methodicam doctrinæ christianæ expositionem; ex altera vero parte, nulla erat necessitas agendi de materia quæ usu satis perspecta erat. Cfr. Jungmann, *De Novissimis*, n. 108. — Eadem veritas luculenter demonstratur b) ex traditione, et quidem multiplici ratione. Imprimis enim *sensus Ecclesiæ* deprehenditur in antiquis liturgiis,

quæ omnes plenæ sunt precibus pro defunctis: cfr. Muratori, *Liturgia Romana vetus*, tom. 1, pag. 761, tom. 2, pag. 225; Mabillon, *Liturgia Gallicana vetus*, pag. 278, 289, etc; Renaudot, *Liturg. Orient. collectio*, passim; huc etiam pertinent *Const. Apost.* lib. 8, c. 41, 42. Deindé *ipsorum fidelium sensus* exprimitur in christianis inscriptionibus, in quibus vel ipsi mortui viventium orationibus se commendant, vel viventes preces pro defunctis postulant, vel directe fideles Dei misericordiam pro defunctis implorant: cfr. Oderici *Sylloge*, pag. 265, Hubner, *Inscr. Hisp. Christ.*, n. 248, *Corpus inscrip. græcar.*, 8618, *Corpus inscr. latin.*, tom. 5, n. 1636, Mommsen *Inscr. regni Neapol.*, 6756, Edm. Le Blant, *Inscr. chrét. de la Gaule*, tom. 2, pag 596, Martigny, *Dict. des ant. chrét. V° Purgatoire*, etc. Demum *sensus pastorum et doctorum* innumeris fere textibus se prodit: cfr. Tertullianus, *De Corona*, 3, et *De Monogamia*, 10, S Cyrillus Hierosol., *Catech.* 23 (Myst. 5), n. 9, S. Cyprianus, *Epist.* 66, Clemens Alex. *Strom.* lit. 7, c. 12, S. Joannes Chrysostomus, *De Sacerdotio*, lib. 6, c. 4, cæterisque omissis, S. Augustinus, tum in aliis operibus tum præsertim in libello: *De cura pro mortuis gerenda*, in quem libellum exstat egregius *Commentarius epigraphicus* a Cl. Tourret conscriptus; cfr. *Revue Archéologique*, Mars et Mai 1878. — Hinc c) qui prædicto universali usui et sensui communi adversati sunt, tamquam hæretici habiti fuerunt, ut constat ex S. Epiphanio, *Hær.* 75, n. 3. — Tandem d) Ecclesia hanc doctrinam sancivit in suis conciliis, præsertim in concilio Florentino, *Decr. Unionis*, et in Trid. sess. 22, c. 3, et sess. 25, *Decr. de Purgatorio*. Porro precibus pro defunctis postulatur non quidem ut Deus ex pura misericordia liberaliter remittat pœnas ab ipsis subeundas, sed probabilius ut eis benigne applicet satisfactiones Christi et Sanctorum; imo, juxta nonnullos,

non postulatur nisi ut Deus fideles vivos moveat ad opera satisfactoria pro defunctis exercenda; qua in opinione orationes pro defunctis indirecte solum iis prodessent. Cfr. Suarez, *De Pœn.* disp, 48, s. 5.

nullo modo orari potest pro damnatis.

183. Pro certo etiam habendum est, nullo modo orari posse pro *damnatis*. Ex una enim parte, damnati non veniunt inter proximos, ad quos se extendit charitas, et qui *communionis Sanctorum* participes sunt; ex altera vero parte, iidem damnati sunt beneficii ac favoris a Deo recipiendi incapaces; etenim de fide est, ipsis obtineri non posse *pœnæ peccatis mortalibus debitæ remissionem;* fidei autem proximum est, non posse ipsis *ejusdem pœnæ* obtineri *relaxationem*, quidquid olim nonnulli de hac re arbitrati sint; cfr. S. Thomas, in 4. dist. 45, q. 2, a. 2, Suarez, *De Pœn.* disp. 48, s. 4, Petavius, *De Angelis,* lib. 3, c. 8, Arevalus, *Prol. ad Prudentium*, c. 18, Patuzzi, *De futuro impiorum statu,* lib. 3, c. 12, etc.; tandem ipsis peti nequit *remissio pœnæ peccatis venialibus debitæ;* etsi enim concederetur hujusmodi pœnam non esse æternam, admittendum tamen esset eam finiri non posse nisi per satispassionem. Cfr. Suarez, l. c. His autem non obstat quod, in offertorio Missæ pro defunctis, Ecclesia postulet ut animæ fidelium defunctorum liberentur de pœnis inferni, de profundo lacu, de ore leonis, etc.; duplex enim datur harum formularum explicatio sufficiens; nempe probabile est illis locutionibus significari purgatorium; vel melius dici potest « in eis orationibus ita Ecclesiam orare pro defunctis, ut tamen repræsentet diem exitus eorum, et animas adhuc in corpore existentes, et constitutas sub ancipiti eventu mortis aut salutis æternæ, et sub hac repræsentatione postulet, ut a pœnis inferni liberentur, idest, ut ita a Deo præveniantur, et disponantur, ut per viam salutis incedant. » Ita Suarez, l. c. s. 5, cujus sententia recentius cum

aptis elucidationibus proposita est a doctissimo Card. Wiseman, in suo opere *De cæremoniis hebdomadæ sanctæ*, l. 2. Cfr. Jungmann, *De Novissimis*, n. 119. A fortiori nulla difficultas sumi potest ex narratione liberationis Trajani imperatoris per preces S. Gregorii; licet enim hæc narratio valde recepta fuerit per plura sæcula, eam tamen non esse nisi fabulam, jamdiu ostenderunt viri eruditi; cfr. Natalis Alexander, *Dissertatio de liberatione commentitia Trajani imperatoris ab inferis*, Le Quien, *Dissertatio Damascenica*, Billuart, in fine diss. 2 *De Religione*, Collet, *Tr. De Religione*, p. 2, c. 2, a. 8, *Revue des questions historiques*, tom. 24, pag. 86.

Orari potest pro omnibus viatoribus.

184. Orari potest pro omnibus *viatoribus*, sive fideles sint sive infideles, sive justi sive peccatores, sive prædestinati sive reprobi. Patet ex verbis Apostoli 1 Tim. II 1-3: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. . Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.* His autem minime obstant ea quæ leguntur Jerem. VII, 16, Joan. XVII, 9, 1 Joan. V, 16; in primo enim ex illis textibus tantum significatur orationem ad avertenda mala temporalia populo Israelitico imminentia non fore exaudiendam; in altero Christus Dominus affirmat se non facere pro mundo, qua tali, eam orationem *specialem* quam pro discipulis habet; cfr. Franzelin, *De Deo Uno*, th. 49; tandem in tertio textu nihil aliud affirmatur quam quod oratio pro peccato ad mortem difficulter exaudiatur. Cfr. Suarez, *De Religione*, l. c. c. 15, et Scholastici in 2. 2. q. 83, a. 7.

185. Demum orari potest non solum pro integra aliqua personarum classe, sed etiam pro aliqua persona *in individuo*. Constat ex pluribus testimoniis S. Scripturæ, v. g. Tob. VIII, 6, Luc. XXII, 32, XXIII, 34, Act. XII, 5, Eph. VI, 19, Col. IV, 3,

2 Thess. III, 1, etc. Huc etiam pertinet articulus Wicleffi 19[us] in concilio Constantiensi damnatus: « Speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos religiosos non plus prosunt eidem quam generales, cæteris paribus. » Plura legi possunt apud Suarez, *De Religione*, l, c. c. 13.

ARTICULUS II.

De necessitate et efficacia orationis.

186. Postquam distincte consideravimus elementa constitutiva orationis supernaturalis, pronum est investigare an et quousque actus ille religionis *obligatorius* sit, et quisnam sit *valor* ejus specialis.

§ I.

De necessitate orationis.

Necessitas medii et præcepti

187. Necessitas duplex distinguitur, una *medii*, altera *præcepti*. Illud dicitur necessarium necessitate medii sine quo finis obtineri nequit, quod oriri potest vel ex natura rei vel ex institutione Dei positiva, idque rursus absolute aut secundum legem ordinariam. Illud vero dicitur necessarium necessitate præcepti, ad quod obstringimur speciali mandato, independenter a quocumque alio fine consequendo vel alia obligatione adimplenda. Cfr. *De virtutibus theologicis*, n. 138, ubi hæ notiones distinctius exponuntur. Jam vero hic seorsim dicemus de orationis necessitate medii et de ejusdem necessitate præcepti.

I. De orationis necessitate medii.

Orationem necessariam esse necessitate

188. *Doctrina catholica est, orationem omnibus adultis, saltem juxta legem Dei ordinariam, necessariam esse necessitate medii ad salutem.*

189. Ut sensus statutæ propositionis melius intelligatur, animadvertendum est, a) in ea sermonem esse de oratione *proprie dicta* et *supernaturali;* — b) et quidem de oratione *ad Deum*, non autem de speciali oratione ad Sanctos vel Beatam Virginem; — c) præterea spectari necessitatem orationis in solis *viatoribus,* minime vero in Sanctis vel animabus in purgatorio detentis; — d) eamque necessitatem adstrui relate ad *bona saluti necessaria;* — e) tandem agi de oratione *pro ipso orante* facta. Porro non dicimus orationem, intra illos limites, absolute necessariam esse ad salutem, sed dicimus eam esse necessariam *juxta legem Dei ordinariam.* Arbitramur autem immerito hanc veritatem tantummodo *probabiliorem* vocari a S. Alphonso, lib. 3, n. 1, et ex ipso a pluribus theologis modernis, v. g. Gury, tom. 1, n. 259, Neyraguet, tr. 6, Gab. De Varceno, tr. 9, c. 7; ideoque eam propugnamus ut omnino certam, et fortasse de fide; cfr. Lessius, lib. 2, c. 37, dub. 3, Perrone, *De virtute religionis*, s. 2, c. 1, a. 1, cui modo loquendi omnino favet S. Alphonsus, in opere: *Du grand moyen de la prière,* c. 1, § 1.

medii ad salutem

certum est et forte fidei proximum,

190. Jam vero rationes, quæ pro hac sententia passim afferuntur a Doctoribus, omnino decretoriæ sunt. Possumus eas sequenti syllogismo complecti: Auxilium gratiæ necessarium est adultis necessitate medii ad perseverantiam et salutem; atqui, juxta legem Dei ordinariam, illud auxilium non conceditur nisi orantibus: ergo oratio dicenda est necessaria ad salutem necessitate medii. *Major* hujus syllogismi de fide est, eamque alibi probatam hic supponimus; *minor* multiplici argumento demonstrari potest.

ut plene demonstratur

191. Et quidem in Sacris Litteris tam sæpe prædicta necessitas inculcatur formulis tum *affirmantibus* tum *negantibus,* ut vix inutile non sit textus parti-

ex sacris litteris

culares allegare; huc pertinent, v. g. Matth. VII, 7, XXVI, 41, Luc. XI, 9, Joan. XVI, 24, Jac. IV, 2, 3; etc.: *Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. — Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.*

ex SS. Patribus,

192. Quod ad SS. Patres attinet, ipsi a) frequentissime orationis necessitatem *absolute asserunt.* Ita v. g. S. Cyprianus, *De Orat. Dom.*: « Qui fecit vivere, docuit et orare, benignitate ea scilicet, qua et cætera dare et conferre dignatus est, ut dum prece et oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur. » S. Augustinus vero, *De dono perseverantiæ,* c. 16, n. 39, ait constare « alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam. » Et *in Ps.* 102, n. 10: « Deus dare vult, sed non dat nisi petenti, ne det non capienti. » S. Cælestinus Pontifex, in *Epistola ad Episcopos Galliarum*, c. 9, n. 10, hæc refert Zozimi prædecessoris sui verba: « In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est; superbum est enim ut quidquam sibi humana natura præsumat. » Omnibus notus est textus Gennadii, seu auctoris libri *De dogm. eccl.*, c. 26: « Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire; nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari; nullum nisi orantem, auxilium promereri. » — b) Eamdem necessitatem *comparationibus illustrant:* sic vetus auctor orationis *De precatione*, S. Chrysostomo adscriptæ: « Ut enim corpus hoc nostrum, cum anima abest, mortuum est ac fœtidum, ita nisi se animus ad precationem excitat, mortuus est, miser ac fœtidus. » Et paulo post: « Nobis vita est in precibus traducenda, iisque mens perpetuo irriganda; non enim minus quam arbores aquis, illis nos indigemus universi. » — c) Quinimo hac veritate, tamquam principio notiori ac certiori,

utuntur contra Pelagianos ad necessitatem gratiæ evincendam; cfr. S. Augustinus, *Epist.* 175 (al. 90), n. 4, *Epist.* 177 (al. 92), n. 4, et *De perfectione justitiæ hominis*, n. 40, etc.

ex unanimi theologorum sententia,

193. Non minus perspicue idem docent universi theologi, præeunte Angelico, in 4 dist. 15, q. 4, a. 1, ad 3: « Ad orationem quilibet homo tenetur ad bona spiritualia procuranda; unde alio modo procurari non possunt, nisi ab eo petantur. » Eodem modo Suarez, *De Religione*, l. c. n. 24; demonstrata enim assertione, quod oratio sit simpliciter necessaria ad salutem, sic pergit, n. 6 et 7: « Ad rationem vero dubitandi respondemus hanc necessitatem fundari aliquo modo in ipsa rei natura, consummari vero ex dispositione et decreto divinæ Providentiæ. Primum declaratur facile ratione jam dicta, quia ipsa ratio, et maxime illuminata per fidem, docet consentaneum esse ut ipse homo, qui indiget, concurrat prout potest, saltem petendo et quærendo, ad subveniendum suæ necessitati. Item eadem ratio ostendit debitum esse Deo hunc cultum, ideoque merito postulari ut medium. Denique ut homo fructibus et perfectionibus orationis ad Deum magis in virtute proficiat, merito hæc necessitas illi imposita est. Absolute vero sine decreto et dispositione divina non potuisset introduci tanta necessitas, ut ratio facta probat. Per hanc vero divinæ Providentiæ dispositionem, non existimo ita esse hoc medium constitutum necessarium, ut nunquam Deus sine oratione conferat multa beneficia etiam ex his quæ ab ipso postulari possint. » Supervacaneum esset plurium verba recitare; satis sit addere textum *Catechismi ad Parochos*, p. 4: « Quum nihil cuique debeat Deus, reliquum profecto est, ut quæ nobis opus sunt ab eo precibus expetamus, quas preces tamquam instrumentum necessarium, nobis dedit ad id quod optaremus consequendum. » Hinc nonnisi indiligen-

liæ Salmanticensium debetur quod theologi in hac re quasi sibi invicem contradicentes exhibeantur; cfr. quæ scripsimus in periodico : *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 52, pag. 554.

ex ratione theologica,

194. Accedit ratio theologica. « Deus operatur per causas secundas, quoad commode fieri potest. Cum ergo possimus, saltem orando, cooperari ad salutem, postquam per gratiam præventi sumus, hanc cooperationem merito a nobis exigit. Præterea, sicut in adultis ad consequendam gloriam est necessarium meritum, et ad consequendam gratiam sanctificantem est necessaria dispositio, ita convenienter ad obtinenda divina auxilia opportuna, est necessaria oratio. » Suarez, l. c.

ex conciliis.

195. Licet vero hæc veritas explicite definita non fuerit, colligi nihilominus potest ex doctrina concilii Trid. sess. 6, c. 11 : « Nemo autem quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia : nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » Quibus verbis, ut bene arguit Suarez, significatur, petitionem auxilii divini esse tam necessariam quam impletionem mandatorum, quia sine illa nobis esset impossibile servare mandata.

II. De orationis necessitate præcepti.

Oratio adultis imposita est

196. *Doctrina catholica est, orationem adultis omnibus necessariam esse necessitate præcepti.*

197. In hac propositione agitur de oratione *in se* spectata, non vero de hoc vel illo orandi modo; item agitur de oratione *ad Deum*, prætermissa quæstione de obligatione orandi Beatam Virginem et

Sanctos; præterea sermo est de præcepto quod *omnes adultos æque attingat,* non autem de præcepto quibusdam in particulari imposito; præceptum autem illud adstruitur non ut mere naturale, nec ut mere positivum, sed ut *naturale-divinum;* tandem oratio asseritur præcepta non formaliter quatenus per eam Deo reverentiam exhibemus, sed quatenus per eam *impetramus;* cfr. Suarez, *De Religione,* l. c. c. 29, n. 3 et 9.

præcepto naturali divino,

198. Sic autem intellecta assertio facillime demonstratur; ostendimus enim orationem necessariam esse ad salutem necessitate medii; jam vero, axioma communiter receptum est, illa, quæ necessaria sunt necessitate medii, eo ipso obligatoria esse; cfr. S Thomas, 2. 2. q. 3, a. 2, 3 p. q. 68, a. 1, etc; et ratio est, quia per præcepta sufficienter ordinatur homo ad vitam æternam; ergo oportet ut præcepta dentur de omnibus necessariis ad salutem. Cfr. Suarez, *De Religione*, l. c. c. 29, n. 2. Hæc porro obligatio supponitur, ejusque adimpletio inculcatur passim in Sacris Litteris, v. g. Luc. XVIII, 1, 1 Thess. V, 17, etc.: *Oportet semper orare et non deficere. — Sine intermissione orate. — Orationi instate vigilantes in ea.* Sane verba *oportet, sine intermissione, instate*, non conveniunt rei quæ solum est consilii, sed supponunt præceptum. Non immorabimur autem in citandis textibus SS. Patrum vel in allegandis theologorum auctoritatibus; in quæstione enim certa et facili opus esset supervacaneum.

quod sæpius urget per se

199. Lex orandi, utpote affirmativa, non urget quidem singulo momento, prout inepte quidam hæretici olim arbitrati sunt; obligat tamen frequenter et per se; hoc enim evincunt textus supra citati. At non potest in individuo determinari quandonam hæc obligatio sit adimplenda, ita ut orationis omissio tunc peccatum constituat. Ita sapientissime

scribit Suarez, *De Religione*, l. c. c. 30, n. 15, 16: « Censeo divinum præceptum orandi sæpius et per se obligare in decursu vitæ, etiamsi non occurrant extraordinarii casus particulares, in quibus necessitas charitatis ad orandum obliget. Hoc mihi probant argumenta facta, illud præcipue quod vita humana tota est unum continuum bellum, et consequenter unum continuum periculum, quod scimus sine continuo etiam Dei auxilio et protectione superari non posse ... De tempore vero hujus obligationis ait Paludanus, nihil esse certum jure naturali seu divino. Quod sane verum est, si velimus certum tempus in individuo vel certam frequentiam designare. Nihilominus, hic censeo habere locum doctrinam quam de præcepto divino pœnitentiæ suo loco tradidi, et pro his divinis præceptis affirmativis, ut charitatis et similibus, censeo esse generalem, et necessariam. Nimirum obligare hæc præcepta ut actus eorum non multo tempore differantur, sed aliquoties in vita fiant, quoties videlicet ad rectam et honestam vitam instituendam prudenti arbitrio judicatum fuerit. In particulari autem judicare quando sit nimia dilatio, vel quæ sit debita frequentia, prudentis arbitrio relictum videtur ex natura rei, sicut etiam hujus vel illius temporis electio voluntaria est. Credo tamen tam necessariam esse orationem ad rectitudinem vitæ, ut non sit permittenda dilatio unius anni, nec fortasse unius mensis. Quod usus ipse fidelium satis confirmat; vix enim invenietur aliquis tam negligens in divino cultu et circa suam salutem procurandam, qui non aliqua privata oratione frequentius utatur. Quapropter in praxi non existimo esse necessarium nos esse nimium sollicitos de præciso tempore hujus obligationis, quia regulariter omnes præveniunt, ut ita dicam, tempus illud ipso usu orationis. »

200. Consentiunt omnes legem orandi obligare

aliquando *per accidens*, ita ut orationis omissio, in tali circumstantia, etiam esset peccatum speciale. Cfr. Suarez, l. c. n. 10. At cum obligatione orandi ex ipso præcepto urgente per se vel per accidens, confundi nequit obligatio orandi ex aliis præceptis orta, v. g. ex charitate erga proximum; cfr. quæ de questione simili habentur in tractatu *De Virtutibus theologicis*, n. 189, 190.

et aliquando per accidens.

§ II.

De efficacia orationis.

201. Oratio dirigitur ad aliquid obtinendum per modum beneficii seu favoris. Hæc autem vis, quam habet oratio ad alterum movendum ut beneficium concedat, vocatur *impetratio* active sumpta; ipsa autem beneficii concessio et receptio est impetratio sumpta passive.

Impetratio, seu vis movendi alterum ad beneficium concedendum,

202. *Vis impetratoria orationi maxime propria est*, quatenus consentaneum est bonitati vel liberalitati ejus, qui rogatur, moveri ad dandum, solum quia rogatur; cfr. Suarez, l. c. c. 23, n. 1. Aliis autem actibus bonis non convenit nisi accidentaliter, in quantum scilicet « orationi adjunguntur, vel fiunt in Dei obsequium eo animo et intentione ut eum inclinemus ad id nobis concedendum quod petimus vel optamus », ut loquitur Suarez, in 3 p. q. 83, s. 2. Hujusmodi enim actus, tali intentione positi, sunt quasi orationes *reales;* et hoc sensu sacrificium recte dicitur impetratorium, quod applicari potest ad oblationem et alia similia.

orationi propria est.

203. *Oratio supernaturalis, cujus elementa essentialia superius investigavimus, aliquando vim habet impetrandi certo et infallibiliter illud quod postulatur.* Constat ex variis S. Scripturæ locis, v. g. Matth. VII, 7, 8, Luc. XI, 9-13, Joan. XVI, 24, 1 Joan. V, 14, etc: *Petite et dabitur vobis... Omnis enim,*

Oratio supernaturalis vim impetrandi infallibilem habet

qui petit, accipit. — Amen, amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. — Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Inutile esset in re prorsus eliquata multos SS. Patrum textus afferre; satis sit allegare verba S. Augustini, *In ps.* 65, n. 24: « Securi de pollicitatione ipsius, non deficiamus orando; et hoc ex beneficio ipsius est. Propterea dixit: Benedictus Deus meus, qui non amovit deprecationem meam et misericordiam suam a me. Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus. »

ex divina promissione,

204. *Vis, quam habet oratio supernaturalis ad infallibiliter impetrandum bonum postulatum, non provenit ex sola ipsius dignitate, sed ex superaddita promissione divina.* « Si enim spectemus solam rationem petitionis, habet quidem oratio ex illa aptitudinem ad impetrandum, quæ potest appellari sufficientia; non tamen habet talem efficaciam, quæ certum et infallibilem reddat effectum, quia non est causa necessitatem inducens. » Suarez, *De Religione*, l. c. c. 23, n. 2.

205. *Hæc autem promissio divina non efficit ut impetratio sit ex justitia, et non ex mera liberalitate et misericordia.* Orans enim *auditur*, non *recompensatur;* et ipsi beneficium conceditur sub *conditione* orationis, minime vero in orationis *mercedem:* ut si quis promitteret se semper largiturum pauperibus quandocumque a se peterent, is daret quidem semper ex promissione, sed tamen solum ex misericordia. Cfr. Suarez, l. c. c. 27, n. 4. et Greg. De Valentia, disp. 6, q. 2, p. 4.

206. *Porro prædicta promissio divina censenda est facta non absolute, sed solum sub conditionibus;* adeoque oratio est infallibiliter impetrans, si illæ conditiones ponantur, secus autem si non verificentur. Illæ

vero conditiones, licet vario modo exponantur apud theologos, reduci posse videntur ad sequentes. Prima est, *ut res petita sit ad salutem et sanctificationem pertinens ac necessaria;* hæc conditio colligi potest tum ex oratione dominica, tum ex aliis locis, v. g. 1 Thess. IV, 3, 1 Tim. II, 1-3, Jac. V, 16, 1 Joan. V, 14-16, ubi de oratione ejusque efficacia agitur in ordine præsertim ad salutem: *Obsecro igitur fieri obsecrationes... pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.— Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Non possumus igitur iis assentiri, qui, ad orationis infallibilem efficaciam, exigunt tantum ut res petita sit saluti utilis, imo ut non sit majoris boni impeditiva. Cfr. Suarez, l. c. c. 23, n. 6-8. — Altera conditio est *ut ille, pro quo oratur, sit bene dispositus, seu voluntarie et obstinate non ponat impedimentum beneficiis divinis:* colligitur etiam hæc conditio ex S. Litteris, v. g. Is. I, 15, LVIII, 9, 1 Joan. V, 16, etc: *Et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. — Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut roget quis.* Et ratio est, quia indignus est favoris divini, qui ejus amicitiam contemnit. Cfr. Suarez, l. c. c. 25, n. 7. — Tertia conditio est, *ut oratio sit perseverans;* exprimitur hæc conditio multis in locis superius citatis, præsertim Luc. XI, 5-8: *Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis: etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quot-quot habet necessarios.* Ratio autem hujus conditionis multiplex assignari solet. Una est, ut divina beneficia in ea, qua par est, æstimatione habeantur; unde S. Augustinus, *Serm.* 61, c. 5, n. 6: « Cum aliquando tardius dat, commendat Deus dona, non negat. Diu desiderata, dulcius obtinentur; cito autem

si sit de re necessaria ad salutem,

atque fiat pro homine sufficienter disposito,

et sit perseverans.

data, vilescunt.» Causa præterea est, ut ea dilatione humiliores efficiamur; unde etiam magis magisque de indigentia et infirmitate nostra monemur. Demum causa est, ut, ingeminatis petitionibus, aucto desiderio et aucta fide, ad ea quæ postulamus assequanda et conservanda aptiores efficiamur. Cfr. Suarez, l. c. c. 26.

Efficacitatem orationis plurimum augent

207. *Ut bona postulata, præsertim ea quorum impetratio non est ex promissione divina infallibilis, citius, certius et plenius obtineantur, quædam requiruntur aliæ conditiones seu qualitates tum in ipso orante, tum in modo orandi.* Et quidem a) multum ad hoc juvat *puritas conscientiæ*, ut constat ex Ps. XXXIII, 16, 1 Joan. III, 21, 22: *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. — Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus.* — Deinde b) multum etiam ad effectum conferunt *bona opera*, scil. eleemosyna et mortificatio; unde Tob. XII, 8, 9: *Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam.* Advertendum autem sedulo est, prædicta opera non ad hoc intelligi necessaria ut bonum postulatum conferatur in eorum mercedem et præmium, sed ut propter ea orans sit magis Deo gratus, et melius dispositus, atque ita facilius hujusmodi bonum per modum beneficii liberalis adipiscatur. — Præterea c) maxime in hunc finem commendatur *humilitas*, ut patet ex multis textibus S. Scripturæ, v. g. Eccli. XXXV, 21: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Hæc tamen humilitas non impedit quin orans recordatione bonorum suorum operum se erigere possit; unde Is. XXXVIII, 3, sic precatur Ezechias: *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambu-*

puritas conscientiæ,

bona opera,

humilitas,

laverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. — Præsertim vero d) utiles sunt *fides et fiducia*, si consistant in aliquo gradu superiori, prout præclare explicavit Suarez l. c. c. 24, n. 7-9 : « Negandum non est, tam in fide, quam in fiducia, posse inveniri magis et minus in excludenda hæsitatione, et quo in hac conditione fuerint (orationes) perfectiores, eo efficaciores esse ad impetrandum. Dicit enim Paulus 1 Cor. XIII, 2: *Si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam*, id est, perfectam fidem, ut omnes exponunt; supponit ergo Paulus posse aliquem habere veram et substantialem fidem, et non habere ita perfectam; alludit autem ad verba Christi, Matth. XXI, 21 : *Si habueritis fidem, et non hæsitaveritis;* et Matth. XVII, 19, increpavit Apostolos de incredulitate, ei attribuens, quod non potuissent lunaticum curare, cum tamen verisimile non sit, eos habuisse incredulitatem infidelitatis; ergo potest fides vel fiducia habere alium defectum, qui substantiam fidei et spei non corrumpat, et nihilominus efficaciam orationis multum impediat. — Hunc autem defectum ex parte intellectus pertinere existimo ad practicum potius quam ad speculativum, et ad exercitium actus potius quam ad specificationem. Quod ita declaro: nam fides quatenus tantum præbet assensum veritati revelatæ, et in hoc sistit, speculativa est, quia solum veritati cognoscendæ seu credendæ incumbit; extenditur autem ad praxim quando veritatem creditam applicat voluntati, ut secundum eam moveatur seu operetur. Et ita fieri potest, ut aliquis non habeat defectum in assensu fidei, neque in certitudine, qua credit Deum esse fidelem in suis promissis, et quod ex hac parte non sit inefficax oratio, et nihilominus deficiat in applicanda practice hac veritate voluntati, ut secundum illam cum magna fiducia oret.

gradus sublimior fidei et spei.

Rursus, quamvis quis in habitu credat, et nullum habeat actum vel dubitationem actualem contrariam certitudini fidei, nihilominus deficiat in actuali fide, non quoad specificationem, sed quoad exercitium ejus, quia nimirum non actu considerat promissionem Dei et veritatem ejus; ex quo defectu contingit, ut hæsitet in petendo, solum attendens ad difficultatem, seu magnitudinem rei postulatæ, vel ad propriam indignitatem. Ex hoc autem duplici defectu intellectus provenit in voluntate proportionalis defectus in spe et fiducia; nam interdum animus orantis non erigitur spe, non quia desperat, sed quia non actu exercet spem; unde fit ut animus ejus fluctuet, et deficiat in petendo sicut oportet. Interdum vero, licet spem exerceat, tamen tepide et remisse, et ideo vel non perseveranter petit, vel in ipsamet petitione nimium est remissus, et etiam plus hæsitat vel dubitat, quam secundum rectam rationem possit aut debeat, quod totum redundat in imperfectionem et defectum fiduciæ debitæ, quamvis hæsitatio sit sub eo colore, quod non ex parte Dei sed ex aliis capitibus concipiatur, quia debita fiducia in Deum deberet illum defectum superare ac vincere. — Unde etiam addere possumus, quod, licet fiducia niti possit in promissione divina, non tamen in illa sola, sed etiam in bonitate et liberalitate Dei; ac propterea, quamvis sola promissio non tollat absolutam incertitudinem effectus, nihilominus fiducia petentis multum possit confirmari ex fide et consideratione bonitatis, charitatis et aliorum attributorum Dei, ex qua, licet non perveniatur ad judicandum certo et infallibiliter Deum effecturum quod petimus, sæpe tamen pervenitur ad judicium ita credibile ac determinatum ut excludat omnem actualem hæsitationem, et animum orantis pacatum reddat. Hæc ergo perfectio orationis videtur a nobis postulari in Scriptura, præsertim in rebus quæ ad salutem

animæ pertinent, quia, licet per se ac formaliter non sit necessaria ad impetrandum, tamen interdum esse potest vel propter perseverantiam orationis, vel quia ob hanc perfectionem fiduciæ interdum dat Deus bonum quod alias non daret, quia vel non erat ita necessarium, vel non habebat alias conditiones, propter quas ex vi solius promissionis illud dare teneretur. Et ideo, quando Deus vult per aliquem operari miraculum, solet ita movere animum petentis ut nihil hæsitet, sed firmiter credat illum impetraturum, quæ solet dici fides miraculorum, et numeratur inter gratias gratis datas, provenitque ex quadam peculiari motione, et præveniente gratia... Frequentius vero licet non tam specialis gratia concedatur, datur major vel minor præveniens gratia, ita movens ad petendum cum fiducia, ut magis etiam vel minus hæsitationem tollat, vel animum petentis securum reddat, quomodo dixit Cassianus, Coll. 9, c. 32: « signum futuræ impetrationis esse, quando Spiritus Sanctus movet ad petendum cum magna fiducia et quasi securitate impetrandi. »

Vis orationis finita est intensive et extensive.

208. *Vis impetratoria orationis supernaturalis videtur esse finita, non solum intensive, quoad quantitatem bonorum quæ postulantur, sed etiam extensive, quoad multitudinem personarum pro quibus fit;* scilicet oratio directa ad plura beneficia obtinenda non æque efficax est relate ad unumquodque eorum quam si ad illud solum acquirendum dirigeretur, et similiter oratio pro pluribus personis oblata non æque singulis prodest ac si pro singulis seorsim funderetur. Ita Suarez, l. c. c. 22, n. 6: « Verisimilius est, observari etiam ad impetrandum valorem moralem ipsius orationis et proportionem ad rem postulatam. Et hac ratione ad impetrandum majorem effectum excellentior oratio utilior est; ita ergo eadem oratio facta pro communitate, non tantam habet proportionem ad impetrandum pro

aliquo in particulari, ac si pro illo speciatim fieret. Atque hoc confirmat usus Ecclesiæ orantis pro particularibus personis aut necessitatibus in speciali; hic enim usus supponit talem orationem efficaciorem esse ad talem effectum; alioquin melius esset semper in generali orare. » Cfr. Herinckx, disp. 1, n. 33, etc. Non desunt tamen qui contrariam opinionem defendunt.

Differt impetratio a merito et satisfactione.

209. *Impetratio* omnino differt a *merito* et *satisfactione*; nam meritum est operis dignitas ad retributionem et præmium, satisfactio autem est valor ad reparationem; unde per meritum aliquid quasi *emitur*, per satisfactionem *solvitur*, dum per impetrationem aliquid liberaliter *recipitur*.

Oratio etiam meritoria est et satisfactoria.

210. *Jam vero oratio non solum est impetratoria sed etiam meritoria et satisfactoria:* at vis impetratoria illi propria est, vis autem meritoria et satisfactoria illi communis est cum aliis operibus supernaturalibus, adeoque minime in præsenti explicanda est. Cum autem non eædem conditiones sint meriti et satisfactionis quæ impetrationis, nec idem objectum, contingere potest ut oratio sit impetratoria quin sit meritoria et satisfactoria: sic oratio Sanctorum impetratoria est, sed nullo modo meritoria est vel satisfactoria, et similiter oratio peccatoris impetratoria est, quin sit meritoria saltem de condigno; e contra, contingere potest ut oratio sit meritoria et satisfactoria quin sit impetratoria: sic oratio justi petentis ea quæ sibi, in ordine divinæ providentiæ, ad salutem utilia non sunt, sed potius nociva, non est impetratoria seu efficax, licet sit meritoria et satisfactoria. Addendum est, vim impetrandi nullimode nocere vi merendi, et vicissim.

CAPUT II.

De oratione vocali.

211. Agemus imprimis de oratione vocali *in communi*, postea dicemus de oratione vocali *publica*.

ARTICULUS I.

De oratione vocali in communi.

Ad essentiam orationis vocalis requiritur

212. Oratio *vocalis* ea est quæ *verbis* exterius prolatis aut *signis* æquivalentibus consummatur; fit autem duplici modo: *explicite*, scilicet petitionem et beneficii desiderium exprimendo, vel *implicite*, indigentiam ac necessitatem ostendendo, cujus exemplum habetur Joan. XI, 3: *Ecce, quem amas, infirmatur.*

prolatio verborum

213. Ad essentiam ergo orationis vocalis requiritur *prolatio verborum vel exhibitio signorum*, quæ mentem orantis, ejus desiderium ac boni petitionem vere significent; adeoque oratio vocalis non existeret, si v. g. inordinate, imperfecte aut truncatè pronuntiarentur verba, in quibus determinatus sensus non esset.

cum intentione orandi,

214. At non quævis prolatio verborum, etiam voluntaria, sufficit ad orationem vocalem; cum enim ea verba pronuntiari possint ad varium finem, v. g. memoriæ exercendæ causa, ut constituant orationem proprie dictam et specialem actum religionis, necessaria est *intentio*, seu voluntas per ea orandi. Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 3, c. 3, n. 3. Hæc tamen intentio non debet esse explicita et actualis, sed satis est ut sit *implicita* et *virtualis*. Cfr. Suarez, l. c. n. 6. Advertendum autem est, cum hac *intentione* orandi, confundi non posse *desiderium obtinendi* rem petitam, nec *motivum* extrinsecum, quo aliquis ad orandum impellitur; si enim prædicta *intentio* non habeatur, petitio non existit,

saltem implicita et virtuali,

nisi forte materialis; deinde rei *desiderium* includitur in petitione, et si hæc res sit turpis, petitio ipsa, licet realis, mala est, et oratio dici nequit; cfr. supra, n. 164 et seqq.; tandem *motivum* extrinsecum accidentaliter sese habet, et oratio potest esse substantialiter bona etiamsi illud motivum sit imperfectum vel leviter malum, puta vana gloria. Cfr. *Theologia moralis fundamentalis*, n. 399. Ita Suarez. l. c. c. 5: « Itaque si quis habeat intentionem orandi, et ex illa proferat verba de se sufficientia ad orandum, et consentanea laudi vel reverentiæ divinæ, licet hoc faciat ex intentione laudis humanæ vel alicujus commodi temporalis, in illud principaliter intuendo, vere orat, quamvis non bene oret. Hæc est communis sententia; et ratio est, quia non omnes circumstantiæ orationis sunt de substantia ejus..... Neque hoc repugnat dictis in superioribus: quia non diximus nullam orationem male factam esse orationem, sed solum illam, quæ est mala ex parte rei postulatæ, quia illa etiam substantialiter mala est; unde in ipsomet actu exteriori non continet petitionem quæ mereatur nomen orationis apud Deum, cum ex objecto suo sit potius injuria Dei. »

et attentione,

215. Præterea, ad orationem vocalem requiri aliquam *attentionem*, omnino certum est; difficultas tamen habetur in ea præcise determinanda. Ut igitur hæc conditio orationis clare intelligatur, sequentia præ oculis habenda sunt. a) Attentio nihil aliud est quam *mentis applicatio ad aliquid;* ex qua notione patet omnem attentionem essentialiter internam esse; adeoque nobis non placet modus loquendi illorum theologorum, qui distinguunt attentionem *internam* et attentionem *externam*, nomine attentionis *externæ* designantes absentiam actionis cum attentione interna incompossibilis; ita v. g. S. Alphonsus, lib. 4, n. 176: « Circa autem attentionem, hæc potest esse externa et interna: externa habetur cum

non ponitur actio incompossibilis cum attentione interiori, ut esset fabulari, scribere... Attentio autem interna habetur cum attenditur ad verba, ad sensum et ad Deum. » Hujusmodi ergo attentio mere externa nobis non est vera attentio.—Porro b) ex parte actus, attentio vario modo distingui potest; est enim *perfecta* vel *imperfecta*, *intensa* vel *remissa*, *in unum objectum directa* vel *divisa in plura objecta:* attentio perfecta et intensa vocatur etiam *actualis, reflexa, formalis;* attentio autem imperfecta et remissa dicitur *virtualis;* sed hæc appellatio attentionis virtualis minus propria est; stricte enim attentio virtualis difficile concipitur, ut animadvertit S. Alphonsus, l. c. : « Ego tamen fateor imbecillitatem meam, nunquam potuisse intelligere quomodo possit attentio virtualiter permanere, in eo qui distrahitur, licet involuntarie. Bene quidem intelligo quod *intentio*, cum pertineat ad voluntatem, quando semel est habita et non retractatur, virtualiter perseverat in effectu..., non intelligo autem quomodo potest dici virtualiter attentus orationi, qui mentem alibi habet occupatam; recte dicetur quod hic involuntarie distractus, post intentionem habitam attendendi et non retractatam, velit attendere, sed non poterit dici quod attendat, quando alibi est omnino evagatus; sicut enim repugnat dici virtualiter intelligere quod legit, eum, qui actu non intelligit, ita repugnat dici virtualiter attendere, qui actu non attendit. » — Præterea c) attentio ex parte objecti varia rursus distinguitur; vel enim mens occupatur in verbis rite pronuntiandis, et tunc habetur attentio *superficialis;* vel occupatur in verbis intelligendis juxta sensum proprium, et tunc habetur attentio *litteralis;* vel occupatur in evolvendis cogitationibus et nutriendis affectibus piis, et tunc habetur attentio *spiritualis;* hæc autem attentio spiritualis rursus triplex est, nempe alia *mystica*, quæ versatur circa sensum

verborum spiritualem, alia *contemplativa*, quæ versatur circa divinam majestatem et bonitatem, alia demum *postulativa*, quæ versatur circa propriam orantis miseriam et indigentiam. Cfr. Suarez, l. c. c. 4, n. 2. Dubitari sane potest utrum prædictæ appellationes, præsertim attentionis *superficialis* et *litteralis*, sint omni ex parte probandæ; quum tamen ab omnibus theologis recipiantur, eas retinebimus.

saltem superficiali

216. *Jam vero, cum intentione Deum orandi per determinata verba, semper jungi debet aliqua attentio ad eadem verba, ne in eis pronuntiandis erretur; hæc autem attentio superficialis sufficit ad essentiam orationis, quin præterea necessaria sit attentio litteralis vel spiritualis.* Prior pars hujus assertionis ab omnibus reipsa admittitur, et prorsus admitti debet; nam si non præberetur superficialis aliqua attentio, seu mentis advertentia, prolatio verborum non esset actus humanus et moralis, ac multo minus oratio. Hinc merito scripsit Illsung, tr. 3, d. 1, q. 1, a. 3, § 3, n. 26, eum qui aliter loqueretur, « non citandum sed curandum. » Cfr. De Lugo, *De Euch.* disp. 22, s. 2, n. 40-41, etc. Et hoc valet etiam in supposito quod adesset attentio spiritualis valde perfecta, prout v. g. in extasi contingit; in tali enim casu haberetur quidem excellentissimum pietatis exercitium, non tamen haberetur vera oratio vocalis. Cfr. Suarez, l. c. c. 4, n. 15-20. Posterior pars assertionis etiam communiter admittitur, et profecto admitti debet, quia, posito duplici illo elemento, intentionis scilicet orandi et attentionis ad verba, habetur vera locutio cum Deo, et pia ad ipsum petitio, ut patet ex comparatione cum locutione et petitione quæ inter homines fiunt, et ulterius constat exemplo personarum idioma cujus verba recitant non intelligentium, quas tamen vere orare nemo diffitetur. Porro perinde est sive defectus ille attentionis litteralis et spiritualis sit involuntarius, sive sit voluntarius, ex justa causa, vel absque ratio-

nabili causa; hujusmodi enim circumstantiæ mutare nequeunt rei substantiam. Cfr. Suarez, l. c. n. 9-14. Nec objiciatur, orationem esse mentis elevationem in Deum, quæ idcirco supponat aliquam attentionem spiritualem; facile enim responderi potest cum J. De Lugo, l. c. n. 39, « orationem esse elevationem mentis in Deum, eo modo quo adoratio est nota submissionis. Sicut enim adoratio interna est nota interna submissionis, et adoratio externa est nota externa submissionis, ad quod non requiritur quod nunc sit actu explicite submissio interna (possumus enim per genuflexionem præsentem significare submissionem internam quam habuimus explicite paulo ante, quando nos applicuimus ad totam illam actionem exercendam); sic oratio interna est interna elevatio actualis; oratio vero externa est signum externum elevationis internæ sive præsentis, sive præcedentis, quam volumus significare per illas voces. Et hoc quidem necessarium est quotiescumque est vera oratio et non ficta, qua fingimus nos desiderare in corde aliquid a Deo quod revera non desideramus. » Quod si nonnulli theologi quandoque videntur requirere attentionem spiritualem, per hanc nihil aliud intelligunt quam intentionem orandi saltem virtualiter perseverantem.

et remissa;

217. *Sicut manifestum esse debet essentiam orationis vocalis non reperiri ubi nulla habetur attentio superficialis, ita apud omnes constat eamdem non requirere hujusmodi attentionem perfectam et intensam, sed bene consistere posse cum imperfecta, etiamsi hæc sit valde tenuis et remissa, dummodo maneat realis.* Cfr. Suarez, et Lugo, ll. cc. Hoc principium ex iis quæ statim subjiciemus, explicabitur, et, quantum necessarium est, demonstrabitur.

hinc substantiam orationis vocalis non semper et necessario

218. Hinc substantiam orationis vocalis non destruunt *actiones externæ*, quæ simul cum ipsa exercentur, dummodo illæ actiones cum attentione

destruunt actiones externæ, quæ simul cum ipsa exercentur,

superficiali ad prolationem verborum *compossibiles* sint; at substantia orationis destruitur, si simul cum ipsa exercentur actiones externæ, quæ, sive ex natura sua, sive etiam ex sola subjecti infirmitate, cum attentione superficiali incompossibiles sunt. Porro actiones ex natura sua compossibiles cum attentione ad prolationem verborum a theologis indicantur, v. g. ambulare, se lavare, induere non omnino properanter, instruere focum, sternere lectum etc. Actiones autem ex natura sua cum prædicta attentione incompossibiles sunt, fabulari, scribere etc. Cfr. S. Alphonsus, l. c. n. 176, et Suarez, l. c. lib. 4, c. 26, n. 23.

219. In exercitio autem talium actionum simul cum oratione nullum erit peccatum, si hæ sint *necessariæ* vel *utiles;* imo fidelibus valde commendatur ut inter opera sua manualia preces recitent, idque etiam et religiosis et sacerdotibus aliquando præcipitur; multo enim melius est orare imperfecte quam non orare. (1) At saltem veniale peccatum

(1) Solus, quem sciam, de hac re dubitavit Concina, cujus verba hic referre placet, ut specimen habeatur aberrationis, in quam theologum inducere possint præjudicia et falsa quædam principia. Sic igitur ille: « Quid de iis dicendum, qui inter manuum labores preces recitant?... In precibus liberis attentionem necessariam diximus. Hanc attentionem a præfatis actionibus impediri omnes asserunt. Quid ergo? Suadendumne ut ab hoc christiano more desistant? In morum quæstionibus aliqua occurrunt, quæ vix præciso responso resolvi queunt. Hinc ratio urget, illinc mos adversatur. Dum ego ipse morem fratrum nostrorum, et agricolarum, aliorum artificum, preces inter labores recitantium, lumine naturali contemplatus sum, optimum absque hæsitatione existimavi morem. Quin mos iste tantæ mihi ædificationi semper fuit, ut devotionem pietatemque accenderet..... In præsens vero, dum morem hunc ad regulas, quas pro oratione ex communi theologorum consensu tradidi, revoco, aqua hæret, et difficultatem fere patior. Dictum est enim quod etiam in oratione libera attentio necessaria est, cui attentioni recensita mechanica opera directe repuguare videntur. Ex quo consequitur, preces cum his operibus componi minime posse; sed ex duobus unum seligendum esse. Hoc est consectarium quod ex

aderit, si eædem actiones sint *otiosæ;* aliquam enim injuriam Deo facit, qui, dum ipsum alloquitur, aliis rebus, absque ulla necessitate et ratione, vacat. Imo peccatum poterit esse mortale, non solum contra alias virtutes sed etiam contra religionem, si inter orandum ponantur actiones *malæ* et *turpes*. Cæterum in hoc ultimo casu plerumque tolletur ipsa orationis substantia, non præcise defectu attentionis, sed potius defectu intentionis: qui enim actu graviter Deum offendit, censeri nequit velle eodem tempore Deum per orationem revereri.

nec distractiones internæ, seu cogitationes de alienis.

220. Similiter substantiam orationis vocalis non destruunt *involuntariæ distractiones internæ* seu *cogitationes de alienis,* quæ inter orandum contingunt, dummodo istæ distractiones attentionem ad verba saltem tenuem et remissam relinquant; sic fatentur omnes. Nec substantiam orationis tollunt hujusmodi distractiones *voluntariæ in sua causa,* scilicet ex negligentia; cfr. Suarez, l. c. c. 26, n. 18 et seqq. Imo substantia orationis remanere videtur, saltem ex parte attentionis, etiamsi inter orandum apposite nutriantur cogitationes de alienis, et consequenter habeantur distractiones *in se voluntariæ.* Ratio est, quia, non obstante voluntaria distractione, habetur vera locutio et petitio, ut patet ex iis quæ inter homines contingunt; aliunde, si orationem impediret distractio voluntaria æque eam impediret distractio involuntaria, siquidem, relate ad attentionem, omnino accidentale est quod hujusmodi distractio voluntaria sit aut involuntaria; præterea si distractio voluntaria per se destrueret orationis substantiam, eo ipso impediret validitatem extremæ-

præjecto ratiocinio sponte fluit. Absit tamen ut hunc piorum christianorum morem improbem! scandalum quippe ingererem non leve, si operariis istis talem dissuaderem devotionem.... *In Dec.* lib. 2, diss. 2, c. 9, § 3, n. 8 et 9.

unctionis, cujus forma, utpote deprecatoria, veram orationem continere debet. Hæc fuse evolvuntur a J. De Lugo, l. c. n. 30. (1)

221. Porro cogitationes de alienis seu distractiones, si sint *involuntariæ,* nullum peccatum constituunt, ut per se patet; voluntariæ vero nullum item peccatum constituunt, si sint *necessariæ* vel *utiles*, puta quia recitans debet alicujus rei recordari, et ideo eam aliquoties inter orandum mente revolvit. At peccatum saltem veniale constituunt, si sint *otiosæ*, imo forte mortale, si sint *malæ* et *turpes*. Ita Suarez, l. c. c. 4, n. 13: « Est mihi verisimile, si quis, dum vocaliter orat, in delectatione et cogitatione turpi morose delectetur, peccando mortaliter contra castitatem, etiam peccare per circumstantiam contrariam religioni, vel venialiter aggravantem, quod est certum, vel etiam mortaliter, quod, licet sit incertum, timendum est, quia videtur gravis Dei irreverentia. » Cæterum hic etiam contingere potest ut voluntas adhærendi quibusdam cogitationibus revocet voluntatem orandi, atque ita destruatur substantia orationis, non propter carentiam attentionis, sed propter carentiam intentionis.

222. Hæc, quibus existimamus aliquousque conciliari inter se posse sententias theologorum specietenus diversas, post J. De Lugo et Æg. De Coninck, præ cæteris proposuerunt Salmanticenses, tr. 16, c. 3, p. 5, Gobat, tr. 5, disp. 2, n. 794-856, Illsung, tr. 5,

(1) Concina, cum horum argumentorum vim prorsus sentiret, qualemcumque suam ad ea responsionem sequenti præfatione munivit: « Inter plura mala, quæ post natum Probabilismum suffert divina morum theologia, non infimum locum tenet illud quod ex metaphysicis subtilitatibus, quibus nonnulli scholastici illam implicant, proficiscitur. Assueti hi de rebus nullius momenti non raro disputare, quæstionesque sola verborum et distinctiuncularum multiplicatione instituere et dirimere, cum ad morum sententias versandas accedunt, easdem ad similes distinctiones et subtilitates revocant. » l. c. § 2, n. 4.

d. 1, q. 1, a. 3, n. 25-34, Babenstuber, tr. 5, disp. 2, a. 3, § 6, n. 116-126, quibus revera non contradicit Suarez, lib. 4, c. 26, coll. lib. 3, c. 4; cfr. etiam Lacroix, lib. 4, n. 1341, 1342.

Nullæ sunt pro oratione vocali conditiones specialiter requisitæ,

223. Præter verborum aptorum prolationem, intentionem orandi, et attentionem superficialem, nullæ sunt conditiones specialiter requisitæ in oratione vocali; quod melius adhuc intelligemus, si præcipuas circumstantias breviter percurramus.

quoad verborum formulas,

a) Imprimis nulla præscripta est *formula* precum, quam sequi oporteat; et quamvis omnibus aliis formulis perfectior sit illa quam a Christo Domino habemus, tamen nec utile est nec moraliter possibile ut ea exclusive adhibeatur. Cfr. Suarez, l. c. c. 1, n. 5-8.

corporis modum et situm,

— b) Nihil etiam præscribitur quoad *modum corporis:* satis est, si decentia servetur; in qua re, ait Suarez, l. c. c. 7, n. 16 « triplicem respectum considerare necesse est. Primus est ad Deum ejusque majestatem et excellentiam, et ex hac parte conferunt verba et signa submissionis et humilitatis, ut sunt genuflexio et similia. Secundus respectus est ad nos ipsos orantes, et ex hac parte adhibenda sunt signa et verba quæ animam componant, et excitent ad devotionem et compunctionem, ut sunt levare manus, pectus tundere, et similia. Tertius respectus est ad circumstantes, si adsunt, nam talis servandus est modus, ut alios non perturbet nec scandalizet, ita ut omnis hypocrisis et gloriæ ambitio etiam in externa specie vitetur. » Unde in hoc puncto non potest graviter peccari nisi ratione contemptus vel scandali.

— c) Præterea nihil præcipitur quoad *situm* versus orientem, licet hæc cæremonia sit bona, quando servatur eo spiritu quo introducta est; cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 84, a. 3 ad 3, et Suarez, l. c. n. 14, 15.

orandi tempus et locum,

— d) Nihil determinatum est quoad *tempus* et *locum:* sufficit si, absque ratione, non eligantur tempora et loca, in quibus detur impedimentum

orationis mensuram.

attentioni. Cfr. Suarez, l. c. n. 7-12. — e) Denique nulla orationis vocalis *mensura* proposita est; adeoque tantum protrahi potest quantum utile est ad excitandum desiderii fervorem. His autem non obstant verba Christi Domini, Matth. VI, 7, 8; ibi enim non agitur de longis orationibus absolute, sed de multiloquio quod internam devotionem impediat, præsertim vero de multiloquio ethnicorum, qui multiplicabant verba, quia existimabant ea necessaria esse ut dii preces intelligerent, et persuaderentur. *Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.*

Oratio vocalis est rationabilis, honesta, utilis, non tamen obligatoria.

224. Necesse non est ut demonstremus orationem vocalem *honestam* esse et *rationabilem;* hoc enim satis constat ex principiis generalibus supra explicatis. Cfr. Suarez, l. c. c. 1, n. 3, 4. Eam autem *utilem* esse æque certum est. Non tamen dici potest fidelibus *obligatoria;* nullum enim exstat de ea præceptum naturale, vel divinum vel ecclesiasticum. Cfr. Suarez, l. c. c. 6.

Oratio Dominica.

225. Hujus loci non est agere de præcipuis orationibus vocalibus in specie, easque explicare. Legi possunt theologi, ac præ omnibus Suarez, lib. 3, c. 8, 9. Quod attinet ad orationem dominicam, eam inter veteres exposuerunt Tertullianus, *Lib. de Oratione,* S. Cyprianus, *Lib. de Oratione Dominica,* S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Cath.* 23, *mystag.* 5, n. 11, S. Chrysostomus, *Homilia de Orat. Dom.,* S. Gregorius Nyssenus, *Hom. de Orat.,* S. Ambrosius, *De Sacramentis,* lib. 5, c. 4, S. Augustinus, *De serm. Dom. in monte,* lib. 2, c. 5, Cassianus, *Coll.* 9, c. 18, S. Petrus Chrysologus, *Serm.* 67. Inter recentiores vero eamdem orationem exposuerunt, præter interpretes, S. Thomas, tum breviter 2, 2, q. 83, a. 9, tum fusius *Expos. in Or. Dom.,* omissisque Angelici

commentatoribus, Suarez, *De Rel.* tr. 4, lib. 3, c. 8, Greg. de Valentia, disp. 6, q. 2, p. 5, Lessius, Lib. 2, c. 37, dub. 4, Segneri, *Manna animæ*, mens. Oct. Præterea inter opera S. Teresiæ habentur « *Méditations sur le Pater pour s'en servir durant les sept jours de la semaine;* » et in *Bibliotheca Patrum* ac opusculis S. Francisci exstat orationis dominicæ expositio paraphrastica, partim litteralis partim mystica, ab ipso S. Francisco concinnata, quam refert Herinckx, disp. 1, q. 4, n. 31.

ARTICULUS II.

De oratione vocali publica.

Oratio publica ea dici debet quæ fit ab ipsa communitate vel ipsius nomine;

226. Publica oratio ea non est quæ ab una persona palam fit et coram aliis; nec publica est oratio quæ simul fit a multis personis, quando illæ personæ casu ad orandum convenerunt in eumdum locum, et unaquæque earum pro se ipsa seorsim orat. Imo in rigore publica dici nequit oratio quæ simul fit a pluribus personis, etiamsi illæ personæ ex condicto ad orandum convenerint, et omnes unam et eamdem orationem fundant, quod triplici modo fieri potest, nempe vel ita ut verba ab universis simul proferantur, vel ita ut verba alternatim a præsentibus proferantur, vel demum ita ut verba proferantur ab una tantum persona, aliis cooperantibus eique sese conjungentibus. Stricte igitur *publica* oratio ea vocari debet quæ fit a *communitate;* orat autem communitas vel *per seipsam*, quando nempe membra ejus tali numero et conditione ad orandum conveniunt ut eam vere constituant et repræsentent; vel *per personas determinatas*, quæ pro communitate legatione funguntur, et ejus nomine preces fundunt; in hoc autem casu omnino convenit ut orationis formula sit prædictis personis a legitima auctoritate præscripta.

præcipua est officium divinum.

227. Jamvero inter orationes stricte publicas præcipua est ea quæ *Officium divinum* nuncupatur, licet variis aliis nominibus, ut *Horarum canonicarum*, *Breviarii*, *Cursus ecclesiastici*, etc. designatum fuerit. Officium autem divinum dici potest *in communi* vel *solitarie*, *simpliciter recitando* vel *psallendo* et *cantando*, etc. De hac ergo oratione publica in sequentibus paulo distinctius tractandum est.

§ I.

De personis quæ ad officium divinum obligantur.

Oratio publica primitus fiebat ab ipsis cœtibus christianis;

228. Notum est, primis Ecclesiæ temporibus, fideles solitos fuisse convenire ad preces communes Deo fundendas, scilicet ad cantandos psalmos et hymnos, ad legendos Scripturarum libros, etc. Cfr. v. g. Conc. Antiochenum, *Epist. synodica*, Conc. Laodicenum, c. 17, 18, 59, Const. Apost. lib. 8, c. 34, Tertullianus, *Apol.* c. 2, n. 8, c. 39, n. 129, S. Cyprianus, *De Orat. Dom.* c. 34 et 35, S. Basilius, *Epist.* 207 (al. 63), S. Ambrosius, *Hexam.* lib. 3, c. 5, etc. Hunc autem morem Christiani Apostolorum exemplo ac hortationibus impulsi servabant; cfr. Act. II, 42, 46, 47, III, 1, X, 9, XVI, 25, Eph. V, 18, 19, Coloss. III, 16.

postea fieri debuit per speciales ministros, scil. per personas ecclesiasticas.

229. Nihilominus, propter humanæ naturæ infirmitatem et vitæ necessitates, impossibile erat ut Ecclesia, jam ampliata et in toto orbe diffusa, sufficienter oraret per omnes suos filios particularibus cœtibus coadunatos. Necesse ergo fuit ut ministris ad hoc electis committeretur munus precandi pro Ecclesia, quatenus est corpus mysticum. Jam vero illi, qui specialiter apti sunt ad hoc munus recipiendum digneque exsequendum, sunt sacerdotes et qui ad sacerdotium accedunt, scil. personæ ecclesiasticæ. Sacerdos enim *constituitur in iis, quæ sunt ad*

Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Heb. V, 1. Unde Apostoli, crescente numero discipulorum, alios sibi substituerunt super mensas, ut *instantes* essent *orationi et ministerio verbi*, Act. VI, 1-4. Ita Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 4, c. 1, n. 11, ad quæstionem, quomodo possit universa Ecclesia in unum convenire ad unam orationem communem proferendam, respondet, « hac ratione institutos esse ejusdem Ecclesiæ ministros, et sacerdotes qui nomine totius Ecclesiæ orent, quibus Ecclesia commisit vices suas, ut nomine totius corporis preces fundant; et hoc est optimum signum hujus communis orationis; quocirca, licet sacerdotium a Christo Domino in Ecclesia sit institutum, ac subinde ex ejusdem Christi ordinatione habeat sacerdos evangelicus ut possit in ejus persona offerre et orare, et impetrare nomine illius, ultra hoc etiam habet, ex institutione et commissione Ecclesiæ, ut suo nomine pro se et suis filiis, ac membris oret... Et hac ratione potuit Ecclesia excommunicatos omnino excludere a participatione suarum communium orationum tam efficaciter, ut, licet minister tentet pro eis orare nomine Ecclesiæ, mentiatur, nihilque faciat, nullumve fructum excommunicato conferat.....; signum ergo est, Ecclesiam totam per modum unius ad Deum orare per ministrum suum, tamquam per legatum vel nuntium a se constitutum. Potest enim respublica hoc modo loqui ac scribere ad alterum principem, per legatum a se missum. Ut autem talis minister auctoritatem ad sic orandum ab Ecclesia accipiat, non est necesse ut per suffragia singulorum illam recipiat, sed satis est quod auctoritate suprema et publica totius Ecclesiæ illam habeat; nam Ecclesia est corpus monarchicum, cujus monarchia non est ab hominibus, sed ab ipso Christo instituta, qui suo Vicario commisit totam potestatem et auctoritatem, quæ universo corpori expediebat.

Et ita solus Pontifex potestatem habet constituendi hoc ministerium deprecandi nomine totius Ecclesiæ, et committendi illud sacerdotibus et ministris a se deputatis, et ita fit ut orationes per hos ministros oblatæ nomine totius Ecclesiæ fiant. »

230. Recte igitur et rationabiliter personæ ecclesiasticæ deputatæ fuerunt ad orandum nomine Ecclesiæ. Licet autem hæc disciplina inde ab initio semper substantialiter eadem permanserit, agnoscendum tamen est, decursu temporum quasdam in ea contigisse mutationes accidentales. In præsenti vero rerum statu, tres sunt classes personarum de quibus inquiri potest an et quousque ad officium divinum, prout est oratio publica, teneantur; hujusmodi sunt clerici majoribus ordinibus initiati, religiosi ad chorum professi et beneficiarii ecclesiastici.

I. De clericorum obligatione ad officium divinum.

Officium divinum recitare debent, ex lege ecclesiastica, clerici

231. *Clerici in majoribus ordinibus constituti officium divinum sub gravi quotidie recitare tenentur.* Hæc obligatio, utpote omnino conveniens statui clericorum, qui ad cultum divinum specialiter deputati sunt, dici aliquo modo potest fundata in jure divino, non tamen immediate est juris divini, sive quoad temporis et modi determinationem, sive quoad ipsam rei substantiam, ut multis ostendit Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 4, c. 16, n. 2-6. Aliunde textus legis ecclesiasticæ, qua eadem obligatio introducta fuerit, non suppetit; sed omnia documenta, quæ supersunt, prædictam obligationem jam vigentem supponunt, et non diriguntur nisi ad ejus adimpletionem urgendam; hinc communiter asseritur eam ex consuetudine originem habuisse. Monumenta, quæ ad hanc materiam pertinent, longa serie relata fuerunt ab Ill. Roskovány, in erudito opere *Cœlibatus et Breviarium*, tom. 5 et 8; cfr. v. g. S. Cæ-

sarius Arel. *Serm.* 284, Conc. Claromontense ann. 1268, p. 2, c. 1, Conc. Passaviense ann. 1284, c. 34, Stat. synod. Leodiensia, ann. 1287, c. 10, § 15, etc.

232. Porro ad officium divinum tenentur a) clerici cujusvis *nationis* et *ritus;* cfr. Benedictus XIV, Const. *Eo quamvis tempore*, 4 Maii 1745. — Attamen b) juxta præsentem saltem Ecclesiæ disciplinam, ad officium tenentur soli clerici *in majoribus ordinibus constituti,* non autem clerici *minores.* Dicimus : *juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam;* quia non desunt qui existimant olim clericos etiam minores eadem obligatione constrictos fuisse; cfr. Van Espen, *Diss. de horis can.* p. 1, c. 2, § 1. Sicut autem hodie hi clerici minores non tenentur ad officium divinum, ita non tenentur ad alias preces, puta ad horas B. V. vel ad psalmos pœnitentiales, nisi alicubi vigeat consuetudo legitima ad aliquid hujusmodi adstringens, vel impositum fuerit speciale præceptum episcopi, quod tamen utrum valide fieri possit, nonnulli dubitant; cfr. Castropalao, tr. 7, disp. 2, p. 1, n. 4, Roskovány, op. cit. tom. 8, m. 855, et m. 857. — Porro c) clerici majores officium recitare tenentur *ab ipso die ordinationis inclusive sumpto*, ut contra nonnullos docet sententia communis; cfr. Salmanticenses, tr. 16, c. 2, p. 1, n. 6. — Nihilominus d) ii clerici non tenentur recitare totum officium diei ordinationis, sed tantum partem correspondentem tempori quo obligationem suscipiunt. Hic autem statim controvertitur, an tempus illud sit intelligendum absolute, juxta distributionem scilicet diei ecclesiastici, an vero relative juxta consuetudinem chori; sententiam eorum qui arbitrantur intelligendum absolute, non autem relative, multo magis fundatam existimamus; cfr. S. Alphonsus, lib. 4, n. 140. Controvertitur etiam utrum subdiaconus obligationi suæ satisfaciat partem debitam

omnes,

in majoribus ordinibus constituti,

ab ipso die ordinationis ;

recitando ante ordinationem; opinio affirmans nobis solida ratione destituta videtur, adeoque saltem scientifice rejici debet. Cfr. S. Alphonsus, l. c. — Quod autem e) hæc obligatio clericorum sit gravis, facillime patet; agitur enim de materia gravi, ac de fine magni momenti obtinendo, et aliunde voluntas superioris sufficienter manifestata est. — Tandem f) advertendum est, quod clerici majores officio obligati maneant, quamvis excommunicati sint, interdicti, suspensi, imo degradati, etc. Etsi enim Ecclesia per hujusmodi non oret, jubet tamen eos orare.

II. De religiosorum obligatione ad officium divinum.

item religiosi

233. *Omnes etiam religiosi utriusque sexus ad chorum professi sub mortali divinum officium recitare tenentur.* Hæc obligatio relate ad religiosos non est quidem æque certa ac relate ad clericos; communiter tamen a theologis admittitur ut vera. Fundatur autem non in lege naturali aut divina, sed in sola lege ecclesiastica, consuetudine et usu ipsis ordinibus religiosis coævo introducta, ac demum per legitimam auctoritatem approbata et confirmata. Cfr. Suarez, l. c. c. 17, n. 1-7, Collet, *De præcipuis obligationibus*, p. 2, c. 3, a. 1, S. Alphonsus, lib. 4, n. 142.

ad chorum professi,

234. Dicuntur autem ad officium divinum teneri *religiosi*, adeoque excluduntur novitii, necnon membra congregationum in quibus non emittuntur vota solemnia; cfr. Gury, tom. 2, n. 182, 183. Dicuntur præterea obligari religiosi *ad chorum professi*, adeoque non comprehenduntur conversi, nec ii qui deputantur sive ad militiam, ut equites, sive ad officia charitatis, ut hospitalarii, sive ad prædicationem et instructionem, ut jesuitæ. Manent autem religiosi prædictæ obligationi obstricti, etiamsi extra

monasterium degant, imo probabiliter etiamsi sint profugi, aut ejecti. Cfr. S. Alphonsus, l. c. dub. 1 et 2. Tandem obligatio religiosorum incipit a die et hora professionis, non secus ac obligatio clericorum.

III. De obligatione beneficiariorum ad officium divinum.

et beneficiarii,

253. *Ad officium divinum tenentur omnes beneficiarii, qui habent et possident beneficium sponte susceptum et ex eo annuos saltem alicujus momenti fructus percipiunt vel moraliter certo percepturi sunt, tametsi in ordinibus sacris non sint constituti.* Hujusmodi obligatio beneficii possessioni annexa est tum ex voluntate fundatorum, tum præcipue ex voluntate Ecclesiæ, ut constat ex communi consensu et traditione, necnon ex disertis declarationibus concilii Lateranensis V, sub Leone X, sess 9, et S. Pii V, bulla *Ex proximo Lateranensi concilio;* cfr. Suarez, l. c. c. 18, Collet, *De Religione*, p. 2, c. 3, a. 2.

qui scilicet beneficium

256. Dicitur autem in propositione a) ad officium teneri *beneficiarios;* quinam vero ii censeantur explicatur apud interpretes juris canonici, et etiam apud quosdam theologos; cfr. v. g. Castropalao, l. c. disp. 2, p. 1, § 2, n. 1-7; specialiter pro regionibus nostris quæritur utrum beneficiarii reputandi sint illi qui, pro munere ecclesiastico et animarum cura, pensionem a gubernio civili recipiunt; cfr. Carrière, *De Justitia*, n. 193 et seqq., Gury, tom. 1, n. 564. Dicitur b) ad officium teneri illos, qui habent et *possident* beneficium, quia non tenentur recitare officium, qui solum titulo beneficii gaudent; cfr. Suarez, l. c. c. 19, S. Alphonsus, lib. 4, n. 144. Dicitur c) teneri ad officium illos qui ex beneficio *fructus percipiunt vel percepturi sunt,* quia non obligantur ad recitationem, qui nullos ex beneficio fructus per-

possident,

ex quo percipiunt fructus

cipiunt inculpabiliter, nec per ipsos stat quominus percipiant; cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 674. Tandem d) dicitur ad officium teneri qui ex beneficio percipiunt fructus *alicujus momenti*, scilicet sufficientes saltem ad tertiam partem sustentationis; qui autem minus percipiunt probabiliter recitare non obligantur; cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 674.

alicujus momenti.

Pœna imposita beneficiariis non recitantibus.

237. Porro beneficiarius qui, post sex menses ab obtento beneficio, culpabiliter officium non recitat, non potest fructus beneficii sibi retinere, sed debet, pro rata omissionis, eos erogare in usus pios, idque ante quamcumque sententiam judicis, quia agitur de lege pœnali juris negativa. Cfr. *Theologia mor. fund.* n. 142. Et huc pertinet propositio 20ª ex damnatis ab Alexandro VII: « Restitutio a Pio V imposita beneficiariis non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.» Cfr. Viva, in h. p., S. Alphonsus, lib. 3, n. 665-669. Quod si beneficio sit adnexum aliud munus, quo beneficiarius rite fungitur, fructus non videntur totaliter restituendi propter omissionem officii, sed probabiliter ex parte retineri possunt, in quantum nempe respondent muneri adimpleto. Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 673. Ex dictis autem sequitur quod beneficiarius officium omittens semper peccet graviter contra religionem, nunquam vero peccet simul contra justitiam, nisi post sex menses ab obtento beneficio animum habeat retinendi fructus. Cfr. S. Alphonsus, lib. 4, n. 145.

238. Qui pluribus simul titulis, puta ordinis et beneficii vel ordinis et professionis, ad officium tenetur, unicum tantum recitare debet, et si illud omittat, unicum committit peccatum; cfr. *Theol. mor. fund.* n. 195 et 456.

239 Tandem advertendum est, valde optandum esse ut populus christianus, licet ad officium non tenea-

tur, ei tamen intersit; siquidem officium est oratio publica quæ pro omnibus funditur.

§ II.

De officio quod recitandum est.

240. Officium divinum, in Ecclesia catholica receptum, est precationis formula composita ex psalmis, canticis, hymnis, lectionibus, antiphonis, responsis, collectis, etc. Hanc autem materiam, ex qua officium divinum componitur, convenientem esse, facile a theologis demonstratur contra veteres quosdam ac recentiores hæreticos; cfr. præ cæteris Thomas Waldensis, tom. 3, c. 20 et seqq., Greg. De Valentia, disp. 6, q. 2, p. 10, § 1, Bellarminus, *De bonis operibus*, lib. 1, c. 10, Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 4, c. 2, etc. Officii divini compositio

241. Dividitur officium divinum in *nocturnum* et *diurnum:* utrumque autem subdividitur in plures partes correspondentes totidem partibus noctis et diei, et quæ idcirco vocatæ sunt *horæ*. Talem vero officii distributionem aptam ac rationabilem et semper usitatam esse ostenditur a theologis supra citatis, et nominatim a Suarez, l. c. c. 3-6. et distributio;

242. Licet officium divinum quoad substantiam idem semper fuerit apud omnes gentes christianas, varias tamen subiit modificationes accidentales pro variis locis et temporibus. Cfr. Martène, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis*, Grancolas, *Commentarius historicus in Breviarium romanum*, Benedictus XIV, *De Beatif. et Canoniz.* lib. 4, p. 2, c. 13, Martin, *S. Pierre et S. Paul dans l'église Nestorienne*, et *S. Pierre et le rationalisme dans les églises orientales*, in periodico *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 31, 33. Suprema autem auctoritas spiritualis, cujus est orationis publicæ formam præscribere, simulque sinceritati ejus et puritati con- ejusque diversæ formæ.

sulere, iteratis vicibus officium reformavit, et nunquam non adlaboravit ad unitatem perfectam etiam in accidentalibus obtinendam; et jure quidem: sicut enim una et eadem est per totum orbem Ecclesia quæ per suos ministros orat, ita convenit ut per omnes illos ministros una et eadem vox sonet. Pulchre Innocentius III, ad Episc. Franciæ: « Orientalis Ecclesia in divinis laudibus ab Occidentali non dissonet; sed sicut est unus Deus et fides una, ita uno ore ipsum laudet et glorificet Oriens et Occasus. » Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 4, c. 2, n. 11-13.

Clerici, religiosi et beneficiarii officium divinum recitare debent integre,

243. *Itaque clerici majores, religiosi ad chorum professi et beneficiarii quotidie recitare tenentur officium divinum integre, seu omnes et singulas horas ipsum componentes,* quibus in die commemorationis adjungere debent, juxta sententiam omnino communem, *officium defunctorum,* et etiam, juxta sententiam communiorem et probabiliorem, *litanias* in festo S. Marci et in triduo rogationum. Cfr. S. Alphonsus, lib. 4, n. 161. Quod si vel totum officium vel partem ejus notabilem, qualis censetur esse materia unius horæ parvæ ordinariæ, omiserint, graviter peccant; an autem uno, an pluribus peccatis, pendet ex circumstantiis prout explicatur in *Theologia morali fundamentali*, n. 461. Cfr. etiam S. Alphonsus, lib. 4, n. 147-149, cum iis quæ scripsimus in opere *Revue des sciences ecclésiastiques,* tom. 33, pag. 276.

juxta formam a S. Pio V præscriptam, nisi ipsis legitima consuetudo suffragetur:

244. *Debent autem clerici, religiosi ac beneficiati officium divinum recitare juxta formam a S. Pio V editam et a Clemente VIII reformatam, illis solum exceptis in quorum ecclesiis vel monasteriis, ducentis annis ante formam S. Pii V, alia forma fuit instituta vel consuetudine approbata.* Ita habetur in bulla *Quod a nobis*, S. Pii V, ann. 1568: « Omni itaque alio usu quibuslibet interdicto, hoc nostrum Breviarium, ac precandi psallendique formulam in om-

nibus universi orbis ecclesiis, monasteriis, ordinibus, et locis etiam exemptis, in quibus officium ex more et ritu dictæ Romanæ Ecclesiæ dici debet aut consuevit, salva prædicta institutione vel consuetudine prædictos ducentos annos superante, præcipimus observari. » Statuit autem ibidem Pontifex, « neminem ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse. Cfr. Gury, tom. 2, n. 57 et 58, Roskovány, tom. 5, m. 803, et tom. 8, m. 1009. *Acta S. Sedis*, tom. 4, pag. 465 ubi agitur de legitimitate breviarii ordinis cisterciensis.

245. Hinc per se graviter peccat qui vel semel recitat officium juxta formam a Romana diversam, nisi ipse pertineat ad ecclesiam vel monasterium ubi adhuc legitime viget usus formæ propriæ et antiquæ. Absque ulla autem ratione nonnulli existimaverunt semel, bis aut ter tantum ita agere non esse mortale. Cfr. Salmanticenses, tr. 16, c. 1, p. 4, n. 18. — Hinc præterea, qui caret breviario Romano non tenetur recitare juxta aliud, si forte habeat; in hoc enim altero non habetur, relate ad ipsum, officium divinum; cfr. Salmanticenses l. c.; oppositum quidem sentit Billuart, *De horis canonicis*, § 5, sed, ut nobis videtur, immerito prorsus. — Hinc demum, quibus concessum est uti breviario a forma Romana diverso, probabiliter licitum non est, privata auctoritate, illud breviarium proprium relinquere ut Romanam formam sequantur. Cfr. Bonacina, *De horis canonicis*, disp. 1, q. 3, p. 1, n. 3, plures theologos pro se allegans contra alios; cui sententiæ favere videtur responsio data a S. R. C. die 22 Maii 1841; cfr. Roskovány, op. cit. tom. 8, m. 969.

secus obligationi non satisfaciunt;

246. *Clerici, religiosi et beneficiarii horas recitare debent secundum designationem temporum, dierum et festorum quæ habetur in breviario Romano et in proprio diœcesis vel ordinis a Sancta Sede approbato*,

item recitare debent secundum designationem temporum, dierum et festorum;

ita ut non liceat unum officium particulare recitare pro altero. Ratio est, quia hoc est de forma recitandi quam in bulla *Quod a nobis* præscripsit S. Pius V; ad illam enim pertinet distributio officii per tempora, dies et festivitates.

247. Hinc omnes fatentur eum peccare qui scienter absque legitima causa recitat officium pro officio, v. g. pro officio dominicæ vel feriæ, officium de Sancto, vel e contra. At quantum peccatum talis committat, multum controvertitur. Præcipuas sententias afferemus, unicuique assignando suos patronos; postea nostrum de his judicium dabimus. Itaque a) prima sententia tenet eum, qui scienter officium vel una vice mutat, debito non satisfacere et idcirco graviter peccare, quia distributio dierum pertinet ad formam substantialem a summis Pontificibus determinatam. Hanc sententiam propugnaverunt Toletus, *Inst. sacerd.* lib. 2, c. 13, n. 5, Bonacina, disp. 1, q. 3, p. 1, n. 17, Castropalao, l. c. disp. 2, p. 2, n. 18, Collet, l. c. a. 3, quær. 4°, multisque eam defendunt Giribaldi, *De horis canonicis,* dub. 8, n. 149, Salmanticenses, tr. 16, c. 3, p. 4, n. 21, et præ cæteris olim Garzias, *De beneficiis,* 3 p. c. 1, n. 145 et seqq., nunc vero Falise, *Cérémonial romain,* 2e p. intr. n. 7. — b) Secunda sententia tenet graviter peccare eum, qui vel unica vice officium mutat in aliud brevius, vel sæpe, puta ter aut quater in anno, officium mutat in aliud etiam æquale, quia talis aut substantiam præcepti non ponit, aut ordinem præscriptum graviter perturbat. Hanc habent Suarez, *De Religione,* tr. 4, lib. 4, c. 23, n. 14, Filliucius, tr. 23, n. 228, Reginaldus, lib. 18, n. 172, Viva, art. 2, n. 4, Barth. Ledesma, art. 4, concl. 16, Tamburini, lib. 2, c. 5, § 1, n. 23, Elbel, n. 406, S. Alphonsus, lib. 4, n. 161, quær. 3, Babenstuber, tr. 5, disp. 2, a. 3, § 3, n. 89-92, Gousset, tom. 2, n. 699. — c) Tertia sententia tenet venialiter peccare eum qui raro officium mutat in aliud commune sive

controvertitur quousque hæc altera obligatio se extendat:

æquale sive etiam brevius, graviter vero cum solum qui frequenter talem mutationem facit; quia ille et substantiam servat et ordinem non graviter perturbat, hic vero, licet ponat substantiam, ordinem tamen notabiliter pervertit. Hanc sententiam proponunt Sanchez, *Cons. Mor.* lib. 7, c. 2, dub. 25, Gobat, tr. 5, disp. 3, n. 885, Illsung, tr. 5, disp. 1, q. 1, a. 2, n. 12. — d) Quarta sententia tenet, leviter peccare eum, qui etiam sæpe unum officium mutat in aliud æquale vel fere æquale; at graviter peccare eum, qui vel unica vice unum officium mutat in aliud vel notabiliter brevius vel notabiliter discrepans ratione celebritatis, ita ut in hujusmodi mutatione habeatur vel defraudatio materiæ vel defraudatio cultus divini: hanc defendunt Reiffenstuel, tr. 6, dist. 1, q. 5, n. 61, Bassæus, tom. 2, v° *Horæ*, s. 2, n. 7, etc. — e) Quinta sententia tenet, venialiter tantum peccare eum, qui, etiam sæpe, unum officium mutat in aliud commune, sive æquale sive brevius, quia talis ponit substantiam rei præceptæ, et non pervertit nisi ordinem sub levi obligantem: hanc, ante bullam S. Pii V, docuerunt S. Antoninus, *Summa*, p. 3, tit. 13, c. 4, § 2 et præsertim § 5, Sylvester, v° *Horæ*, q. 12, n. 1, Cajetanus, *Summa*, v° *Horæ*, n. 5, Dom. Soto, *De justitia*, lib. 10, q. 5, a. 4, Tabiena, v° *Horæ*, n. 16, Armilla, v° *Horæ*, n. 7; et post illam bullam eamdem defenderunt Azor, p. 1, lib. 10, c. 10, q. 2, Lessius, *De Justitia*, lib. 2, c. 37, n. 77, Becanus, c. 33, q. 13, et probabilem dixerunt Greg. De Valentia, disp. 6, q. 2, p. 10, § 3, Salmanticenses, l. c., Cardenas, *Crisis Theol.* p. 2, tr. 4, disp. 33, c. 4, n. 42, et communiorem Laymann, lib. 4, tr. 1, c. 5, n. 4. — f) Sexta demum sententia tenet, venialiter tantum peccare eum, qui etiam sæpe officium mutat in aliud brevius imo et extraordinarium: hanc proposuit Caramuel, *Theol. Reg.* disp. 190, n. 1383 et *Theol. Fund.* n. 1100.

judicium de diversis sententiis expositis;

248. Ex his porro sententiis ultima coincidit cum propositione 34ª ab Alexandro VII damnata: « In die palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto. » Quinta seu penultima valde displicuit Suarezio, l. c. n. 12, et rejecta est a S. Alphonso, qui tamen prius eam propugnaverat; quatuor aliæ dicuntur a theologis esse omnes probabiles. Quod ad nos attinet, censemus a) adhærendum esse primæ; verba enim S. Pii V, in citata bulla, nobis diserta videntur: « Statuentes... quoscumque, qui horas canonicas... dicere vel psallere debent, *propositis pœnis per canonicas sanctiones constitutis in eos, qui divinum officium quotidie non dixerint,* ad dicendum et psallendum posthac in perpetuum horas ipsas diurnas et nocturnas ex hujus romani breviarii *præscripto et ratione* omnino teneri, neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi *hac sola formula satisfacere posse.* » Cfr. Garzias et Falise, ll. cc. — Deinde b) existimamus ægre sustineri posse sententias intermedias, nempe secundam, tertiam et quartam, quia substantia rei præceptæ non videtur pendere a mensura orationum et lectionum, seu a majore vel minore earum longitudine; præterea, si mutatio officii *per se* non est nisi quid accidentale, vix intelligimus qua ratione mutationis *frequentia* aliquid grave et substantiale evadere possit. — Unde tandem c) scientifice et logice eligendum est inter primam sententiam, quam defendimus, et quintam, quam multi, ut vidimus, nimis benignam judicaverunt.

conclusiones practicæ ex illis deductæ.

249. Quidquid sit, prout unusquisque unam vel alteram ex prædictis sententiis secutus fuerit, facilius vel difficilius explicabit, imo admittere vel rejicere cogetur, nonnullas resolutiones practicas, quæ apud auctores solent proponi, v. g.: a) præcepto recitandi horas satisfacere, qui ex errore vel inadvertentia aliud officium pro officio diei recitat; —

b) illum qui ex errore recitaverit aliquam partem officii indebiti et ad errorem advertat, posse pro libitu prosequi officium inceptum, vel recitare reliqua de officio diei; cfr. Gury, tom. 2, n. 73, 74; — c) pariter, qui jam dixit unum officium pro altero, posse officium omissum recitare die qua occurret officium jam a se recitatum; cfr. S. Alphonsus, l. c. quær. 5; — d) imo ad mutandum officium sufficere quamlibet rationabilem causam, et nominatim devotionem specialem ad aliquem Sanctum vel occasionem recitandi cum socio; cfr. S. Alphonsus, l. c.

Quæstio de absentibus.

250. Remaneret hic determinandum quousque *absentes* proprium calendarium teneantur sequi; sed hæc quæstio facile solvitur ex principiis generalibus de legibus, attenta simul conditione præsentis materiæ. Nimirum clerici ad horas canonicas obligati, qui extra diœcesim vel locum domicilii versantur, a) si sint canonici vel beneficiarii, semper tenentur ad officium propriæ ecclesiæ, a qua absunt; cfr. Decreta S. R. C. 10 Jul. 1677 et 12 Nov. 1831; — b) si alii sacerdotes et clerici sæculares, qui alibi domicilium figunt aut eo pergunt animo figendi domicilium, tenentur sequi calendarium diœcesis, ad quam divertunt; cfr. Decr. S. R. C. 14 Maii 1672; — c) si extra patriam aut diœcesim versantur, animo ad propriam diœcesim redeundi, officio loci, ubi morantur, generaliter sese conformare possunt, sed non debent; cfr. Decr. S. R. C. 12 Nov. 1831; De Herdt, *Sacræ liturgiæ præxis*, tom. 2, n. 228.

§ III.

De loco in quo officium est recitandum.

Officium divinum convenienter reci-

251. *Cum officium divinum sit oratio publica, convenit ut in locis cultui publico dicatis celebretur; de facto autem a primis temporibus in ecclesiis celebrari*

tari solitum est in ecclesiis;

solitum est, quem morem auctoritas spiritualis pluribus actibus commendavit omnibus personis ad horas canonicas obligatis. Huc pertinent *Const. Apostolicæ,* lib. 8, c. 34 : « Si ad ecclesiam prodire non licuerit, propter infideles, congregabis, Episcope, in domo aliqua; quod si neque in domo, neque in ecclesia congregari poterunt, psallat sibi unusquisque, legat, oret, vel duo simul aut tres. » Cfr. Conc. Veneticum, c. 14, *Capitula* Martini Bracarensis Episc. in conc. Lucensi publicata, n. 65, *Excerptiones* Egberti, Archiepisc. Eboracensis, n. 1 et 2, Conc. Metense, c. 24, Conc. Aquisgranense, ann. 816, lib. 1, c. 126-132, *Leges* presbyterorum Northumbrensium, c. 56, Edgari Regis *Canones,* n. 45, *Canones* Aelfrici, n. 19, Conc. Wigorniense, c. 12, *Præcepta nova* Archiepisc. Rothomagensis, ann. 1245, Conc. Biterrense, ann. 1246, c. 30. *Stat. syn.* eccl. Gerundinensis, ann. 1261, n. 11; tandem, aliis omissis, sic legitur in *Stat.* eccl. Cadurcensis, p. 2: « Clerici, qui stipendiis ecclesiæ sustentantur, et qui non habent beneficium ecclesiæ, sunt tamen in sacris ordinibus constituti, debent quotidie dicere per septem horas divinum officium, nocturnum pariter et diurnum..... Item in ecclesiis sunt dicendæ, si commode fieri potest, alias, ubi fieri potuerit commode et honeste. » Eodem modo conc. Toletanum, ann. 1323, tit. 14: « Matutinum autem in ecclesia quilibet, si commode poterit, sed curati specialiter dicere teneantur. » Et conc. Beneventanum, ann. 1374, tit. II, c. 3: « In ecclesiis autem sunt dicendæ horæ, si commode fieri potest, alias, ubi fieri melius poterit et honeste. » Plura legantur apud Roskovány, op. cit. tom. 3.

juxta præsentem disciplinam obligatio non existit nisi relate

252. Attenta autem præsenti disciplina, obligatio recitandi officium in ecclesia *quibusdam* solum incumbit, ratione scilicet *specialis* tituli. Et quidem a) in ecclesiis *cathedralibus* officium divinum est

celebrandum ab omnibus et singulis *canonicis*, juxta leges quæ alibi explicantur; b) pariter in ecclesiis *collegiatis* est officium divinum recitandum ab omnibus et singulis *beneficiariis* et *præbendariis*, juxta leges generales et peculiaria statuta fundationum, de quibus etiam alibi agitur; præterea c) in ecclesiis *regularibus* officium divinum est recitandum juxta uniuscujusque statutum et consuetudinem; obligatio autem quæ singulis *religiosis* incumbit multo minus gravis reputari debet ac est obligatio canonicorum; denique d) in ecclesiis *parochialibus* officium recitari non debet nisi ex parte et in diebus festis; hæc autem obligatio ita incumbit parocho seu rectori ecclesiæ ut eam adimplere valeat sive per se sive per quamcumque personam idoneam. Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 4, c. 10, ubi hæc fusius exponuntur. Advertendum autem est, prædictam obligationem officium dicendi in ecclesia, distinctam esse ab obligatione officium dicendi, et ei quasi superadditam; unde qui priori, scil. obligationi dicendi in ecclesia, non satisfecit, non idcirco censendus est defuisse posteriori, scilicet obligationi generali officium dicendi; item si priorem adimplere nequit, non idcirco a posteriore exemptus habetur.

ad quosdam, illud recitandi in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et regularibus.

253. Cæteræ igitur personæ, quæ ad officium divinum tenentur, obligationem suam adimplere possunt in quovis loco, dummodo talis non sit qui devotionem et debitam attentionem impediat. Cfr. S. Alphonsus, lib. 4, n. 179, Gury, tom. 2, n. 71, quær. 4.

§ IV.

De modo quo officium est recitandum.

254. Modus officium divinum persolvendi respicit verborum prolationem, partium dispositionem, mentis attentionem, imo et externum corporis habitum; de quibus seorsim agemus.

I. De officio vocaliter recitando.

Officium divinum convenienter recitatur

255. Officium divinum, utpote publica oratio, *voce* dici debet, ut facile probant S. Thomas, 2.2, q. 83, a. 12, et Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 4, c. 7, n. 2. Voce autem recitatur vel simpliciter *legendo*, vel *psallendo*, vel *cantando*. Præterea recitatur vel *solitarie*, scilicet ab uno solo, vel inter plures et alternatim, *chorum* nempe constituendo.

psallendo et cantando

256. *Jam vero, licet ad essentiam orationis publicæ sufficiat simplex precum recitatio seu lectio, usus tamen psalmodiæ et cantus omnino conveniens est et utilis, si debitas conditiones habeat;* hoc patet tum a priori, siquidem ille usus specialem Dei cultum involvit; tum a posteriori, ex more scilicet in Ecclesia semper retento et non semel solemniter approbato. Huc pertinent verba S. Augustini, *Confess.* lib. 9, c. 6, n. 14: « Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et exæstuabat: inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ et bene mihi erat cum eis. » Cfr. Conc. Turonense II, ann. 567, c. 18, *Vita* S. Fulgentii Ruspensis, c. 29, Conc. Cloveshoviæ II, ann. 747, c. 15, *Regula* Riculfi, Episc. Suessoniensis, ann. 889, *Leges* presbyterorum Northumbrensium, c. 56, etc. Plura habent Suarez, l. c. c. 7 et 8, Card. Bona, in op. *De divina psalmodia*, Roskovány, op. citato, aliique.

in choro;

257. *Similiter, quamvis absolute ad essentiam orationis publicæ sufficiat lectio precum solitaria, tamen divini officii origini historicæ ejusque compositioni et artificio multo magis convenit recitatio a pluribus in choro.* Ita S. Basilius, *Epist.* 207, n. 3: « De nocte siquidem consurgit apud nos populus ad domum precationis, et in labore, in tribulatione

ac jugibus lacrymis confitentes Deo tandem a precatione surgentes ad psalmodiam transeunt. Et nunc quidem in duas partes divisi alternis succinentes psallunt, atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem ac meditationem corroborant.... Deinde uni committentes, ut, quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt: atque ita psalmodiæ varietate, precibusque subinde intersectis noctem superant. » Cfr. *Stat.* ecclesiæ Cenomanensis, ann. 1247, *Const.* Episc. Dunelmensis, ann. 1312, c. 2, ubi hæc habentur: « Statuimus quod nullus sacerdos, propter mentis alienationem et alia impedimenta occurrentia.... matutinis, vesperis, et aliis divinis officiis per se singulariter de cætero insistat, ubi temporis, loci et cleri opportunitas suffragatur; sed pro divini cultus augmento singuli sacerdotes et ecclesiarum ministri.... in ecclesiis locorum, ubi degunt, conveniant, et divina officia cum omni devotione et cordis puritate simul peragant. »

in præsenti tamen illi soli officium in choro psallere vel cantare obligantur qui deputati sunt servitio ecclesiæ cathedralis, collegiatæ vel regularis.

258. *Porro, attenta præsenti disciplina, officium divinum in choro, cantando vel saltem psallendo, soli illi recitare tenentur, qui servitio ecclesiæ cathedralis, collegiatæ vel regularis deputati sunt, nempe canonici et religiosi;* hæc autem obligatio ipsis imposita habenda est ut specialis, et superaddita generali obligationi horarum, quemadmodum supra explicavimus in quæstione simili. Cæteri vero obligationi satisfaciunt per lectionem precum et recitationem solitariam.

Qui officium recitat in choro obligationi satisfacit si partem suam cantet aut psallat, aliam vero audiat;

259. *Qui officium divinum recitare tenetur in choro, psallendo vel cantando, satisfacit obligationi suæ si partem suam psallat aut cantet, alteram vero partem et ea quæ ab uno vel paucis tantum dicuntur, audiat.* Si partem propriam non cantet, sed solum submisse dicat, non satisfacit *speciali* obligationi chori, licet satisfacere possit *generali* obligationi horarum; et si hanc partem nec cantet aut psallat, nec etiam sub-

misse dicat, *neutri* obligationi satisfacit. Cfr. Suarez, l. c. c. 12, n. 1-17. Si ad alteram partem minime attendat, nec obligationi generali nec speciali satisfacit, quia in eo casu censeri nequit cum sociis et per eos orare. Quod si attendat quidem, sed vel propter aliorum strepitum vel propter chori defectum vel propter propriam surditatem non percipiat, videndum est utrum, si non distincte, saltem in confuso percipiat, an vero nihil omnino percipiat, ne in confuso quidem: si aliquid percipiat, saltem in confuso, videtur satisfacere, ut docent Salmanticenses, tr. 16, c. 1, p. 3, n. 24, Laymann, lib. 4, tr. 1, c. 3, n. 8, Diana, *Summa coord.* tom. 3, tr. 6, res. 60; si autem nihil omnino, ne in confuso quidem, percipiat, alii universaliter negant illum satisfacere; alii affirmant illum adhuc satisfacere pro casu quo impediatur ex strepitu aliorum, vel ineptitudine et defectu chori, negant vero pro casu quo impediatur surditate; alii tandem, quibus adhæremus, universaliter affirmant eum satisfacere, quia revera cum orantibus conjungitur et unum cum ipsis corpus mysticum efficit; cfr. Salmanticenses, l. c., Diana, *Summa coord.* tom. 3, tr. 6, res. 33.

item ille qui extra chorum officium legit cum alio;

260. *Qui, extra chorum, officium divinum recitat cum alio, debet partem suam ita pronuntiare ut a socio percipiatur*, nisi tamen plures simul recitent; nam in hoc casu non est necesse ut unusquisque eorum tam clare recitet, dummodo id cæteri præstent. Cfr. S. Alphonsus, lib. 4, n. 163. *Partem vero socii non debet quidem submisse recitare, tenetur tamen ad eam attendere;* ei autem, qui attendit et non percipit, applicanda sunt principia quæ modo exponebamus de recitantibus in choro, cum hac nihilominus differentia quod plerique theologi difficiliores existant erga surdum, quia existimant eum in tali recitatione non efficere cum socio corpus aliquod mysticum. Cfr. S. Alphonsus, l. c. et Salmanticen-

ses, l. c. Porro quando duo vel plures simul officium legunt, necessarium est ut psalmorum versus proferantur alternatim et successive, ita ut unus non resumat antequam alter expleverit: si autem notabilis esset anticipatio, recitatio foret reiteranda. Quod vero pertinet ad lectiones, responsoria, capitula, orationes et antiphonas, sufficit ea audire, et bene recitantur sive ab eodem, sive a diversis successive; cfr. Suarez, l. c. c. 25, et S. Alphonsus, l. c. n. 162, qui probabile putat « adhuc satisfacere eum, qui solus dicit psalmos, et lectiones audit, vel qui partem psalmorum dicit solus et partem cum socio, quia satis communicat in ea parte, quam audit, et cui ex recepto usu jam satisfit per auditum. »

qui autem solus recitat, debet omnia verba per semetipsum ita pronuntiare ut seipsum audire possit.

261. *Qui officium solus recitat, tenetur omnia verba pronuntiare seu per semetipsum dicere;* non debet autem tam alta voce pronuntiare ut a circumstantibus audiatur, ut visum est Medinæ apud Suarez, c. 7, n. 5, imo nec ut *de facto seipsum audiat;* attamen communiter docent theologi aliquomodo necessarium esse ut seipsum audire *possit*, in quantum nempe moraliter fieri nequit ut vox sit, prout oportet, articulata, et non perceptibilis. Ita Suarez, l. c. n. 6: « Tertio vero addo moraliter necessarium esse, ut quis ita loquatur ut ipse saltem seipsum possit audire. Probatur ex concilio Basil. sess. 21, dicente eos qui privatim recitant, non debere in gutture vel inter dentes dictiones formare. Item ratione facta, quia esse debet vox audibilis: ergo saltem ab ipso orante; nam profecto (etiam physice loquendo) vix potest formari vox, quæ ab ipso loquente audiri non possit, seclusis impedimentis, quæ erunt per accidens; moraliter etiam videtur id necessarium, ut possit quis humano modo explere illud præceptum, et certus fieri quod illud sufficienter executioni mandaverit. Et ideo, licet quan-

litas vocis non præcipiatur, tamen in ipso præcepto orandi vocaliter intrinsece includitur obligatio ita orandi ut possit quis percipere orationem suam per se loquendo, et certus reddi quod eam protulerit. » Nec aliud, quoad substantiam, docet Azor, p. 1, lib. 10, c. 11, quær. 4: « Sane si quis solus divinum officium persolvat, satis est si sic recitet ac proferat, ut vere dici queat ore et voce preces fundere, sive ab alio vel a se audiri possit, sive non; quoniam jure solum cogitur voce et ore, et non tantum mente et animo, precari et orare. Ac proinde, si revera linguam et labia moveat, voce orat non mente dumtaxat. Satis igitur est, ut ait Navar. *De Orat.* c. 20, n. 14, si clericus, dum recitat preces, verba ita proferat linguam et labia movendo, ut seipsum percipiat et intelligat, et non solum in gutture pronuntiet. » Et Laymann, c. 5, n. 8: « Porro in privata oratione, quæ ab uno solo fit, necesse non est vocem tam claram proferri, ut alius propinque adstans vel ipsemet recitans audiat: quamvis vix fieri posse videtur ut vox articulata et audibilis ore proferatur, quin proferens, integra audiendi facultate præditus, audiat. » Cæterum jam adverterat Sylvius, *Res. var.* v° *Horæ*, 3, non haberi inter theologos illam sententiarum discrepantiam quam postea induxerunt Salmanticenses, et videre est etiam apud S. Alphonsum, n. 163, qui præterea quæstionem male ponit.

II. De officio ordinate recitando.

Officium divinum ita recitari debet

262. Officium divinum, prout in Ecclesia existit, est *una oratio constans variis partibus;* non potest igitur apte recitari nisi omnes et singulæ partes suo loco ponantur, et una ab altera non nimis divellatur: secus enim non haberetur debita forma orationis.

ut, saltem sub levi,

263 *Jam vero diversæ partes officii ita se exci-*

piunt ut primo loco veniat matutinum cum laudibus, deinde horæ parvæ, scilicet prima, tertia, sexta et nona, tandem vesperæ cum completorio. Prædictus ordo non videtur pertinere ad formam officii essentialem, adeoque ejus inversio probabilius per se nunquam excedit peccatum veniale, saltem si agatur de recitatione extra chorum. Dicitur *probabilius*, quia nonnulli arbitrati sunt non excusari a culpa gravi qui frequenter ordinem inverteret, quod tamen communius rejicitur; cfr. S. Alphonsus, l. c. n. 170. Dicitur etiam *per se*, quia aliter loquendum esset si talis inversio proveniret ex contemptu, vel grave scandalum aliis præberet. Hinc a peccato etiam levi in inversione ordinis excusat quælibet causa rationabilis, puta, si inviteris ab amico ad aliquam horam cum ipso recitandam, et tu horam præcedentem vel præcedentes nondum recitaveris; vel si mane non habeas breviarium ad manum, nec commode possis exspectare; in eo enim casu potes ex diurnali, quod habes, recitare horas diurnas, postea recitaturus matutinum, etc.

singulæ horæ suo ordine ponantur,

264. *Sicut officium totum partibus constat, ita illæ partes suas habent particulas constitutivas, speciali ordine dispositas, nempe hymnos et psalmos, lectiones, orationes*, etc.; his autem cum proportione applicari debent ea, quæ modo dicta sunt de partibus ipsis. Unde in inversione psalmorum, lectionum, etc, habebitur peccatum, saltem leve, nisi fiat ex justa causa, cujusmodi est, v. g. si tibi præsto non sint lectiones; in hoc enim casu potes recitare psalmos matutini et laudum, imo et reliqua, dilatis lectionibus; item, si venias ad chorum hora jam incœpta, potes pergere cum aliis, et postea, quæ omissa sunt, supplere. Cfr. Suarez, l. c. n. 5, Salmanticenses, l. c. c. 3, p. 2, n. 10, etc. Advertendum tamen est, per hujusmodi inversiones et mutationes, fa-

et in singula hora diversæ ejus particulæ.

cile contingere posse ut destruatur substantialis forma officii.

Una hora absque ullo peccato ab altera separari potest;

265. *Unitati officii non nocet si una hora ab altera separetur, quantumvis longa recitationis interruptione:* diversæ enim horæ satis per se sibi invicem conjunguntur. Item matutinum et laudes, licet fortasse unicam horam constituant, nihilominus possunt a se invicem separari, quia singula ex his duabus partibus per se unitatem habet; cfr. Suarez, lib. 4, c. 6, n. 9, et S. Alphonsus, n. 167. Quoad nocturnos, alii negant illos a se invicem sine causa separari posse: ita Suarez, l. c. n. 10; alii admittunt illos a se invicem separari posse spatio trium horarum; ita Busenbaum et S. Alphonsus, n. 167, ac Viva, q. 3, a. 4, n. 4; demum alii existimant unumquemque nocturnum per se unitatem habere, et consequenter licitum esse unum ab altero sine causa separare, quocumque temporis intervallo: ita Salmanticenses, l. c. c. 3, p. 1, n. 4.

in eadem autem hora separatio unius particulæ ab altera fieri nequit absque peccato saltem levi.

266. *Licet, in eadem hora aut nocturno, separatio unius particulæ ab altera necessariæ unitati officii noceat, eam tamen penitus non destruit;* ita communius docent theologi, quorum nomina legi possunt apud Dianam, *Summa coord.* tom. 3, tr. 6, resol. 67, Salmanticenses, c. 3, p. 1, n. 3, S. Alphonsum, n. 168, quibus consentit Suarez, l. c. c. 24, n. 11; contradicunt tamen Navarrus, *De Oratione,* c. 16, n. 75, Azor, p. 1, lib. 10, c. 8, quær. 5, et alii. Ex hac autem sententia communiori deducitur: a) Nunquam haberi, propter solam interruptionem, obligationem repetendi ea quæ semel recitata sunt, sed semper fas esse resumere a lectione, psalmo, vel etiam versiculo, quo prius cessatum fuerat. Dicimus autem: *propter solam interruptionem;* quia non desunt auctores qui docent obligationem esse resumendi ab initio horæ, quotiescumque hæc incœpta est cum animo postea repetendi, de qua re consuli debet *Theol. mor. fund.*

n. 192, ubi generale principium explicatur; — b) In interruptione, si sit *alicujus momenti* seu *moralis* et *notabilis*, et fiat absque rationabili causa, semper haberi peccatum veniale; ut autem judicetur quandonam interruptio sit notabilis et moralis, attendendum est non solum ad spatium temporis absolute sumptum, sed etiam ad materiam in qua contingit interruptio, ad naturam actionis propter quam locum habet, necnon ad intentionem illius qui interrumpit; de qua re, ita Suarez, l. c.: « Dixi autem oportere ut interruptio sit notabilis, utique quoad temporis moram, quia si sit brevissima, pro nihilo reputatur; quando autem notabilis sit, prudentis arbitrio relinquitur: nam in longiori hora, v. g. in matutino, major temporis mora necessaria erit, ut censeatur notabilis interruptio, quam in tertia, etc.; itaque cum proportione ad horam quæ dicitur et ad partem officii, in qua fit interruptio, pensanda erit moræ quantitas: nam aliquid majus permitti potest inter psalmum et psalmum, quam in medio ejusdem psalmi, et sic de aliis...; » — c) E contra in prædicta interruptione, si fiat ex justa et rationabili causa, nullum omnino esse peccatum.

267. Porro justa et rationabilis causa officium interrumpendi reputatur: a) quælibet utilitas propria vel aliena, quæ sine aliquo incommodo differri non posset; — b) ratio urbanitatis vel caritatis, aut ratio exsequendi mandata superiorum; — c) si excipienda sit confessio alicujus qui non libenter exspectaret; — d) si velis aliquid agere aut adnotare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, v. g. ne obliviscaris, etc., modo tamen non frequenter fiat, quia frequens interruptio ob talem causam aliqua irreverentia non caret; — e) licite tamen potest interjici aliqua brevis oratio inter recitandum, vel aliquis interdum pius cordis affectus; non tamen liceret, meditandi gratia, in istis diutius et frequenter im-

morari, quia ratio recitationis seu orationis vocalis non satis servaretur; item si oratio vocalis longior et minime pertinens ad officium diceretur : pars enim notabilis adderetur horis, quod esset veniale, utpote contra formam præscriptam. Cfr. Gury, tom. 2, n. 83.

III. De officio decenter recitando.

Ad satisfaciendum obligationi officii

268. Nomine *decentiæ* hic intelligimus præcipuas dispositiones animi et corporis, quæ necessariæ sunt ut personæ ecclesiasticæ pensum suæ servitutis, prout oportet, persolvant. Huc referri solet decretum concilii Lateranensis IV, c. 17, in quo districte præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, « ut divinum officium diurnum pariter et nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiose pariter celebrent et devote. »

non est necessarius in recitante status gratiæ,

269. Et quidem imprimis *status gratiæ* non est requisitus in recitantibus divinum officium; talis enim status non exigitur ut oratio sit bona et efficax; cfr. supra, n. 137, et n. 206, nec aliunde exigitur præcepto Ecclesiæ vero et proprie dicto, quod etiam nunc stricte urgeat. Fatendum tamen est, puritatem conscientiæ maxime convenire iis qui deputati sunt ad orandum pro Ecclesia; cfr. supra, n. 207; et hoc est, quod in quibusdam antiquioribus monumentis cum nimia exageratione aliquando inculcatur: exemplum reperitur in concilio Beneventano ann. 1576, tit. II, c. 4: « Notandum est autem quod horæ prædictæ seu officium cum puritate animi dicendæ sunt; qui autem aliter dixerit, puta existens in mortali peccato, nihil agit, quia sine animi puritate..: scribitur enim in psalmo 49: Peccatori autem dixi : Quare tu enarras justitias meas? Et licet talis melius faciat dicendo, quam si omitteret, ut Deus citius illuminet mentem suam, et convertatur a via sua mala, et ne de peccato præmium valeat reportare, tamen consulimus, ne pertinax in ipso peccato et obstinatus

a Deo habeatur, ut in modum privati officii dicat, et absque *Dominus vobiscum* et alia solemnitate, sicut dicitur in excommunicato, qui potest officium dicere isto modo. Sed non propter hoc a judicio divino tales Deum irridentes excusabuntur, quinimo fortius cruciabuntur, sicut digni sunt. »

sed requiritur et sufficit intentio orandi et attentio ad verba.

270. Ad obligationem recitationis adimplendam requiritur *intentio* orandi et *attentio* saltem remissa ad verba rite pronuntianda, quemadmodum supra explicavimus, n. 214-218. Defectus autem qui generatim efficiunt ut oratio vocalis vel non existat, vel non sit undequaque bona, etiam efficiunt ut vel officii recitatio substantialiter non habeatur, vel in ea accidentaliter peccetur. Cfr. supra, n. 219-222; et *Theol. mor. fund.* n. 194 et 404; item Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 3, c. 5, n. 4 et 5.

271. Attamen non requiritur *intentio satisfaciendi* obligationi, nec *attentio aliqua litteralis aut spiritualis;* hæc enim non sunt necessaria ex natura rei ad orationem vocalem, et nullum habetur præceptum Ecclesiæ ad ea positive obligans. Similiter distractiones internæ et externæ occupationes non magis prohibentur in recitatione officii quam in alia quavis oratione vocali; in decreto enim concilii Lateranensis, ad quod aliquando appellatur ut specialis et positiva obligatio adstruatur, non agitur nisi de actionibus quæ cum attentione ad verba sunt incompossibiles, prout patet ex contextu. Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 4, c. 14, et c. 26. Recte tamen monet Doctor eximius, tum in c. *Dolentes* tum in *Clem.* 1, quoad recitationem in choro aliquid fortasse specialius et rigorosius prohiberi « quam ex natura rei esset prohibitum. Præterquam quod etiam ex natura rei in illa oratione publica, vix possunt fieri illæ actiones externæ impedientes attentionem sine gravi scandalo, et impedimento aliorum adstantium in choro »; l. c. c. 14, n. 13.

Rubricæ stricte obligatoriæ non sunt nisi in choro.

272. Officium recitantes in choro cæremonias et ritus servare tenentur quæ per *rubricas* præscribuntur; recitantibus autem solitarie nihil absolute et rigorose præscriptum est; tamen consulitur ut, quantum commode fieri potest, prædictis regulis se conforment. Cfr. Suarez, l. c. c. 27, n. 2; et De Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, tom. 2, n. 587. Nonnullis visum est magis convenire ut officium divinum dicatur stando quam flexis genibus, tum ut simul cum mente corpus quasi elevatum sit ad Deum, tum quia sic habetur in pluribus synodis antiquis; v. g. in conc. Aquisgranensi ann. 816, lib. 1, c. 131: « In ecclesia cum timore et veneratione stantes aut orent, aut cantent, aut legant, aut audiant. » Et in *Stat.* ecclesiæ Rothomagensis, ann. 1235, c. 22, et ecclesiæ Cenomanensis, ann. 1247, nec non in syn. Herbipolensi ann. 1298, legitur: « Honestum esset quod stantes canonicas horas dicerent, maxime in diebus festis; ut alii videntes laborem et devotionem glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est. » Cfr. Collet, *De Religione*, d. 2, c. 3, a. 6, s. 2, quær. 2°.

§ V.

De tempore quo officium est recitandum.

Officium divinum est onus diei naturali annexum.

273. Officium divinum est onus diei *naturali* affixum, adeoque ejus obligatio per se incipit a media nocte et ad mediam noctem terminatur, ita ut saltem intra illud temporis intervallum sit adimplenda. Hanc assertionem existimamus omnino certam, quamvis non defuerint theologi qui opinati sunt officii onus annexum esse diei ecclesiastico; cfr. v. g. S. Thomas, *quodl.* 3, a. 28, Navarrus, *De orat. et hor. can.* c. 3, n. 60, Bellarminus, *De bonis oper.* c. 18, n. 14. Porro media nox, a qua obligatio officii incipit, non physice sumitur, sed moraliter, prout indicatur a pu-

blicis horologiis; in temporis enim determinatione eam regulam Ecclesia sequitur, quæ omnia hominum negotia in singulis locis publice dirigit. Cfr. *Acta S. Sedis*, tom. 3, pag. 602, tom. 7, pag. 399.

Diversæ ejus partes diversis horis diei accommodatæ fuerunt;

274. Ita autem officium divinum diei naturali affixum est, ut *diversæ ejus partes diversis diei horis attributæ et accommodatæ fuerint.* A primis scilicet temporibus *matutinum* recitabatur post mediam noctem, *laudes* sub auroram, *prima* post solis ortum, *tertia* ad horam nonam matutinam, *sexta* circa meridiem, *nona* ad horam tertiam pomeridianam, *vesperæ* ad solis occasum, *completorium* sub noctis crepusculum. Cfr. Tertullianus, *De Oratione*, c. 25, *De Jejuniis*, c. 10, S. Athanasius seu quisquis est auctor lib. *De Virgin.*, n. 20, S. Basilius, *Reg. fusius tractatæ*, interr. 37, n. 3-5, S. Hieronymus, *Epist.* 107 *ad Lætam*, n. 9, *Excerptiones* Egberti Archiepiscopi Eboracensis, n. 28, Conc. Aquisgranense ann. 816, lib. 1, c. 126, *Canones* Aelfrici, c. 19, *Statuta* ecclesiæ Lichefeldensis, etc. Plura legi possunt apud Mabillon, Martène et Grancolas, superius citatos, item apud Suarez, *De Religione*, tr. 4, lib. 4, c. 15, n. 1-10, Thomassinum, *Anc. et nouvelle discipline*, p. 1, l. 2, c. 86 et 87, Roskovány, op. cit. tom. 5.

hæc tamen distributio a multo tempore non amplius stricte observatur;

275. Licet mos iste satis diu duraverit, ut ex allatis monumentis constat, paulatim tamen ex variis causis immutatus est, ita ut, si excipiamus monasteria in quibus matutinum de nocte recitatur, vix aliquod ejus vestigium remaneat. Laudandi igitur essent qui horarum accuratam distributionem servarent; nemo tamen ad eam cogi posset. Cfr. Bellarminus, *De bonis operibus*, lib. 1, c. 18.

in choro enim officium recitandum est temporibus debitis et congruis;

276. Juxta præsentem scilicet disciplinam, officium *in choro* recitandum est temporibus *debitis* et *congruis*, quemadmodum legitur in Clem. 1, *De celeb. miss.* et in conc. Basiliensi, sess. 21. « Tem-

pora autem debita et congrua in unaquaque regione seu provincia, juxta receptam consuetudinem præscribenda sunt, nec potest certior assignari regula. » Suarez, l. c. n. 10. Cfr. *Acta S. Sedis*, tom. 2, pag. 148-150. Porro obligatio *quoad chorum* recitandi temporibus debitis, videtur gravis ex genere suo, ideoque in ejus præcisa transgressione potest mortale peccatum committi. Cfr. Suarez, l. c. n. 11.

extra chorum, matutinum, laudes, prima et tertia recitari debent ante meridiem, vesperæ et completorium post meridiem; sexta et nona bene possunt sed non absolute debent ante meridiem recitari;

277. Si autem agatur de recitatione *extra chorum*, matutinum et laudes debent absolvi ante meridiem, imo et ante missam, si hæc celebretur; omnes parvæ horæ probabiliter inchoari possunt ante auroram et a media nocte, ut censet S. Alphonsus, *H. A.* tom. 3, app. 3, n. 74, cui adhæret Gury, tom. 2, n. 63, contra Suarez, l. c. c. 27, n. 9, aliosque multos; sed prima et tertia recitandæ sunt tempore antemeridiano, sexta autem probabiliter et certo nona ad tempus pomeridianum remitti possunt; vesperæ demum et completorium bene recitantur a meridie usque ad mediam noctem. Porro hæc horarum distributio extra chorum sub levi tantum obligat. Unde « ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum tempus horarum, sufficit quævis causa utilis vel honesta, nimirum concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis sive laboris, major devotio sive quies, tempus aptius ad studendum, et simile. » S. Alphonsus, lib. 4, n. 173.

præterea matutinum et laudes

278. Ex privilegio per consuetudinem introducto et ab Ecclesia approbato, matutinum et laudes possunt nunc pridie recitari ea hora quæ media est inter meridiem et solis occasum. Dicitur a) pridie recitari posse *matutinum et laudes,* non vero alias horas, secus ac nonnulli arbitrati sunt apud Salmanticenses, c. 3, p. 3, n. 13, et quorum etiam meminit S. Alphonsus, lib. 4, n. 173. —Dicitur b) matutinum et laudes pridie recitari posse ex *privilegio;* unde ille qui prævidet impedimentum pro recitatione officii in ipsa die obligationis,

ex privilegio recitari possunt pridie

non tenetur recitare matutinum et laudes in vespere vigiliæ, quia nulla habetur obligatio utendi privilegio. Cfr. Gury, tom. 2, n. 67. — Dicitur c) matutinum et laudes recitari posse *ab ea hora quæ media est inter meridiem et solis occasum*, non vero *ab initio diei ecclesiastici* seu *a primis vesperis*, quia, cum non constet quandonam sit initium diei ecclesiastici, seu tempus primarum vesperarum, talis modus loquendi occasionem præbere posset non paucis difficultatibus, quarum exemplum reperire est apud S. Alphonsum, lib. 4, n. 174, et Gury, tom. 2, n. 65, quær. 5, cum nota. Cfr. *Nouvelle Revue théologique*, tom. 7, pag. 172 et seqq., ubi de ratione diei ecclesiastici agitur. — Dicitur d) matutinum et laudes posse *nunc* recitari ab assignata hora, quia olim consuetudo, quæ est tota ratio hujus extensionis, non concedebat tantam anticipationem, ut videre licet apud Suarez, lib. 4, c. 27, n. 12 et seqq.; ætate scilicet eximii Doctoris omnes admittebant licitum esse matutinum recitare ab occasu solis, imo et dimidia hora ante solis occasum, sed magna controversia vigebat quoad majoris momenti anticipationem. Advertatur præterea, a Suarez et a multis aliis assignari tempus aliquod absolutum pro toto anno, non vero, prout nunc, tempus relativum pro diversis anni partibus et varia dierum longitudine. — Tandem e) ex dictis apparet nobis minus arridere sententiam eorum qui putant semper licitum esse matutinum et laudes legere *ab hora secunda;* duo tamen circa eam ădnotare debemus: primum est, huic sententiæ suffragatos esse theologos non ignobiles, inter quos, post Sanchez, auctorem sane in re morali nulli secundum, eminent Salmanticenses; alterum est, argumenta quæ contra eam doctrinam petuntur sive ab inconcusso, ut aiunt, principio possessionis, sive ex mente Ecclesiæ (quæ aliquando concedit privilegium recitandi ab hora secunda) parum efficacia nobis videri.

ab ea hora quæ est media inter meridiem et solis occasum,

non autem ab hora secunda pomeridiana;

tempore autem quadragesimæ licita est recitatio vesperarum ante meridiem.

279. Permittit etiam Ecclesia ut in quadragesima vesperæ ante prandium recitentur, in memoriam antiquæ disciplinæ, juxta quam jejunium ante vesperarum recitationem non frangebatur. Dicitur autem Ecclesiam hoc *permittere,* quia nulla habetur obligatio vesperas recitandi ante meridiem tempore quadragesimæ; dicitur deinde recitari ante meridiem posse *vesperas*, quia completorium tali privilegio non gaudet; dicitur præterea vesperas recitari posse *ante meridiem*, quin tempus strictius definiatur, quia regula generalis esse videtur ut vesperæ privatim recitari possint ab eadem hora, qua in choro recitari solent; in choro autem recitari debent post missam conventualem et nonam; quarum hora a locorum consuetudine pendet. Cfr. Gury, tom. 2, n. 68.

280. Qui matutinum totum vel ejus notabilem partem ante prædeterminatam horam diei præcedentis, aut alias horas vel notabilem earum partem post mediam noctem diei sequentis recitat, peccatum grave committit et obligationi non satisfacit. Cfr. Salmanticenses, tr. 16, c. 3, p. 3, n. 16 et S. Alphonsus, lib. 3, n. 667, ubi inquiritur an officium omissum suppleri possit saltem in ordine ad retinendos fructus beneficii, qui secus essent restituendi.

281. Vix mentio hic facienda videtur de singulari et prorsus inepta thesi quam proposuit olim Caramuel et damnavit Alexander VII, scilicet « Unico officio posse satisfieri duplici præcepto pro die presenti et crastino. » Cfr. Viva in p. 36, et *Theol. mor. fund* , n. 351, ubi penitus evertitur præcipua Caramuelis ratio.

§ VI.

De causis a recitatione officii deobligantibus.

282. In materia officii sicut in aliis quibuscumque, tres sunt causæ *deobligantes*, quæ scilicet vel trans-

gressorem a peccato excusant, vel subditos ab obligatione eximunt; hujusmodi sunt *ignorantia*, *impotentia* et *dispensatio*, de quibus jam nonnulla in specie dicemus.

I. De ignorantia obligationis ad recitandum.

283. Ignorantia obligationis quoad *recitationis substantiam* « fere non potest esse probabilis et ad excusandum sufficiens, præsertim in clericis in sacris et in habentibus beneficium, quia præceptum est tam publicum et notum, ut non possit invincibiliter ignorari, maxime ab his qui tenentur sui status obligationem agnoscere. Aliquando vero potest hæc ignorantia esse inculpabilis in aliquo religioso vel religiosa ignorante, præsertim si adhibeat fidem alicui viro vel confessori, quem probum et doctum esse existimat. Item potest esse invincibilis in puero, qui pensionem aut beneficium ecclesiasticum recipit in tenera ætate, quando per se non potest satis advertere ad hujusmodi obligationem, nec in cognitionem ejus venit, neque ab illis instruitur qui eum docere tenentur. » Ita Suarez, l. c. c. 28, n. 3. Fatendum tamen est, etiam ab inferioribus clericis *fortasse* prædictam obligationem absque gravi culpa ignorari posse, in iis scilicet regionibus in quibus, præsulum negligentia, disciplina ecclesiastica misere collapsa est.

Vix admitti potest ignorantia excusans quoad substantiam obligationis;

284. Facilius contingere potest ignorantia obligationis quoad *recitationis modum*, nempe quoad formam breviarii sequendam, verborum prolationem, tempus recitationis, etc.

facilius contingit quoad recitationis modum,

285. Item haud ægre admitti potest ignorantia legis *pœnalis*, qua scilicet beneficiarius, recitationem omittens, obligatur ad restitutionem fructuum beneficii; at de hac judicandum est juxta principia alibi explicata. Cfr. *Theol. mor. fund.*, n. 203 et 204.

et pœnam impositam non recitantibus;

admittitur ignorantia facti et naturalis oblivio.

286. « Ad ignorantiam vero *facti* reducitur naturalis oblivio, quæ potest quidem contingere in die circa unam vel aliam horam; nam circa totum diei officium non potest moraliter talis oblivio inveniri, nisi fingatur aliquis toto die dormiens aut ebrius, de cujus culpa, juxta modum causæ et voluntarii, quod in illa præcessit, judicandum est. Naturalis ergo oblivio, si revera talis sit, omissionem a culpa excusat, sive sit unius sive plurium horarum, quia illud dicitur naturaliter oblitum, quod in mentem non venit, et ideo voluntarium non est, ac proinde neque peccatum. Erit autem hæc oblivio naturalis, quando neque obligatio recitandi, neque recitatio ipsa actu venit in mentem ante lapsum tempus obligationis, neque per hominem moraliter stetit quominus aliquid occurreret, quod illam memoriam excitaret. Si enim homo aliquoties expertus sit solere se oblivisci alicujus horæ, quando consueto tempore illam non recitat, vel quando aliis negotiis vel studiis nimis occupatus est, prævenire debet modum aliquem vel signum, quo memoria excitetur; et tunc si per negligentiam hoc omitteret, posset illi ad culpam imputari oblivio; potest autem hæc ipsa occasio seu necessitas hujusmodi præventionis facile propter solam inadvertentiam omitti, et ideo regulariter hæc oblivio in hominibus timoratis excusare solet, saltem a gravi culpa. » Suarez, l. c. n. 4.

II. De impotentia recitandi officium.

Ab obligatione recitandi officium excusat

287. Ab obligatione recitandi officium excusat non solum impotentia *absoluta*, sive physica sive spiritualis, sed etiam impotentia *moralis*. Cfr. *Theol. mor. fund.*, n. 208 et seqq.

impotentia absoluta physica

288. Impotentia *absoluta physica* habetur propter defectum virium ad recitandum vel attendendum, propter carentiam breviarii ex quo legendum, propter

cæcitatem et imperitiam, etc. Advertendum autem est, aliquando non deesse culpam in appositione vel non remotione talium impedimentorum; sic omissionis reus esse potest qui, absque ulla causa et necessitate, ordinem suscipit, votum emittit, recipit beneficium dum artem legendi ignorat vel breviarium non habet; cfr. Suarez, lib. 4, c. 28, n. 6-9, et *Theol. mor. fund.*, n. 211.

289. Impotentia *absoluta spiritualis* habetur quando, simul cum lege recitandi horas, concurrit lex aliqua justitiæ vel charitatis quæ gravius et strictius urgeat; cfr. *Theol. mor. fund.*, n. 208. Hac ratione excusatur ab obligatione recitandi officium parochus qui per totum diem, tempore missionis, confessiones excipere debet, item qui lecturus v. g. vesperas, subito advocatur ad ægrotum, etc., necnon filius familias qui patrem graviter decumbentem relinquere nequit, etc. Hic autem rursus valet illud quod modo adnotabamus de voluntaria appositione impedimenti; de qua re ita Suarez, l. c. n. 33: « Advertendum est, an officium regulariter vel frequenter secum afferat talem occupationem, et tunc est signum illud non esse officium accommodatum clerico, religioso aut beneficiario, et ideo qui voluntarie tale accipit officium, non potest excusari, quia non necessitate sed voluntate impeditur. Debet ergo vel relinquere beneficium vel officium quo sic impeditur, vel dispensationem obtinere. Quod adeo verum censeo, ut licet officium non sit alienum a clerico vel religioso, ut est docendi vel concionandi, si tamen, propter incapacitatem personæ non possit recitare et illi officio satisfacere, non posse illud acceptare, et propter illud recitationem omittere, inconsulto prælato qui cum illo possit dispensare, quia jam illa non esset necessitas sed voluntas (quod semper intelligo seclusa speciali causa charitatis). At vero quando hæc necessitas rara est, vel spiritualis;

et repentina, et quasi per occasionem, tunc habet locum vera excusatio, quia tunc est vera necessitas... »

item impotentia moralis

290. Impotentia *moralis* habetur quando, omnibus circumstantiis attentis, recitatio est nimis difficilis et recitantem *exponit periculo mali gravis*, vel eum *impedit a consequendo sibi vel aliis bono longe præstantiori*, secundum principium S. Bernardi a Suarez, l. c. n. 34 allegatum, « quod propter charitatem introductum est, non obligat cum ejusdem charitatis dispendio. »

seu difficultas gravis in hoc consistens

291. Ut autem appareat *quanta* debeat esse causa, quæ sufficiat ad excusandum, præ oculis habenda est propria indoles præcepti horarum; jam vero præceptum recitandi officium theologi communiter assimilant cum præcepto audiendi missam die dominico, de quo ita Suarez, in 3 p. d. 88, s. 6: « Regula generalis, quæ assignatur a doctoribus, est tunc censeri impotentiam moralem, quando sine jactura alicujus boni mediocris æstimationis, aut sine magna difficultate vel labore, missa audiri non possit. Cujus ratio nulla est alia nisi quia hoc præceptum, juxta communem doctorum interpretationem, et juxta communem etiam consuetudinem, cum hac moderatione latum est et receptum, ut non sit necessaria causa admodum gravis ad excusandum. »

quod recitans exponeretur periculo notabilis detrimenti,

292. Hinc 1° si causa excusationis posita sit in *malo præcavendo*, sufficit a) *periculum notabilis detrimenti in corpore*, de quo ita S. Alphonsus, lib. 4, n. 154: « Notandum 1, ratione infirmitatis excusari ab officio, non solum qui gravi laborant morbo, sed etiam qui non possunt recitare nisi cum gravi incommodo, aut probabili talis incommodi periculo. Unde satis excusantur, qui prudenter credunt vel timent, ob officii recitationem, eis fore proventuram notabilem gravedinem capitis, vel cruditatem stomachi, aut virium lassitudinem, vel si credant febrim tardius esse remittendam: ita Sanch.... Holzman.... Anacl... Con-

cina.., et Salm... cum Trull. et Pell. ex c. *Clericus*, 3, dist. 91, ubi dicitur quod excusat ab officio *inæqualitas corporis*, quod non significat morbum gravem, ut bene advertit Croix... Et hoc probabiliter admittitur, etiamsi infirmus per magnam diei partem aliquem legeret librum ad animum solandum, ut dicunt Sanch.... Holzm.... Spor.... Elbel.. et Salm... cum Trull. Pell. Diana, etc. Ratio, quia licet iste posset legere librum recreationis, non tamen sequitur quod possit et teneatur officium recitare, ad quod alia quidem major attentio requiritur, quæ majorem affert difficultatem. Notandum 2, non solum actu ægrotantes, sed etiam convalescentes ex gravi morbo excusari ab officio per aliquot dies ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. Ita communiter... Et hoc admittendum etiamsi isti missam celebrarent... » Suarez autem, l. c. n. 19 : « Breviter dicendum est, quando ægritudo vel ita levis est ut non impediat alias ordinarias actiones capitis et linguæ, neque per illas notabiliter augeatur, tunc non excusare, quia non potest dici moralis nec rationabilis impotentia : hujusmodi esse solet moderatus dolor stomachi vel alterius partis, et ipsius etiam capitis, et similia. » — Sufficit etiam b) *periculum notabilis detrimenti in animo,* scilicet ratione scrupulorum; cfr. Gobat, tr. V, s. 5, n. 714. — Sufficit pariter c) *periculum detrimenti notabilis in fama,* ut v. g. si concionem decenter omittere non posses, nec tamen eam præparandi suppeteret tempus, si recitandum esset officium; cfr. S. Alphonsus, lib. 4, n. 156.

vel a notabili bono consequendo impediretur.

293. Si vero 2° causa excusationis posita sit in *bono sibi vel aliis procurando*, sufficere videntur ea quæ sic enumerantur a Suarez, l. c. n. 35 : « Cessat obligatio, si scholaris velit publicam actionem litterariam per integrum diem habere, et recitare non possit: non tenetur actionem dimit-

tere, etiamsi absque peccato possit. Idem est de doctore, qui in oppositione cathedræ, publicam habiturus est prælectionem, ad quam intra certum horarum numerum se parare debet. Item aliquando fortasse non erit grave peccatum non subvenire proximo ægrotanti, etiamsi per unam vel duas horas gravem dolorem vel aliud simile incommodum propter eam causam patiatur, et nihilominus ex charitate ei succurrere, etiam dimittendo officium, potest, non solum esse licitum, sed etiam melius. Nam si ego debeo diligere proximum sicut meipsum, et propter vitandum dolorem in me possum dimittere officium, etiamsi absque peccato possem sufferre dolorem, cur non erit idem circa proximum? »

Impotentia eousque excusat, quousque se extendit.

294. Bene tamen advertendum est, eousque tantum impotentiam excusare quousque sese extendit. Hinc a) qui non potest officium recitare solus, sed recitare potest cum socio, quem ad manum habet, tenetur cum isto socio recitare; non tamen obligatur talem socium pretio conducere, quod probabiliter valet etiam pro beneficiario; cfr. S. Alphonsus, lib. 4, n. 158 ad verba: « An autem beneficiarius etc. » — Hinc b) qui non potest officium recitare una hora dici naturalis, sed alia hora absque gravi incommodo recitare valet, tenetur partem officii anticipare vel postponere, legendo v. g. vesperas mane aut matutinum vespere. — Hinc c) qui non potest recitare totum officium, sed recitare potest partem ejus notabilem, puta unam horam parvam, vel forte etiam unum nocturnum, tenetur per se hanc partem recitare, quia agitur de materia divisibili et de parte cujus adimpletio conducere potest ad finem a legislatore intentum. Cfr. *Theol. mor. fund.*, n. 210. Dicimus autem *notabilem* partem, non vero partem *majorem*, quia talis modus loquendi occasionem præberet difficultatibus, quemadmodum bene explicat Suarez, l. c. n. 26 et 27, ubi advertit « aliud esse

comparare singulas horas canonicas ad partes ex quibus constant, aliud vero comparare omnes septem horas ad totum officium unius diei, quod est veluti adæquata materia vel actus hujus præcepti. Si primam comparationem faciamus, recte dicitur neminem obligari ad dicendam horam aliquam, qui non possit saltem majorem ejus partem dicere, quia unaquæque hora præcipitur ut quædam actio perfecta, et ideo si non possit ita fieri ut nomen illud mereatur, non nascitur obligatio dicendi illam. Minor autem pars primæ v. g. (et sic de aliis) non potest dici prima, imo neque dimidia pars, sed oportet ut saltem præcipuæ et quasi substantiales dicantur; quocirca etiamsi in singulis horis posset quis dicere aliquas partes minimas, si nullam earum potest majori ex parte dicere, nihil profecto dicere tenetur, etiamsi omnes illæ particulæ simul sumptæ, bonam aliquam partem totius officii conficere videantur, quia non possunt per modum unius horæ, nec per modum canonici officii recitari... At vero, juxta alteram comparationem, non censeo veram esse generalem regulam negativam pro omnibus casibus et impedimentis, videlicet ut qui non potest dicere tot horas ut contineant majorem saltem partem totius officii, nullam dicere teneatur. Non est enim similis ratio, quia unaquæque hora, ut dicebam, est per se unum totum, quod per modum canonici officii convenienter dicitur. » Huc pertinet propositio 54ª ab Innocentio XI damnata: « Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. » Dicimus etiam *per se,* quia sunt aliquando speciales circumstantiæ attendendæ, prout rursus explicat Suarez, l. c.: « In casu necessitatis, non censeo esse hanc excusationem vel licentiam tam scrupulose restringendam, ut quicumque in infirmitate dicere possit unam vel alteram horam,

sine gravi incommodo, ad illam dicendam obligetur. Nam hoc esset nimis onerosum, et præter suavitatem legis humanæ, et præter consuetudinem, quæ est optima legis interpres; et ideo respiciendum censeo ad modum infirmitatis impedientis recitationem; nam si peculiariter impedit aliquam horam propter difficultatem in ea dicenda, v. g. in matutino propter debilitatem visus, et capitis, et illa difficultas in aliis horis non sentitur, sed commode dici possunt, non video legitimam excusationem quoad tales horas, sive illæ sint plures sive pauciores. At vero si infirmitas impediat indefinite divinum officium, ut est febris gravis vel aliquid simile, tunc non censeo esse scrupulose inquirendum, an possit infirmus unam vel alteram horam dicere, quia excusatio illa ex se indefinita æquivalet universali; ita enim, ut dixi, consuetudo hanc legem interpretatur, et fortasse ratio est, quia est valde difficile in hujusmodi occasionibus, attingere punctum in indicando quid possit homo dicere vel non dicere sine gravi incommodo, et ideo satis esse creditur, quod officium ipsum dici non possit sine notabili incommodo. »

Judicium de præsentia causæ excusantis.

295. Porro judicium de præsentia causæ excusantis ejusque sufficientia, unusquisque prudens per semetipsum efformare potest; in dubio, ipsi recurrendum erit ad virum peritum, scilicet bonum medicum, si agatur de infirmitate corporis, doctum theologum, si agatur de impedimento potius spirituali; quod si nec ista via ad certitudinem perveniat, videndum est utrum saltem probabilitatem habeat, an autem in dubio maneat: in priori casu censebitur excusatus, in posteriori tenebitur tutius amplecti. Hæc, quæ sequuntur ex principiis generalibus, explicite docentur a Suarez, l. c. n. 21, et S. Alphonso, lib. 4, n. 154, ubi notat, post Salmanticenses, pro hypothesi ultimo indicata, tutius esse legere offi-

cium, quando, licet incertum sit utrum adsit necne causa sufficiens ad omittendum, tamen certum est recitationem non esse graviter nocituram; at tutius esse omittere officium, si periculum sit ne recitatio graviter noceat, « quia præferendum est præceptum naturale servandæ valetudinis præcepto Ecclesiæ. » Præterea advertunt, in casu dubii consultum esse ut, quantum fieri possit, recurratur ad superiorem, qui non solum prudens judicium emittere poterit, sed etiam, vi jurisdictionis, aliquando valebit dispensare, prout statim dicemus. Cfr. S. Alphonsus, l. c. et Suarez, l. c. n. 20.

III. De dispensatione ab officio recitando.

Ab officio recitando cum omnibus dispensat summus Pontifex,

296. Summus Pontifex de potestate ordinaria non solum clericis et religiosis sed etiam beneficiariis dispensationem ab officio recitando concedere potest, et quidem valide etiam sine causa, licite autem nonnisi ob aliquam causam legitimam. Cfr. Suarez, l. c. c. 28, n. 38-40, *Theol. mor. fund.*, n. 217, 227-228.

nec non Episcopus cum suis subditis et in casibus particularibus,

297. Potestate quasi ordinaria eamdem dispensationem concedere potest Episcopus iis qui ab ipso pendent, non tamen valide nisi ob legitimam causam, et quidem in casu particulari et ad breve tempus; cfr. *Theol. mor. fund.*, n. 218, 223, 224, S. Alphonsus, lib. 4, n. 159, Gury, tom. 2, n. 94, Roskovány, op. cit. tom. 5, m. 715, ubi a S. Sede reprehenditur vicarius Constantiensis, qui sacerdotes multos a persolutione horarum canonicarum dispensaverat.

item Prælatus regularis cum suis religiosis.

298. At relate ad religiosos, qui in sacris non sunt constituti, Prælatus regularis ampliorem videtur habere facultatem, de qua sic scribunt Salmanticenses, tr. 16, c. 2, p. 2, n. 20: « Fatemur tamen posse prælatos regulares majori facilitate dispensare cum his religiosis non constitutis in sacris, ut non recitent divinum officium, quam cum in

sacris ordinatis, ut causa studiorum, aliorumve negotiorum, sicut possunt in aliis observantiis religionum quantumvis gravibus. Quia obligatio recitationis in istis solum est quædam gravis observantia obligans sub peccato mortali, ex diuturna consuetudine introducta, non vero aliqua lex superiorum, ex qua ob id non posset dispensare inferior. Bonac.... Less.... Villalob... Gav.... Tamb.... Palaus.... Diana. » Eodem modo loquitur S. Alphonsus, l. c. n. 142, paulo strictius Suarez, l. c. n. 41.

§ VII.

De fructu recitationis officii.

Recitatio officii præcipuum valorem habet ab Ecclesia, cujus nomine fit;

299. *Clerici, religiosi, beneficiarii horas etiam privatim recitantes, personam gerunt Ecclesiæ, suntque ejus legati ad Deum ut nomine ipsius orent.* Cfr. supra, n. 229. Ut enim pulchre scribit Lugo, *De Euch.* disp. 19, n. 124 et 125 : « Sicut princeps apud pontificem per suum legatum orat, qui idcirco orator regius appellari consuevit, et impetrat per illam orationem, sic Ecclesia orare et impetrare potest per sacerdotem, quem quasi legatum destinat ad Deum ut Ecclesiæ preces offerat. » Cfr. Suarez, l. c. c. 26, n. 17. *Quapropter preces illæ suum valorem habent a dignitate et sanctitate Ecclesiæ, quæ principaliter orat, non vero a sanctitate et dignitate personarum particularium, per quas Ecclesia orat;* adeoque valor recitationis horarum, licet sit ex opere operantis relate ad Ecclesiam, dici aliquomodo posset ex opere operato relate ad recitantem, in quantum scilicet ab ipsius meritis non pendet. « Operatio peccatoris suffragia facientis.... potest considerari in quantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiæ, sicut sacerdos dum dicit in ecclesia exsequias mortuorum. Et quia ille intelligitur facere cujus nomine et vice fit.... inde est

quod suffragia talis sacerdotis, quamvis sit peccator, defunctis prosunt. » S. Thomas, suppl. q. 71, a. 3; cfr. Nav. *de Or.* c. 19, n. 59 et 60.

valor iste probabiliter dividitur in triplium partem.

300. *Non desunt qui fructum orationis, quatenus modo exposito ab Ecclesia fit, in triplicem partem dividant, sicut communiter docetur de fructu sacrificii.* Ita nominatim Bonacina, disp. 1, q. 4, p. 2, n. 1 : « Præmittendum censeo triplicem fructum in recitatione horarum canonicarum assignari posse. Primus est generalis, qui ex Ecclesiæ intentione omnibus fidelibus applicatur. Secundus est particularis, qui recitantibus debetur, nec forte aliis applicari potest... Tertius est specialis seu medius, et hic respondet iis qui beneficia cum onere divini officii recitandi erexerunt, vel respondet iis pro quibus recitans divinum officium specialiter orare intendit; non enim præsumendum videtur Ecclesiam nolle officii fructum aliqua ex parte applicare, pro quo recitans specialiter orare intendit. Ita Macignus : « Navarr.... Gabriel Biel... et alii apud Macignum. »

301. *Clerici, religiosi, beneficiarii, horas recitando non solum orant nomine Ecclesiæ, sed etiam simul orare possunt nomine proprio,* prout, de re simili agens, optime explicavit Wiggers, in 3 p. q. 83, dub. 11, n. 46 : « Sicut is qui nomine regis pontifici defert honorem, ea ipsa actione non solum regem suum, sed etiam se ipsum intenderet pontifici inclinare et submittere, et sicut is qui nomine domini sui dat eleemosynas etiam suum conjungeret affectum misericordiæ et charitatis: tunc actiones illæ non solum ejus ut sustinentis personam domini sui, sed etiam essent illi quodammodo personales in genere moris. » Sic autem considerata, recitatio horarum est meritoria, satisfactoria et impetratoria, juxta superius explicata n. 201-210.

PARS II.

DE VOTO.

302. Quadruplici capite explicabuntur ea quæ ad votum pertinent; agemus scilicet successive de voti essentia seu de ejus elementis constitutivis, de obligatione quam gignit, de ipsius adimpletione, tandem de obligationis ex voto ortæ cessatione.

CAPUT I.

De essentia voti.

303. Essentia voti perfecte intelligi nequit nisi ejus elementa constitutiva seorsim et distincte perpendantur, nempe: *actus* vovendi, *res* quæ voti materia est, *persona quæ* vovet, et *persona cui* votum fit.

ARTICULUS I.

De actu vovendi.

Votum est promissio Deo facta;

304. Nomine *voti* tum in Sacris Litteris tum apud scriptores ecclesiasticos proprie intelligitur *promissio* aliqua Deo facta. Et primo quidem, quantum ad Sacras Litteras, omnibus obvii sunt textus omnino expliciti, v. g.: Gen. XXVIII, 20, Lev. XXVII, 2, Num. XXX, 3, Deut. XXIII, 21, 22, Eccle. V, 3, 1 Tim. V, 11, 12: *Si quis virorum* VOTUM DOMINO VOVERIT.., *non faciet irritum verbum suum, sed omne,* QUOD PROMISIT, *implebit.* — *Cum* VOTUM VOVERIS *Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris* POLLICERI, *absque peccato eris.* — *Si quid* VOVISTI *Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta* PROMISSIO. Quod autem pertinet ad scriptores ecclesiasticos,

quosdam allegasse sufficiat. Ita v. g. S. Gregorius Nyssenus, *In Orationem Dominicam*, 2 : « Votum est promissio alicujus rei, quæ pietatis nomine dedicatur et consecratur. » Et S. Chrysostomus, in Ps. CXV, n. 4, ad verba *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus :* « Vota hic dicit promissa et pollicitationes. In his enim ærumnis ad Deum confugiebat, et se debitorem ei constituebat, pollicens, si ea mala effugeret, se hæc exsoluturum esse sacrificia. » Eodem modo S. Ambrosius, *De Exhort. Virgin.* c. 3, n. 15 : « Considera quis te ut nascereris, juverit : filius es votorum magis quam dolorum meorum. Considera cui te muneri pater tali nomine designaverit, qui vocavit Laurentium. Ibi vota deposuimus unde nomen assumpsimus. Vota effectus secutus est; redde martyri quod debes martyri. Ille te nobis impetravit, tu restitue quod de te hujusmodi nominis appellatione promisimus. » Porro hinc minus proprie votum dictum est sive ipsa *materia* promissionis et res promissa, sive etiam *affectus* voluntatis, desiderium et precatio; exempla reperiuntur, 1 Paral. XXIX, 9, Prov. XXXI, 2, et apud SS. Patres frequenter; imo et in canone Missæ legitur : « Tibique reddunt vota sua. »

Promissio est actus quo aliquis erga alterum se obligat ad aliquid faciendum;

305. Votum itaque est de genere *promissionis.* Promissio autem est *actus quo aliquis erga alterum sese obligat ad aliquid faciendum.* In omni scilicet promissione, ut sit perfecta, hæc reperiri debent: unius *voluntas sese obligandi* erga alterum, dando illi *fidem* de re quapiam peragenda ; hujus *voluntatis significatio*, et *fidei præstatio;* fidei datæ *acceptatio* ex altera parte. Quapropter votum etiam illa importat, atque idcirco vocatur aliquando *sponsio*, ut apud S. Augustinum, *Epist.* 127 (al. 45), n. 8 : « Jam vovisti; jam te obstrinxisti..., tenetur apud Deum sponsio tua. » Ex quibus facile deducitur, ad votum non sufficere merum *propositum,* quantumvis firmum et efficax sit,

ut pulchre explicat S. Thomas 2. 2. q. 88, a 1: « Votum quamdam obligationem importat ad aliquid faciendum vel dimittendum. Obligat autem homo se homini ad aliquid per modum promissionis... Sicut enim homo imperando vel deprecando ordinat quodammodo quid sibi ab aliis fiat, ita promittendo ordinat quid ipse pro alio facere debeat. » Cfr. Lessius, lib. 2, c. 40, dub. 4, J. De Lugo, *De Just. et Jure*, disp. 23, s. 1 et seqq., ac præsertim Suarez, *De Religione*, tr. 6, lib. 1, c. 2, ubi nonnullas objectiones ex quibusdam Juris textibus petitas fuse ac docte solvit.

ex se apta est ut submissionem testificetur et ad cultum pertineat;

306. *Promissio ex se apta est ut per eam testificemur nostram submissionem erga alterum;* tali enim actu servitus quædam contrahitur, et ideo facile eodem significari potest superioritas ex una parte, dependentia vero ex altera. Attamen non omnis promissio sensum demissionis necessario involvit, cum fieri queat et sæpe fiat vel ab æquali in favorem æqualis, vel etiam a superiore in favorem inferioris, idque sive ex benevolentia, sive ex amore, sive ex gratitudine, prout unicuique patet.

de facto autem rationem cultus acquirit ex affectu a quo procedit, et ex materia circa quam versatur.

307. *Quod igitur promissio Deo facta sit actus cultus religiosi, hoc provenit tum ex affectu a quo procedit, tum etiam ex materia circa quam versatur.* Dicimus imprimis rationem cultus in actu vovendi seu in promissione Deo facta, oriri ex *affectu* a quo procedit, quatenus nempe vovens intendit se speciali modo constituere supremi Domini servum ad illud peragendum quod ipsi, tamquam omnis bonitatis exemplari, regulæ immutabili ac fini, gratum et placitum est. Dicimus etiam rationem cultus in prædicto actu oriri ex *materia* circa quam versatur; siquidem promitti nequit nisi quod promissario gratum est et bonum; Deo autem nihil gratum esse potest quasi *commodum afferens*, sed tantum quasi *obsequium præstans;* jam vero, susceptio voluntaria

obligationis ad obsequium præstandum, in se obsequium et cultum continet. Ita Suarez, l. c. c. 15, n. 6: « Ipsamet promissio, Deo facta, est de se quidam cultus Dei, hoc ipso quod cadere non potest in rem promissam, nisi quatenus pertinet ad honorem Dei; nam sicut promissio alicujus boni utilis est etiam quoddam bonum utile, respectu ejus cui fit, ita promissio honoris est de se quidam honor ejus cui fit; ergo si voluntas promittendi sit recta et conformis tali objecto, erit actus religionis. Unde recte advertit Cajetanus.... quod licet res Deo promissa non exhibeatur per solam promissionem, ipsamet promissio jam exhibetur et quasi donatur, quia per illam actu subjicitur mens Deo, et ita voluntas promittendo donat Deo non rem promissam, sed seipsam in cultum Dei, quem ipsa promissione honorat. » Libenter agnoscimus hanc explicationem quibusdam difficultatibus haud minimis obnoxiam esse; existimamus tamen eam quoad substantiam veram esse et cæteris pleniorem.

Votum potest esse perfectum in ratione cultus quin sit perfectum in ratione promissionis, et vicissim.

308. Quidquid de hoc sit, potest votum esse perfectum in ratione cultus, ita ut contineat voluntatem bonam et Deo gratam, quin sit perfectum in ratione promissionis, et consequenter efficaciam habeat seu producat obligationem: puta si emittatur ex ignorantia; et vicissim potest esse perfectum in ratione promissionis, ita ut obligationem inducat, quin sit perfectum in ratione cultus: puta si res bona Deo promittatur unice ex vana gloria. Cfr. Suarez, l. c. n. 7. Porro quænam sint necessaria ut votum sit perfectum in ratione cultus, satis constat ex principiis generalibus et ex hucusque dictis; restat ergo ut in sequentibus paulo distinctius explicemus quænam requirantur et sufficiant ut votum sit perfectum in ratione promissionis, et obligationem inducat.

§ I.

De dotibus promissionis votivæ.

Ad essentiam promissionis votivæ requiritur voluntas obligationis suscipiendæ

309. *Promissioni votivæ essentialis est voluntas obligationis suscipiendæ erga alterum, dando illi fidem de re præstanda;* ubi ergo hujusmodi voluntas vel nulla prorsus ratione habetur, vel positive, absolute et efficaciter excluditur, votum non existit. Sic v. g. non votum sed voti tantum fictio adest si quis mere externe proferat formulam promissoriam; pariter votum non adest, si quis, falso existimans promissioni essentialem non esse obligationem, velit quidem promittere sed absolute et efficaciter nolit obligari; secus autem loquendum esset si absolute et efficaciter vellet promittere. Cfr. *Theol. mor. fund.* n. 43, Suarez, l. c. c. 3, n. 4-11, præsertim vero J. De Lugo, *De Sacram.* disp. 8, s. 8, *De Justitia et Jure,* disp. 22, s. 4, n. 38-40, ubi hæc recte scribit: « Si velis promittere, et, quia putas ex errore, ex promissione non oriri obligationem, et ideo non vis te obligare, adhuc de facto te obligari (dicendum est) si voluntas promittendi... sit magis absoluta et efficax quam voluntas non te obligandi. Quando vero voluntas non te obligandi esset magis efficax quam voluntas promittendi, non fit promissio..... Si autem utraque voluntas sit æqualis, dixi..... actum reddi nullum; quod idem erit quando unica voluntate velles expresse promittere sine obligatione: intendis enim effectum impossibilem, qui poni non potest, et cum nullam habeas voluntatem absolutam promittendi, sed solum promittendi sine obligatione, non datur voluntas aliqua absolute volens promissionem veram, sed solum promissionem fictam et chimericam. » At voluntas adimplendi rem promissam essentialis non est ut promissio vera existat, quamvis omnino requiratur ut

promissio fiat recte et honeste et sit actus cultus. Cfr. Suarez, l. c. c. 4.

formalis et directa,

310. *Prædicta autem voluntas obligationis suscipiendæ formalis esse debet et directa;* indirecta namque voluntas, et quæ est tantum in causa, satis quidem est ad moralem effectuum malorum imputationem, at minime sufficit ad actus humani et operativi constitutionem. Hinc votum non adest, si quis in ebrietate perfecta proferat formulam promissoriam, etiamsi ante ebrietatem præviderit se talem formulam prolaturum esse. Cfr. Suarez, l. c. c. 10, qui tamen exceptionem admittit pro eo qui vult vovere et se obligare casu quo verba promissoria ebrius proferat, quia in tali casu « votum quoad substantiam factum est ante ebrietatem, fuit tamen veluti conditionatum seu pœnale, nimirum si promissionis verba in ebrietate proferret, et ideo obligatio non fuit orta donec impleretur conditio. »

saltem virtualis

311. *Ad votivam promissionem non requiritur voluntas actualis suscipiendæ obligationis, sed sufficit virtualis;* hæc enim est vera et propria voluntas influxum ac efficaciam habens et exercens. Hinc novitius, mane eliciens intentionem emittendi vota religiosa, valide postmodum coram superiore ea emittit, etiamsi ita turbatus vel distractus verba promissoria proferat ut actualem ad ea advertentiam non retineat; intentio enim quam prius elicuit et non retractavit, virtute adhuc perseverat in effectu, scilicet in accessu ad altare et in formulæ recitatione. Cfr. Laymann, lib. 4, tr. 4, c. 1, n. 4. Hoc exemplis confirmat Suarez, l. c. c. 10, n. 5: « Constat enim multos, ac fere omnes qui suscipiunt ordinem sacrum, eo tempore quo recipiunt ordines, non cogitare actu de voto castitatis emittendo, imo nec de ordine quem suscipiunt; et tamen nemo dubitat quin votum validum emittant ex virtute præcedentis deliberationis, cujus virtus tunc operatur.

Idem contingere potest in professione religionis et in emissione cujuscumque voti simplicis, maxime si exteriori voce fiat; nam in voto pure mentali vix potest accidere vel cogitari talis distractio; quia cum de illo formaliter deliberatur, tunc subito et statim fit. »

et implicita,

312. *Similiter ad votivam promissionem non requiritur explicita voluntas obligationis suscipiendæ, sed implicita sufficit.* Hujusmodi autem implicita voluntas obligationis suscipiendæ habetur in voluntate promittendi aut vovendi *sicut promittendum aut vovendum est,* vel *sicut cæteri homines solent vovere et promittere.* Imo, juxta theologos non paucos, talis voluntas implicita etiam habetur in voluntate explicita *ponendi aliquem actum cui necessitas promittendi aut vovendi adnexa est;* unde ii auctores censent votum castitatis implicitum emitti ab eo qui vult absolute et sicut oportet subdiaconatum recipere, licet ignoret susceptioni subdiaconatus adnexam esse necessitatem emittendi votum castitatis. Cfr. Sanchez, *De Matr.*, lib. 7, disp. 27, n. 11, Salmanticenses, tr. 8, c. 6, dub. 2, n. 35, S. Alphonsus, lib. 6, n. 869. Verum hæc sententia non caret difficultate.

deliberata,

313. *Porro prædicta voluntas suscipiendæ obligationis debet esse deliberata;* nempe talis intellectus cognitio, et talis consensus voluntatis requiruntur quæ sufficiant ad reddendum actum absolute et vere humanum. Hinc votum non existit, si promissio fiat ex motu qui dicitur *primo-primus,* vel etiam ex motu qui dicitur *secundo-primus:* in hoc enim casu vel nulla habetur mentis advertentia nullumque voluntatis dominium, vel saltem non habetur nisi advertentia imperfectissima et dominium semi-plenum. Cfr. Suarez, l. c. c. 6, n. 5-9. At requisita deliberatio non importat maturam ac diuturnam rerum considerationem, qua nempe vovens omnia exacte perpendat quæ circumstant operationem, quæque

ipsum vel a vovendo absterrere, vel ad vovendum movere possint. Unde c. *Venientis, De voto et voti redemptione*, validum fuisse censetur votum peregrinationis Jerosolymitanæ, quod in puerili et tenera ætate facilitate potius quam arbitrio discretionis conceptum est. Ad objectionem vero, quod votum sit res valde gravis atque idcirco ex natura sua postulet plenam rei considerationem, respondet Suarez, negando consequentiam; alioquin, ait, hoc argumentum « probaret non solum in votis, sed etiam in omnibus negotiis humanis quæ gravia sunt, majorem deliberationem esse simpliciter necessariam. Probaret etiam pro negotii qualitate et differentia, diversos gradus deliberationis esse postulandos ad valorem negotii seu obligationis. Imo etiam probaret, quo peccatum mortale gravius est ex sua specie seu genere, eo necessariam esse majorem deliberationem, ut ad talem culpam imputetur. Solum igitur probatur illo argumento, juxta prudentem modum operandi requiri ad votum majorem deliberationem, quam ad alias communes actiones, et quo votum gravius est, eo majorem esse adhibendam considerationem. Inde autem non fit ut, si in hoc defectus aliquis committatur, statim votum sit invalidum, nisi tanta sit indeliberatio ut usum libertatis simpliciter impediat. Addunt vero... auctores, et recte, votum quod fit absque matura deliberatione proportionata, esse imperfectum et ex eo capite habere causam aliquam ob quam dispensari possit, ut hoc modo occurratur illis incommodis quæ ex hujusmodi temerariis seu repentinis votis oriri solent. » l. c. c. 9, n. 10. Cfr. Lessius, lib. 2, c. 40, dub. 1, n. 2. Layman, lib. 4, tr. 4, c. 1, n. 3, Greg. De Valentia, disp. 6, q. 6, p. 1, Salmanticenses, tr. 17, c. 1, p. 1, n. 9.

314. *Ad votivam promissionem non sufficit sola voluntas obligationis suscipiendæ, sed requiritur ex una parte talis voluntatis significatio, ex altera vero ejusdem accep-*

significata et acceptata.

tatio. Verum prædicta significatio exercite et implicite satis habetur eo ipso quod actus voluntatis de obligatione suscipienda eliciatur, prout notavit Suarez, *De Rel.* tr. 6, lib. 1. c. 13, n. 9: « Cum talis locutio ad Deum non sit nisi ordinatio quædam proprii actus, quasi per voluntariam præsentationem talis actus in conspectu Dei, hæc ordinatio quasi in actu exercito includitur in voluntate se obligandi Deo. Nam illa voluntas ad Deum voluntarie ordinatur intime et per seipsam, et qui illam habet optime novit non ordinare obligationem suam ad ignorantem illam, sed ad eum qui optime novit illam et acceptat, et exigit: ergo ex hac parte in illo actu includitur sufficiens ordinatio. » Quod vero pertinet ad acceptationem, specialis necessaria non est, quum existat generalis et universalis sufficienter a Deo manifestata, v. g. Deut. XXIII, 21: « *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus.* » Ex his autem non solum ratio reddi potest cur theologi de duplici præmissa conditione vix loquantur, sed etiam fortasse conciliari valent discrepantes sententiæ doctorum circa quæstionem: sitne votum actus voluntatis, an actus intellectus. Cfr. Suarez, l. c. c. 13, et lib. 4, c. 2.

§ II.

De vitiis valori promissionis votivæ oppositis.

315. Duo sunt de quibus in particulari quæri debet an et quousque validitati promissionis votivæ obsint, metus scilicet et error.

I. De influxu metus in votum.

316. Notiones et distinctiones præ oculis habendæ sufficienter explicatæ fuerunt in *Theologia morali fundamentali*, n. 53 et seqq.; cfr. etiam Sanchez, *De*

Matrimonio. lib. 4, (per multas disputationes) et *De Præceptis Dec.*, lib. 4, c. 3.

317. Quibus suppositis, sequentes statuuntur propositiones: a) *Nullus metus, a causa vel intrinseca vel extrinseca necessaria proveniens, per se invalidum reddit votum ejus occasione emissum.* — b) *Nec votum invalidum reddit metus proveniens a causa extrinseca libera etiam injusta, si non fuerit directe incussus ad prædictum votum extorquendum.* — c) *Imo nec metus directe incussus ad votum extorquendum illud invalidum reddit, si justus fuerit.* Ratio harum assertionum est, quia ex una parte metus ipse per se non tollit cognitionem et consensum in promittente, ex altera vero parte causa metus nihil continet quod impediat promissionis acceptationem, siquidem in casibus indicatis votum vel sponte eligatur ad vitandum malum, vel saltem offeratur et admittatur tanquam medium ad damnum avertendum. Cfr. Suarez, l. c. c. 7, n. 3-8, Sanchez, *De Præc. Dec.*, lib. 4, c. 3, n. 20, 21, Castropalao, tr. 16, disp. 1, p. 5, n. 5.

Nullus metus validitati voti obstat, nisi fuerit gravis, injustus et directe incussus ad votum extorquendum;

318. Quod autem pertinet ad votum incussum injuste et directe ad votum extorquendum, plures sunt controversiæ. a) *Incertum est utrum votum ex metu gravi editum, directe ad illud extorquendum incusso, jure naturali validum sit necne:* theologi communius censent tale votum esse validum, quia neque ex defectu libertatis, neque ex ratione injuriæ illatæ, potest tale votum jure naturæ annulari; ergo nullo modo. Antecedens patet quoad defectum libertatis; quoad injuriam vero constat, « quia Deus, cui fit votum, non est auctor injuriæ, et quamvis illam permittat, jure tamen et merito potest illam permittere, etiam propter illum finem eliciendi ab homine voti consensum: ergo injuria quæ ab homine infertur, impertinens est ut votum Deo factum irritum fiat. » Suarez, l. c. n. 9-21, Sanchez, l. c. n. 9; Castropalao, l. c. n. 6, etc. Fatemur tamen hujusmodi argumentum

Talis autem metus validitati voti obstat probabiliter ex jure naturali, certius ex jure ecclesiastico.

nobis non videri omnino efficax, adeoque potius adhæremus theologis illis qui existimant prædictum votum invalidum esse. — Quidquid autem sit de jure naturali, b) *certum est de jure ecclesiastico votum solemne ex metu gravi emissum directe ad illud extorquendum incusso invalidum esse:* constat ex c. *Perlatum.* — c) *Quod autem dicitur de voto solemni, probabilius admittendum est de quocumque alio voto.* Ita Sanchez, l. c, n. 12: « Communi fere omnium doctorum placito, eadem decisio extenditur ad votum simplex, utpote quod est similiter opus consilii et suam perpetuitatem habet. » Non desunt tamen qui contradicant cum Suarez, l. c. c. 8, n. 5: « Addit (Panormitanus) quod illa decisio potest generaliter adduci ad validitatem vel invaliditatem cujuslibet voti, sed gratis et sine probatione hoc dicit et contra generales regulas, quod argumentum a simili in hujusmodi re adeo gravi non est validum. Maxime, quia est extensio in materia odiosa et potius restringenda. Item, quia non est æqualis ratio: nam votum solemne includit quemdam contractum inter religionem et religiosum, et ex hac parte potuit majori ratione irritari. Item est indissolubilius quam votum simplex, et ideo oportuit majori libertate fieri. » — d) Tandem *invalidum non videtur votum ex metu tantum levi emissum, etiamsi directe incussus fuerit iste metus ad consensum extorquendum, et revera causa vovendi extiterit.* Ita Sanchez, l. c. n. 23 et 24. « Quidam dicunt id votum, sive simplex, sive solemne professionis, sive ordinis sacri, esse irritum in foro conscientiæ, nullamque obligationem parere, secus autem in foro externo. Ducuntur, quod jus constituens discrimen inter utrumque metum, innitatur præsumptioni, quæ præsumit metum gravem esse causam sine qua actus non fieret; secus autem de levi. At jus præsumptioni innitens non habet locum in foro conscientiæ, quando in eo contraria veritas constat. Præterea, quia metus gravis ideo irritat,

quod plenam consensus libertatem auferat: ergo metus quoque levis irritabit quando eamdem aufert, existens quoque causa ut fiat.... At multo probabilius est, non irritari quodcumque sit votum, ex metu levi. Quia metus non irritat votum, eo quod quomodocumque voluntarium auferat, sed quod prudenter et rationabiliter auferat, eligendo rem tam gravem, ac est votum et professio, ratione illius timoris vitandi; quod non contingit quando metus est levis; sed imprudenter et irrationabiliter agitur. Nec verum est jura in hoc casu inniti præsumptioni. » Cfr. S. Alphonsus, l. 3 n. 197.

II. De influxu erroris in votum.

319. Iis quæ in *Theologia morali fundamentali* proponuntur, n. 63 et seqq., nonnulla adjungenda sunt. Et quidem a) non multum præsenti materiæ deservit distinctio inter errorem *vincibilem* et errorem *invincibilem*, quum ad validitatem voti non sufficiat voluntarium in causa; cfr. Suarez, l. c. c. 12, n. 4. Nec magis eidem materiæ deservit distinctio inter errorem *causatum ab ipso errante*, et errorem *causatum a tertio* quodam sive *culpabiliter* (sc. per dolum) sive *inculpabiliter;* cfr. Suarez, l. c, c. 11, n. 4. — Deinde b) non multum hic usu venit distinctio inter *jus* et *factum*, sed potius est inspiciendum an error versetur circa *naturam* actus vovendi, an circa *materiam* voti (in qua aliud est substantiale vel in substantiam redundans, aliud accidentale), an circa *causam* ejus ac motivum, an denique circa *terminum;* cfr. Sanchez, *De præc. Dec.* l, 4, c. 2, n. 1. — Præsertim c) accuratius indicanda est indoles ignorantiæ *antecendentis* et *concomitantis* relate ad votum. Ignorantia antecedens ea dicitur quæ est causa voti quatenus, si non adesset, votum non emitteretur; hoc autem vere et proprie contingit quando vovens ita *actuali-* Prænotiones.

ter dispositus est ut voluntatem suam vovendi restringat ad materiam qualis apparet; minime vero quando vovens ita tantum *habitualiter* dispositus est, ut, si hoc vel illud cognosceret, votum non emitteret (1). Similiter ignorantia concomitans stricte ha-

(1) Hæc differentia, quæ tanti momenti est in præsenti materia aliisque affinibus, clara in luce posita fuit a Sanchez, l. c n. 6 et seqq. Juverit summi theologi verba referre: « Præmittendum est ad inducendam obligationem, vel ab obligatione contracta eximendum, non tantum spectandum esse quid hic faceret vel non faceret si prævidisset. Quare optime ait Vasquez, in l. 2. q. 7, a. 4, disp. 30, c. 4, n. 24 et 25, non valere hanc consequentiam: agens, si talem circumstantiam sciret, non faceret, ergo actio ejus involuntaria fuit ac proinde non obligans. Quod idem docet optime Valentia, 2. 2, disp. 6, q. 6, p. 4, *in fine* et disp. 5, q. 20, p. 4, concl. 4, probans longe aliud esse hominem ita quidpiam velle, ut si nosset quamdam circumstantiam aliter se habere, non id voluisset; et aliud velle id conditionaliter, si talis circumstantia adsit, et non aliter. Prior enim ille voluntatis modus non semper inducit ut simul ille etiam id nolit, circumstantia aliter se habente, sed tantummodo fore ut nollet, si id nosset. At posterior includit expressum actum, quo quis non vult, circumstantia illa aut conditione aliter se habente. Quia, si semper actus esset involuntarius et conditionalis quoties si quis scivisset circumstantiam, noluisset, nil ferme ratum et firmum esset in commerciis humanis; siquidem illud: *si scivissem*, fere semper locum habet in hominum consiliis, utpote qui non omnes circumstantias norunt..... Hinc deducitur ad obligationem vel liberationem necessario debere esse actum aliquem de præsenti in voluntate, saltem virtualem, quo voluntas velit aut nolit illud. Quod exemplis constabit. Sicut non sufficienter colligitur dispositum esse a legislatore vel ab alio aliquid ex eo quod certissimum sit fore ut, si advertisset, ita disposuisset; sed requiritur ut ex verbis dispositionis ita deducatur fuisse disponentis voluntatem (ut ex multis probavi lib. 7 *De Matrim.* disp. 90, n. 11). Atque ita optime Molina, tom. 1, *De Just.* disp. 209..., ait, ut donatio sit nulla tamquam involuntaria defectu causæ, exigi adesse tempore donationis actualem aut quasi habitualem voluntatem non aliter donandi, et ut donatio aliter facta sit nulla. Item, quia nullus dicet excusari quempiam, ex eo quod sciat petitam a creditore concedendam esse remissionem, aut licere furari, eo quod sciatur fore ut dominus rei daret petenti, sed oportet ut moraliter sciatur dominum illius rei, per virtualem voluntatem, actu velle remittere

betur quando vovens *actualiter* ita dispositus est ut, si hæc vel illa circumstantia cognosceretur, adhuc voveret; non autem quando ita dispositus est solum *habitualiter:* in primo casu existit in vovente actus aliquis voluntatis influxum habens in opus; in altero talis actus non existit (1). — Porro d) hic

vel transferre dominium...,. Quod si petas, ex quibus deducetur hæc voluntas actualis aut virtualis vovendi, sic quasi conditionaliter ut non aliter vovens obligari velit, nisi existente illa circumstantia in qua errat; vel non obligandi se tali casu occurrente vel ad talem eventum: duplex regula assignari potest. Prior est deducta ex ipsius actionis substantia. Attendenda est ipsa actionis substantia, et si illa non ignoratur, actio non est involuntaria, etsi erretur circa aliquas circumstantias accidentarias, quamvis secluso illo errore actio non fieret. Hanc docet optime Vasquez l. c. et variis exemplis probat. Ut si quis eleemosynam pauperi eroget, ignorans suum esse inimicum, nec id sciens largiturus, valet eleemosyna, quia ad ejus substantiam sola recipientis paupertas pertinet, in qua non erratur; circumstantia autem inimicitiæ ignorata est accidentaria. Et ratio est, quia ignorantia et error ea sola involuntaria reddunt, in quæ cadunt. Cum ergo actionis substantia sit potissimum quod in ea spectatur, circumstantiæ autem accidentariæ pertineant ad eam secundum quid, quando substantia est cognita, etsi hæ circumstantiæ ignorentur, actio est simpliciter voluntaria, etsi involuntarium secundum quid immixtum habeat... Posterior regula deducitur ex potissimo voventis fine; ex eo enim ejus voluntas declaranda est. Quod constat, quia ideo communis sententia tradit legem ex proœmio intelligendam (ut diximus lib. 2, *De Matrim.* disp. 37, n. 3) quia in eo finis legislatoris ejusque intentio declaratur. Cum ergo votum sit quædam lex privata ex voventis voluntate consurgens, et juxta illam vim obligandi habeat, dum de expressa voluntate non constat, deducenda erit ex potissimo voventis fine, quo ad eam sibi legem imponendam ductus est. »

(1) Hanc differentiam bene explicavit Suarez, l. c. c. 12, n. 6 et 7. « Advertere oportet, ignorantiam tunc dici concomitantem quando homo est ita dispositus quod, licet talem ignorantiam non haberet, idem esset operaturus. Hæc autem dispositio intelligi potest vel habitualis tantum vel actualis: et habitualem voco illam quæ non est per actuale propositum vel desiderium voluntatis.. .. Hæc igitur dispositio habitualis parum refert ad effectus morales, quamdiu in actum non prodit, imo vix potest de illa ferri humanum judicium... Alio ergo modo dicitur igno-

sedulo advertenda est distinctio inter *ignorantiam mere negativam* et *errorem positivum*: error enim positivus multo sæpius est vere antecedens in sensu exposito quam ignorantia mere negativa. (1)

rantia concomitans, comparata ad præsentem voluntatem actualem, qua aliquis declarat mentem suam.... Nam si aliquis occidat Petrum inimicum, ignorans quidem esse illum et existimans esse cervum, actu vero desiderans ibi adesse inimicum cum proposito occidendi illum, si ipse esset, tunc ignorantia dici potest actualiter concomitans: talis ergo potest etiam in voto emittendo intervenire, et tunc nihil obstare potest quominus votum validum sit, quia ignorantia tunc neque est causa talis voti, neque excludit sufficientem voluntatem se obligandi ad talem materiam ut affectam tali proprietate, quia licet ignoretur absolute, sub conditione tamen apprehenditur. Ut si quis voveat peregrinationem Hierosolymitanam, existimans non fieri per mare, habens tamen actu voluntatem non minus vovendi illam etiamsi per mare fieret, sufficientem habet intentionem se obligandi ad talem peregrinationem absolute et simpliciter, sive per mare fiat sive non, quamvis privato errore existimet absque navigatione fieri. »

(1) Ita recte Suarez, l. c. c. 12, n. 8—10: « Quando ignorantia est pure privativa, judicium seu existimatio positiva mentis proponit aliquid in materia voti, quod in re verum est, et ibi sistit et præscindit ab aliis, quæ non negat, quamvis ea non proponat; nam propterea non est ignorantia positiva, quia abstrahentium non est mendacium. Unde fit ut objectum sic propositum non moveat voluntatem secundum id quod per ignorantiam occultatur, et ideo talis ignorantia non ita causat involuntarium. Potest autem illud causare tamquam removens prohibens; nam illud quod per talem ignorantiam occultatur in objecto, sicut non attrahit voluntatem, ita nec retardat illam; et ex hac parte contingere potest ut talis ignorantia causet involuntarium, quia, si talis conditio fuisset proposita, et non occultata, retardaret hominem a volendo. Et hunc etiam involuntarii modum aliqui putant sufficere ut valor voti impediatur, maxime quando talis conditio callide occultatur, ne voventem retardet. Verumtamen hoc oportet sano modo intelligere: nam... nemo obligatur vel desinit obligari propter ea qua facturus esset si hoc vel illud accideret, sed propter ea quæ facit: in eo autem casu talis homo absolute vovet; quod autem non esset emissurus votum, si hoc vel illud scivisset, actu nihil ponit vel causat in ipso: ergo non potest hic et nunc impedire obligationem, quæ ex voto secundum se nascitur. Eo vel maxime quod illa conditionalis hominibus incerta est, unde non potest

320. Quibus præmissis, statuimus primo *ignorantiam et errorem quæ versantur circa indolem essentialem actus vovendi, votum reddere nullum*, cum efficiant ut vel non adsit debita intentio vel adsit intentio contraria, ut constat ex dictis superius. Attamen juxta ea quæ jam explicata fuerunt, limitanda est assertio, nisi vovens velit promittere eo modo quo alii faciunt. « Nam si ignorans naturam voti, confuse velit illud facere prout in se est, vel prout alii faciunt, jam per talem intentionem depellit ignorantiam, sicut, in materia de sacramentis, diximus intentionem generalem sufficere ad conficiendum sacramentum non obstante privato errore. » Suarez, l. c. c. 11, n. 7.

Votum invalidum reddunt ignorantia et error quæ versantur circa essentiam actus vovendi,

321. Deinde relate ad ignorantiam et errorem quæ versantur circa voti materiam, sequentia admittenda videntur. a) *Ignorantia circa substantiam rei promissæ votum reddit nullum*, ut v. g. si quis religionem profiteatur nesciens in ea abstinendum a conjugio aut a proprietate rerum. Cfr. Laymann, l. c. n. 5. — b) *Error positivus circa materiam voti per se*

vel circa substantiam aut conditiones substantiales materiæ,

nisi divinando et conjecturando affirmare: valor autem voti non debet pendere ex conjecturis adeo incertis. Quare potius videtur pro regula statuendum, in eo casu validum esse votum, et illam conditionem, occultatam per ignorantiam, implicite volitam esse in objecto proposito, a quo fuit exclusa..... Hæc tamen regula dupliciter limitanda est. Primo, nisi talis homo, dum vovet per expressam voluntatem, limitet suam intentionem ad objectum sibi propositum, ut sic, vel expresse addat conditionem: nisi tale votum habuerit plures difficultates quam sibi proponuntur, nam per talem intentionem manifeste fit hujusmodi votum involuntarium, quia tunc voluntas est conditionalis, et conditio subsistit... Secundo, nisi ex materia proposita et modo proponendi moraliter constet taciturnitatem hujusmodi conditionis seu proprietatis materiæ æquivalere negationi, et conceptum, qui inde formatur, non solum esse præcisivum, sed etiam exclusivum: tunc enim ignorantia jam non est mere negativa, sed vim habet moralis deceptionis. Quando autem de tali ignorantia hoc modo judicandum sit, prudentis arbitrio relinquendum est, multumque pendet ex deliberatione et intentione ipsius voventis. »

illud reddit nullum quando voluntas fertur in hanc materiam præcise et formaliter quatenus est affecta tali aut tali qualitate, quæ falso creditur adesse, vel immunis a tali aut tali vitio, quod abesse falso existimatur. Ratio est, quia in eo casu, deficiente objecto voluntatis, deficit voluntarium. Jam vero α) *hoc* contingit *quotiescumque agitur vel de materiæ substantia vel de ejus accidentibus adeo gravibus, ut ad substantiam censeantur pertinere.* (1) At idem dici nequit

(1) Optime rursus advertit Suarez, l. c. c. 11, n. 11, « Aliud esse loqui de substantia alicujus actus in ordine ad constituendum v. g. statum religionis, seu ad participandam talem honestatem seu modum cultus religiosi, aliud vero esse loqui de substantia talis actus ut est objectum seu materia talis voti; ut v. g. ad substantiam actus eleemosynæ quoad honestatem ejus non refert quod fiat Petro potius quam Paulo; si autem quis vovit ea facere Petro, illa circumstantia est de substantia eleemosynæ, ut est materia talis voti. Sic ergo in præsenti dicimus, quod licet abstinentia a carnibus vel alia gravis asperitas religionis non sit de substantia status religiosi ut sic, moraliter tamen censetur de substantia talis status religiosi in individuo, quatenus hic status in particulari est materia alicujus voti, quia vovens non intendit promittere statum nudum, sed vestitum his vel illis conditionibus, quæ interdum tales sunt tamque graves, ut non censeantur moraliter volitæ quando circa illas erratur, et ideo talis ignorantia censetur causare involuntarium in his quæ pertinent ad substantiam talis voti ex parte materiæ; quæ doctrina facile potest ad alia exempla applicari. Instabis, maxime in illo exemplo de voto religionis; nam etsi tale votum non obliget in particulari, ad talem religionem ita asperam, saltem obligabit ad statum religionis assumendum alibi: ergo talis ignorantia non facit votum simpliciter invalidum, sed solum quoad talem conditionem ignoratam. Antecedens patet, quia si vovens nihil ignoravit eorum quæ pertinent ad statum religionis, et illud intendit cum votum emittit, ergo ad illum saltem in communi obligatur. Respondeo forte non defuturos quibus hoc probabile appareat. Nihilominus negandam existimo sequelam, quia, licet ille non ignoraverit statum religionis ut sic, tamen non intendit ad illum absolute et nude se obligare, sed tantum ad hunc in particulari et cum talibus conditionibus partim veris partim existimatis, et ideo si obligatus non manet ad hunc statum in particulari sumendum, neque ad alium eligendum obligatur. Sicut qui vovet dare tantam eleemosynam Petro, quia existimavit esse pauperem, si postea intelligat se deceptum et

β) quando agitur de materiæ conditionibus accidentalibus, nisi tamen exsistentiæ alicujus qualitatis, etiam levioris momenti, vel absentiæ vitii consensus fuerit quasi alligatus. « Ratio est, quia parum pro nihilo reputatur, ideoque moraliter non existimatur sufficiens ad mutandam voluntatem, neque ad causandum involuntarium simpliciter, vel multum illud minuendum ; quod autem vel perfectionem ejus aliquantulum minuat, vel aliquale involuntarium secundum quid causet, non satis est ad impediendum votum..... Quando vero conditio ignorata hujusmodi sit, prudens theologus in particulari judicabit, considerata qualitate materiæ et circumstantiarum; nam certior regula generalis dari non potest. » Suarez, l. c. n. 13. Porro in supra enuntiata propositione diximus, casu indicato votum reddi nullum *per se*, quia excipiendum est votum professionis solemnis, quod, instar matrimonii carnalis, ob nullum errorem ad substantiam rei non pertinentem, infirmatur Cfr. Laymann, l. c. n. 5.

vel etiam circa causam finalem voti,

522. *Error circa causam voti propriam et motivam seu finalem, illud reddit nullum, minime vero error circa causam impulsivam tantum et occasionalem.* Ratio primæ partis est, « quia proprius finis et per se movens voluntatem pertinet ad substantiam voluntatis (ut sic dicam), quia pertinet ad substantiale objectum ejus, ergo error circa talem finem substantialis est. » Quare, si mater, v. g. vovit eleemosynam ad impetrandam a Deo sanitatem filio absenti, ad nihil tenetur, quando filius, tempore quo factum est votum, vel jam erat mortuus vel non erat infirmus, quia nempe non sub-

Petrum esse divitem, non obligatur tali voto ad dandam illi eleemosynam, nec aliis pauperibus, quia ipse hoc non vovit, neque simpliciter voluit honestatem misericordiæ exercere, sed tantum circa talem personam. Tota autem hæc obligatio ex intentione et voluntate voventis pendet, neque illam excedit. »

sistit causa finalis, quæ fuit filio recuperare sanitatem. Ratio secundæ partis est quia causa impulsiva non est de voti substantia; « solet hæc pars limitari, nisi talis finis det causam voto, ita ut si sciretur non esse, votum non fieret. Sed hoc intelligendum est juxta supradicta, si hæc ipsa conditio formaliter vel virtute actu cadat sub intentionem operantis: alias illa conditionalis est impertinens, ut sæpe dixi. » Suarez, l. c. c. 11, n. 14. Et hoc sensu intelligi debent ea quæ habet Sanchez, l. c. n. 40: « Quoties aliquid principaliter voventem movet, aliud autem minus principaliter, si ita utrumque voluntatem determinat ad vovendum, ut, utriusque consequendi avida per eum actum, non voveret alterutro deficiente, utrumque est vere causa finalis, illud principalis, hoc autem minus principalis. »

vel tandem circa voti terminum.

325. *Tandem de ignorantia et errore circa terminum voti*, hæc scribit Suarez, l. c. c. 11, n. 7: « Si quis ignoret votum fieri Deo, licet absolute dicat : Voveo me hoc facturum, nihil agit, quia non promittit alicui, vel certe non Deo ; quia impossibile est habere voluntatem promittendi alicui personæ, si omnino ignoretur promissionem ordinari aut dirigi ad talem personam; qui ergo hoc ignorat, non potest velle se illi obligare. Unde in eo casu censendus esset talis homo propriam vocem ignorare, et apud illum nihil aliud esset vovere, quam constanter aliquid proponere vel affirmare, vel etiam jurare: his enim modis sæpe videtur usurpari verbum *vovendi* apud vulgares homines. »

§ III.

De modificationibus votivæ promissionis.

Præcipua voti modificatio est conditio;

324. Voluntas sese obligandi, quæ essentialis est promissioni votivæ, diversimode se habere potest. Præcipuæ ejus modificationes respiciunt vel existentiam obligationis, et sic votum distinguitur in *absolu-*

tum et *conditionatum*, vel materiam obligationis, et sic votum est *determinatum* vel *disjunctivum*, vel obligationis durationem, et sic votum distinguitur in *perpetuum* et *temporaneum*.

525. Quod pertinet ad votum determinatum et disjunctivum, perpetuum et temporaneum, nullæ existunt difficultates, nullæque requiri videntur explicationes. Hinc satis erit si in presenti specialiter agamus de voto absoluto et conditionato.

526. Jam vero *conditio* stricte sumpta est *eventus aliquis futurus et incertus ad cujus præsentiam alligatur promissionis efficacia*. Dicimus autem, a) conditionem esse *eventum*, sub quo nomine intelligimus tum actionis positionem et productionem effectus, tum rei omissionem. — Dicimus deinde b) conditionem esse eventum *futurum;* adeoque circumstantia aliqua de præsenti vel de præterito, cujus præsentiæ voluntas alligatur, conditio proprie non est, licet conditio vocetur ; et consequenter votum emissum sub tali formula conditionali de præsenti vel de præterito, conditionatum non est, sed ab initio absolutum, et validum vel invalidum, prout circumstantia ad cujus præsentiam consensus alligatur, a parte rei existit vel non existit ; cfr. Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 25, n. 4, et 11, et *De Matr.* lib. 5, disp. 6, n. 1. A fortiori nomine conditionis designari nequit circumstantia quæ a promittente *supponitur*, et a cujus præsentia pendet obligationis ortus et perseverantia, de qua re superius locuti sumus ubi de errore, et postea rursus loquemur ubi de causis a voto eximentibus. — Dicimus præterea c) conditionem esse eventum *incertum ;* et consequenter votum emissum sub formula conditionali de re necessaria adeoque certo futura, non est proprie conditionatum, sed ab initio firmum est et validum ; similiter votum emissum sub formula conditionali de re impossibili, adeoque certo non futura, non est conditionatum, sed ab initio invalidum : in priori enim

conditio est

eventus

futurus

et incertus,

casu de facto existit voluntas absoluta sese obligandi, in posteriori voluntas sese obligandi minime existit. — Dicimus tandem d) conditionem esse eventum *ad cujus præsentiam alligatur promissionis efficacia,* non autem promissionis actus; nam si conditio poneretur ex parte actus promittendi, suspenderet illum, et sic non fieret promissio, sed assereretur facienda, quando conditio impleretur. Cfr. Suarez, l. c. c. 19, n. 8. Efficacia vero, de qua loquimur, ea intelligitur qua vel obligatio introducatur, et tunc habetur conditio *suspensiva*, vel obligatio introducta perseveret, et tunc habetur conditio *resolutoria.*

ad cujus præsentiam alligatur promissionis efficacia;

eventus ille pendere potest a causa naturali, vel a causa libera, vel a voluntate promittentis;

327. Porro *eventus,* ad cujus præsentiam efficacia promissionis alligatur, pendere potest vel a *causa aliqua naturali*, vel a *causa libera*, vel etiam a *voluntate promittentis;* non tamen potest esse *merum promittentis libitum,* ut: faciam hoc *si voluero;* in tali enim casu deficeret intentio suscipiendæ obligationis, et consequenter ipsa promissionis substantia, sicut votum non existeret, si quis ea conditione voveret ut voto nullatenus teneretur. — Præterea idem *eventus* potest esse *honestus* vel *turpis:* si sit honestus, vere existit votum conditionale, quod tamen non obligat antequam eventus ille contigerit; si autem sit turpis, videndum est utrum intendatur in se et res promittatur ut contingat, an vero non intendatur sed solum sit occasio promissionis: in prima hypothesi votum nullum est, propter defectum acceptationis, ut si quis voveat eleemosynam si vindictam sumere potuerit de inimico; in altera autem hypothesi votum vere existit. Cfr. Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 6, n. 12-17. — Denique idem *eventus* habetur vel ut *optandus* vel ut *præcavendus* et ita ut res promittatur quasi in pœnam: in primo casu votum est *purum*, in altero est *pœnale.* Ut enim scribit Suarez, l. c. lib. 1, c. 19, n. 13: « Votum pœnale est illud, in quo res sub conditione promissa solum intenditur in pœnam illius actus,

potest esse honestus vel turpis,

optandus vel præcavendus.

per quem conditio impletur, ut si quis voveat dare eleemosynam si luserit, quod votum hoc habet peculiare quod non fit ex affectu ad materiam sub conditione promissam, imo ex quadam aversione ad illam, quia omnis pœna est aliquo modo involuntaria, et ita eo ipso quod illa promittitur ut pœna, respicitur ut involuntaria et contra voventis affectum. » Hoc autem contingere potest duobus modis, ut omnes admittunt cum Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 22, n. 2. Primo, si duplex votum aliquis edat, videlicet rem aliquam absolute faciendi vel omittendi, ad quam animus inclinatus est; si vero id non præstiterit, tum aliud ad quod animus inclinatus non est, tamquam in criminis pœnam præstandi; v. g. si voveas te non fornicaturum, sin autem fornicatus fueris, religionem ingressurum; vel voveas te non lusurum, sin autem luseris, eleemosynam daturum. Secundo, si sola pœna promittatur sub conditione si id, quod animus est præstare, præstitum non fuerit: v. g. voveo me religionem ingressurum si fornicatus fuero; voveo eleemosynam me daturum si lusero. Interdum tamen vota tali forma, præsertim posteriore, concepta, pœnalia non sunt sed mere conditionalia: si videlicet aliquis sub conditione admissæ fornicationis, religionem voverit non ut pœnam, sed potius ut medium opportunum ad peccatum declinandum vel emendandum.

Promissio facta sub pluribus conditionibus.

528. Quod si promissio votiva fiat sub pluribus conditionibus, perpendendum est an illæ conditiones intendantur *copulative*, an vero *disjunctive;* de qua re optime Sanchez, l. c. c. 23, n. 21, 22: « Quando votum sub pluribus conditionibus non emittitur disjunctive, si quæcumque illarum impossibilis sit, corruere votum... Si autem verba fuerint disjunctiva, obligabit votum, eveniente conditione possibili.... Et idem dicendum, si altera sit necessaria: nam si copulative, expectandum erit donec contin-

gens impleatur; si autem disjunctive, obligat statim.... Tertio deducitur, si altera conditio sit mala vel indifferens, et non intendatur obtineri a Deo, sed per modum solius conditionis apponatur, valere votum, et si utraque conditio copulative ponatur, obligare utraque eveniente et non aliter. Quia conditio mala vel indifferens non irritum reddit votum in hoc casu.... Si vero conditio mala vel indifferens intendatur obtineri a Deo, distinguendum est sicut de voto impossibili distinximus..... Quia hæ conditiones æque irritum reddunt votum hoc modo appositæ ac impossibiles. Et ideo si copulative apponatur ea conditio mala vel indifferens cum alia bona, corruet votum; si vero disjunctive, est validum et obligabit, saltem quatenus pendet a conditione bona, et illa evenienti, et non aliter. »

ARTICULUS II.

De iis quibus votum fieri possit.

Promissio religiosa fieri potest Deo et Sanctis,

329. *Promissio religiosa fieri potest non solum Deo sed etiam Beatæ Virgini aliisque Sanctis.* Sancti enim, licet nobiscum non vivant, tamen nostrarum rerum cognitionem habent et curam agunt: unde sicut illos oramus et ad illos loquimur, ita possumus eos promissionibus honorare. Cfr. Suarez, l. c. c. 16, n. 1 et 2, Bellarminus, *De Cultu Sanctorum*, lib. 3, c, 9.

aliter tamen Deo et aliter Sanctis;

330. *Hæc tamen promissio religiosa aliter fit Deo, aliter Beatæ Virgini et Sanctis.* Nam Deo fit in recognitionem supremæ excellentiæ, in testimonium absolutæ servitutis ipsi debitæ, et in signum gratitudinis erga primum benefactorem; adeoque est actus cultus latriæ. At vero Sanctis fit solum in recognitionem excellentiæ participatæ, et in testimonium gratitudinis intercessoribus debitæ; adeoque non est

nisi actus duliæ vel hyperduliæ. Cfr. Bellarminus, l. c.

Sanctis autem promissio fieri potest duplici modo.

331. *Sanctis autem promissio fieri potest dupliciter, imprimis per modum cultus latriæ relativi, quatenus in Sanctis spectatur ipse Deus; deinde per modum cultus absoluti duliæ vel hyperduliæ, quatenus Sancti spectantur in se, ut habentes creatam excellentiam gratiæ et gloriæ.* Prior modus non est in usu, propter rationem supra adductam n. 73; posterior vero merito admittitur, nam « Sanctus ratione suæ sanctitatis est dignus cultu proportionato illi excellentiæ, per quæcumque opera vel signa detur; inter alia autem opera vel signa proportionata, unum est hæc promissio; potest enim fieri ex affectu ad eorum sanctitatem proportionato, et cum debita æstimatione illius, vel potest etiam fieri in signum alicujus beneficii a Sancto suscepti, non ut a principali auctore sed ut a mediatore; unde etiam fieri potest ex spe obtinendi a Sancto ut officium intercessoris exerceat. » Suarez, l. c. n. 9.

Promissio facta Sanctis minus proprie votum dicitur.

332. *Jam vero, juxta communem modum loquendi Scripturæ et communiorem usum Ecclesiæ, solæ promissiones, quæ directe fiunt Deo, proprie dicuntur vota, et ideo simpliciter negari potest alias promissiones, quatenus formaliter fiunt Sanctis, esse vota, atque ita concludere licet votum soli Deo offerri.* Cfr. Suarez, l. c. n. 10-12, ubi ita scribit: « Quod attinet ad usum vocis caute loquendum, et cavendum ne quispiam ambiguitate verbi offendatur; nam certe in Scriptura votum aliquid Deo proprium significare videtur, et juxta usum etiam Ecclesiæ existimo non tribui Sanctis nisi materialiter, quatenus promissio ad Sanctum conjuncta est cum promissione Dei, ut explicuimus. » In hac quæstione de nomine, paulo aliter locutus erat Bellarminus, l. c.: « Videtur dubium esse, an ista promissio facta Sanctis possit dici votum, id est, an votum

sit nomen generale, quod dicatur analogice de promissione facta Deo et Sanctis, quomodo nomen orationis et nomen cultus se habent; an vero sit nomen speciale, quod solum dicatur de promissione Deo facta, sicut sacrificium non dicitur nisi de munere quod offertur Deo. Etsi autem controversia vocabuli, cum de re constat, nos torquere non debeat, existimo tamen, secundum usum Ecclesiæ, nomen voti esse generale: nam nullus dicere auderet: Sacrifico Deo et Beatæ Virgini, vel etiam absolute: Sacrifico Beatæ Virgini; et tamen dicimus: Voveo Deo et Beatæ Mariæ, et etiam simpliciter: Voveo Beatæ Mariæ. Præterea, nomen voti est adeo conjunctum cum nomine orationis, ut græce dicatur εὐχή, oratio vero προσευχή, ut notat Greg. Nyssenus, Or. 1, *in Orationem Dominicam:* latine autem sæpissime accipitur votum pro oratione. Et ratio est, quia ut ibidem docet Nyssenus, vota ordinantur ad orationem: solemus enim, cum impetrare aliquid volumus, prius votis conciliare eum a quo volumus petere, deinde petere id quod volumus.... Sicut ergo orationis nomen non solum dicitur de illa petitione qua a Deo postulamus beneficia, quæque est actus latriæ, sed etiam de illa qua postulamus a Sanctis, ut nostram orationem juvent, quam fundimus ad Deum, ita etiam voti nomen non solum conveniet promissioni quæ fit Deo, quæque est actus latriæ, sed promissioni quæ fit Sanctis et non est actus latriæ. Neque his repugnat, quod in Scripturis nomen voti semper accipiatur pro promissione facta Deo. Nam cum scriberentur Scripturæ Sanctæ, nondum cœperat usus vovendi Sanctis. »

A promissione facta Sanctis distingui debet promissio quæ fit Deo in

555. *Quidquid vero sit de nomine, cum promissione directe facta Sanctis confundi non potest promissio quæ fit Deo in honorem Sanctorum.* Duplici autem sensu intelligi potest promissionem fieri Deo in honorem Sanctorum: primo, ita ut Sanctorum amore quis im-

pellatur ad aliquid Deo promittendum, quia novit hoc Sanctis gratum esse; secundo, ita ut quis Deo promittat aliquid in Sanctorum honorem exequendum, quod frequentius contingit. Hunc autem alterum casum clarissime explicavit Suarez, l. c. n. 13: « Sæpe actio quæ exercetur circa unam personam potest promitti alteri personæ et non illi circa quam versatur: ut v. g. si quis promittat Petro dare filiæ ejus centum in dotem, donatio quidem respicit filiam et circa illam exercenda est, promissio autem non fit filiæ sed soli patri; nam illi soli fides datur et obligatio illum tantum respicit, præsertim si sit solius fidelitatis. Et ratio est, quia hoc pendet ex voluntate: possum enim me obligare huic personæ et non alteri, quamvis actio promissa circa alterum exercenda sit; sicut fieri potest etiam ut actio exercenda sit circa rem irrationalem, ut si promitto Petro alere equum ejus, aut fodere vineam ejus, ubi clare constat promissionem soli Petro fieri. Idem ergo esse potest, etiamsi actio sit exercenda circa personam rationalem, si intentio promittentis ad illam non dirigatur tamquam ad terminum promissionis, sed tamquam ad materiam; atque hic est communis modus vovendi dare eleemosynam pauperibus: nulla enim promissio fit pauperi sed soli Deo fit promissio, etiamsi actio promissa exercenda sit circa pauperes. Hic ergo est modus vovendi aliquid in cultum et honorem Sanctorum. Quia enim in gloriam Dei cedit quidquid fit in honorem Sancti, ideo possumus Deo promittere talem orationem fundere ad Sanctum, vel ædificare sepulchrum ejus, imaginem ei dicare aut quid simile. Oportet autem ibi distinguere duos affectus: unus est colendi seu honorandi, alius est promittendi. Quamvis enim ipsa promissio in præsenti materia sit quidam cultus, non tamen e converso omnis cultus est promissio. Affectus ergo colendi, in prædicto casu, Deo et San-

honorem Sanctorum,

ctis communis est, servata proportione; affectus autem promittendi solum circa Deum est... »

vel quæ fit Deo coram Sanctis;

334. *Rursus cum promissione directe facta Sanctis confundi non potest promissio quæ directe fit Deo coram Sanctis tamquam testibus, ad majorem reverentiam, vel tamquam patronis, quibus cupimus eam cordi esse, ut gratiam ad exsequenda promissa nobis impetrent.* « Sic intelligi potest formula illa multis religionibus usitata: Promitto Deo, B. Virgini, B. Augustino, etc., paupertatem, castitatem, obedientiam. Hoc enim modo est actus religionis; quia principaliter ad Deum dirigitur: quamvis qua parte etiam Sancti honorantur, possit esse actus observantiæ seu duliæ supernaturalis. » Lessius, *De Jure et Just.* lib. 2, c. 40, d. 5, n. 27. Cfr. Suarez, l. c. n. 17.

una autem cum altera conjungi potest.

335. *Tandem cum promissione facta Sanctis conjungi potest promissio superior facta Deo et quæ pro objecto habeat priorem:* una autem confundi nequit cum altera. Ita Suarez, l. c. n. 5: « Sicut possumus Sanctum honorare ipsum laudando, etc., ita etiam promittendo illi aliquid faciendum in ejus honorem: eadem enim est utriusque ratio. Rursus post promissionem factam Sancto, laudabile, imo necessarium ad honestatem est, promissionem implere: ergo per aliam promissionem... Deo factam possumus nos obligare ad illud prius promissum servandum. »

ARTICULUS III.

De iis qui vovere possunt.

Votum emittere potuit

336. Certum est *solam* creaturam rationalem votum emittere posse; patet ex ipsius voti natura. At dubium est utrum *omnis* creatura rationalis capax sit voti emittendi.

Christus Dominus,

337. Et quidem aliqua adest controversia relate ad *Christum Dominum;* verum *nulla causa assignari*

potest propter quam Christus, quatenus homo, votum emittere non valuerit; « votum enim, ut bene arguit Suarez, l. c. lib. 5, c. 1, n. 5, est opus consilii, aptum ad cultum, et ad ostendendam subjectionem ad Deum, et reddens actum ex parte materiæ et motivi meliorem; nec per se includit indecentiam, quia non solum est propter firmandam voluntatem non firmam, sed etiam propter alios titulos honestos. » Difficultas autem quæ versatur circa mentem S. Thomæ 2. 2, q. 88, a. 4, ad 3, soluta legi potest apud Sylvium in h. l. An autem Christus Dominus de facto votum emiserit, non satis constat; cfr. Suarez, l. c. n. 4-6.

338. Major dubitatio est relate ad *Angelos* tum viatores tum comprehensores, nec non relate ad *Sanctos* cum Christo regnantes in cœlis. Multi existimant non absolute repugnare ut Angeli et Sancti votum emittant, sed simul arbitrantur votum ipsorum statui minus convenire: cfr. Suarez, l. c. n. 11; at fatendum est, eorum argumenta non videri valde efficacia. Quoad damnatos, vix notandum est, eos esse voti omnino incapaces.

item probabilius angeli.

339. Quod autem pertinet ad *homines viatores*, certum est *neminem esse voti capacem qui non adeptus fuerit usum rationis.* Etenim qui non habet usum rationis non potest vovere per se, cum non valeat emittere consensum liberum; nec magis potest vovere per alium, cum propter eamdem rationem non valeat illum constituere suum ad hoc procuratorem. Cfr. Suarez, l. c. c. 2, n. 3. Ex quo sequitur, in susceptione baptismi ab infantibus non emitti votum proprie dictum; de qua quæstione legi potest Suarez, l. c. c. 2, n. 7.

Nullus homo viator votum emittere potest nisi usum rationis adeptus sit;

340. *Aliunde omnis homo viator sufficienti ratione utens, quantum est ex parte sua, capax est emittendi votum, si aliunde non sit impeditus.* Hæc assertio est per se manifesta; quia, si homo sufficienti ra-

si autem usum rationis sit adeptus, omnis homo viator ex se capax est emittendi votum.

tione utitur, etiam fruitur sufficienti libertate; sed ad votum hæc duo sufficiunt ex parte voventis, ut jam alibi declaratum est. Dicimus autem a) *sufficienti ratione utens*, ut significetur non quemcumque rationis usum satis esse ad votum, prout supra explicatum est. — Addimus etiam b) *ex parte sua*, primo, quia semper auxilium supponendum est necessarium ex parte Dei; secundo, quia, præter virtutem agendi, oportet ut homo habeat materiam aptam ad votum, talem scilicet quam possit efficaciter subjicere obligationi voti. — Tandem restringimus c) *si aliunde non sit impeditus*, nam, existente capacitate intrinseca voventis et præsentia materiæ, adhuc potest impedimentum intervenire.

Homo ex se habilis ad vovendum inhabilis ad hoc reddi potest per legitimam auctoritatem;

341. *Hujusmodi impedimentum statuitur a superiore, et quidem duplici modo, nempe: aliquando persona redditur inhabilis ad vovendum ejusque voluntas fit inefficax ad obligationem sponte suscipiendam;* et in eo casu votum emitti amplius non potest valide; *aliquando autem persona non redditur inhabilis ad vovendum, nec ejus voluntas fit inefficax, sed tantummodo a vovendo prohibetur;* et in eo casu votum emitti nequit licite, quamvis emitti possit valide. In sequentibus de impedimento inhabilitante præcipue sermo erit.

talis auctoritas competit Ecclesiæ.

342. *Jam vero potestas inhabilitandi personam in ordine ad vota residet penes Ecclesiam.* Hæc assertio, quatenus respicit vota solemnia, certa est et de fide, « quia communi usu et sensu Ecclesiæ recepta est; Pontifices enim et Concilia usa sunt hac potestate, non tamquam dubia et probabili, sed tamquam certa et indubitata; » in quantum vero respicit vota simplicia, eadem assertio « est satis certa, quæ a theologis videtur potius supponi quam disputari. » Suarez, l. c. c. 3, n. 3 et 8.

quæ ea usa est relate

343. *Prædicta potestate Ecclesia usa est relate ad vota solemnia, ut jam affirmavimus, et constat vel ex*

Conc. Trid. Sess. 25, *c.* 15, *non tamen eadem potestate usa videtur relate ad vota simplicia.* Unde generalis regula sequitur, ex jure ecclesiastico nullam personam esse simpliciter inhabilem ad emittendum valide vota simplicia. « Quæ regula potest duobus modis intelligi; primo, quod nemo sit inhabilis ad omnia et singula vota valide emittenda; secundo, quod nullum votum simplex sit irritum ex vi solius juris ecclesiastici. Priori modo sensus est, nullam personam ita esse inhabilem ad vovendum ut nullum votum valide facere possit, et sic est evidens assertio..... Posteriori modo sensus assertionis est, nullam personam esse jure positivo inhabilem ad aliquod particulare votum simplex efficiendum, seu e converso nullum esse votum simplex quod ex vi solius juris positivi sit invalidum, quando fit, si alias ad illud concurrant omnia quæ de jure naturæ requiruntur et sufficiunt; et in hoc sensu etiam censeo esse veram assertionem, licet non æque certam; illam vero colligo ex D. Thoma (2.2, q. 88, a. 8 et 9) quatenus, tractando de personis quæ possunt vovere, nullam excipit præter personas aliis subjectas, et de illis non dicit non posse valide vovere, sed non posse *firmiter.* » Suarez, l. c. c. 4, n. 2 et 3.

ad sola vota solemnia.

344. *Quamvis omnis homo sufficienti ratione utens possit valide et licite emittere quæcumque vota simplicia, tamen personæ, quarum voluntas subjecta est plenæ dominationi alterius, non possunt eadem vota emittere firmiter.* Sunt enim talia vota semper rescindibilia ad nutum illius cujus voluntati perfecte subjecta est voluntas voventis. Hujusmodi autem personæ sunt: a) *filiifamilias impuberes;* etenim « filius jure naturæ est sub potestate patris, ut ante usum rationis voluntate patris regi debeat, ita ut voluntas patris filii voluntas censeatur. Postquam autem incipit filius uti ratione, licet jam possit li-

Vota omni ex parte firma emittere nequeunt illi quorum voluntas subjecta est plenæ dominationi alterius;

bere operari, habet pro aliquo tempore usum rationis nimis imbecillem ac tenuem, et ideo ratio naturalis dictat ut hoc aliquo tempore pendeat a voluntate patris, saltem quoad firmitatem obligationis, ita ut non sit omnino firma donec pater eam approbet. Et maxime in negotio gravissimo, quale est obligationis ad Deum, quæ per votum contrahitur. » Suarez, l. c. lib. 6, c. 6, n. 2-4. — Hujusmodi sunt b) *religiosi professi;* etenim, per voluntariam professionem ac promissionem obedientiæ, ita subditur religiosus suo prælato, ut respectu dominii, bonorum et sui ipsius sit tamquam servus; respectu vero suarum actionum et dispositionis suæ voluntatis, sit tamquam pupillus sub tutore, ita ut « velle et nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei supra caput suum posuit et cujus imperio se subjecit, voluntate dependeat, » ut dicitur in capit. *Si religiosus*, De elect. in 6. Quod etiam optime explicant verba, quæ ex Augustino refert Gratianus in capit. *Non dicatis*, 12, quæstione 1 : « Religiosum non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis renuntiare, et se per promissam obedientiam aliorum potestati et imperio subdere », quæ ab omnibus recipiuntur, licet apud Augustinum non inveniantur. Usus præterea et consuetudo omnium religionum ita interpretata est hanc subordinationem religiosi ad suum prælatum, ut sine ordine ad consensum illius, nullam firmam obligationem facere possit : quod maxime fuit in votis necessarium, tum quia maxime ordinatur subjectio religiosi ad directionem eorum quæ ad salutem spiritualem conferre vel obstare possunt, inter quæ maxime computantur votorum obligatio et observatio; tum etiam quia non possent religiosi convenienter in spiritualibus gubernari, nisi hoc modo voluntas inferioris esset prælato subjecta. » Suarez, l. c. c. 7, n. 5. — Disputatur c) utrum tales etiam sint *uxores* durante

matrimonio: affirmant Soto, Sanchez, Salmanticenses, S Alphonsus, n. 234, innixi Num. XXX, 1 Cor. II, Eph. V, necnon quibusdam verbis S. Augustini et S. Thomæ; at merito cæteri negant, quorum sententia semper fuit in Ecclesia non solum communior, sed communissima; cfr. Suarez, l. c. lib. 6, c. 4, præsertim vero ea quæ scripsimus in opere *Revue des Sciences ecclésiastiques*, tom. 33, p. 472 — Demum d) certo hujusmodi non sunt *servi* relate ad dominos: cfr. Suarez, l. c. c. 3, n. 1; *filii puberes* relate ad parentes, ib. c. 5, n. 2; *subditi* relate ad principes; imo nec *fideles* relate ad Summum Pontificem, ibid. c. 2, n. 3.

nec illi quorum actiones vel res domino alterius subjiciuntur.

345. *Illi, quorum actiones vel res alterius dominio subjiciuntur, non possunt de iisdem actionibus vel rebus firmiter vovere, sed eorum vota, si quæ emittantur, semper tolli vel suspendi possunt ab iis quorum dominio subjiciuntur prædictæ actiones et res.* Ratio est, quia jus naturale docet neminem posse quidquam alteri promittere in præjudicium tertii; adeoque is, cui subjecta est materia voti, potest ex eodem jure naturali ejusmodi præjudicio occurrere, suspendendo obligationem promissionis sibi præjudicantis, quatenus et quamdiu præjudicaverit.

346. Diximus: *de actionibus et rebus;* et quidem quod imprimis ad *actiones* attinet — a) *filiifamilias*, etiam puberes, non possunt firmiter vovere ea quæ præjudicium afferunt patriæ potestati, seu quæ regimen liberum et expeditum familiæ impediunt. — b) *Uxor*, quoad actiones pertinentes ad jus mariti, non potest votum omnino absolutum et independens a marito emittere; poterit tamen emittere validum, subintellecta conditione vel negativa, si maritus non prohibuerit, vel affirmativa, si maritus consenserit. Et idem est de *marito* respectu uxoris, quantum spectat ad usum seu actum conjugalem, in quibus sunt æqualis juris. — c) Quoad *religiosum*, sequen-

tes propositiones statuit et explicat Suarez, l. c. lib. 3, c. 6, n. 3-25; prima: « religiosus potest valide vota personalia emittere in materia necessaria præceptorum, quæ vota nullam conditionem involvunt ex parte materiæ, et ideo statim obligant et semper, quamdiu legitime non tolluntur; » — secunda : « vota religiosi de actibus regulæ, ad firmandam voluntatem et augendam obligationem in eorum observantia, valida sunt et absoluta ex parte materiæ; » — tertia : « vota de bonis melioris ordinis, quæ per regulam nullo modo prohibentur nec præcipiuntur, valida sunt in religioso, et statim obligant, licet includant conditionem negativam *si prælatus non prohibuerit;* » — quarta : « quando juxta regulam prohibitum est ne opus fiat sine licentia superioris, votum de tali actu non est invalidum, licet non obliget ad actum nisi impleta conditione affirmativa, quam illud votum includit, *si superior fuerit contentus*, quæ suspendit obligationem donec impleatur, et ideo tale votum proprie conditionatum est; » — quinta : « votum religiosi de actu simpliciter prohibito per regulam, nullum est nullamque obligationem inducit; » — sexta: « votum religiosi de materia excedente seu superante obligationem regulæ, quale censeri potest votum transeundi ad strictiorem religionem, simpliciter et absolute validum est et obligat independenter a consensu prælati. » — Demum d) idem cum proportione dicendum est de *servis*, qui in operibus suis ordinariis pendent a voluntate domini, et ideo materia talium votorum ordinarie accipienda est cum proportione, ut non præjudicet juri domini. Cfr. Suarez, l. c. n. 26-29.

347. Quod deinde pertinet ad *res:* a) *filiifamilias* non possunt ea vovere quorum administratio est penes parentes; — b) eodem fere modo loquendum est de *uxore;* — necnon c) de *religioso;* ita Suarez: « Re-

ligiosi nihil habent proprium et ex hac parte commune omnibus est ut non possint facere vota realia, nisi fuerit eis administratio concessa, vel votum fiat sub conditione: *si concedatur*. Unde hæc regula cum proportione applicata omnibus religiosis, subditis et prælatis communis est. Tamen, quia prælati jam habent administrationem ex vi muneris, ideo consequenter habere censentur potestatem faciendi aliquam eleemosynam, juxta quam mensuram possunt etiam vota facere valida et statim obligantia, quæ ad summum includerent conditionem negativam : *nisi a superiore impediantur*. Nam illi etiam sunt subditi et sub ea ratione sunt capaces illius conditionis, maxime ratione paupertatis. Et eadem ratione, si prælatus vellet excedere facultatem ordinariam eleemosynis faciendis, non posset nisi sub conditione affirmativa: *si superior consenserit*. Nam tunc se gerit ut subditus, et in omnibus subditis religiosis est illa conditio necessaria, quia nec dominium, nec administrationem, nec liberum usum rerum habent, sed dependentem a voluntate superioris. Quapropter etiam de eis rebus quæ ad proprium usum illis conceduntur, et quas in eo consumere possunt, vota realia facere non possunt, nisi supposita dicta licentia, vel sub ejus conditione; quia non quilibet usus, sed talis et determinatus eis conceditur. Illa autem facultas concedi potest vel in particulari vel in generali, juxta varios usus religionum. » L. c. lib. 3, c. 7, n. 3.

ARTICULUS IV.

De rebus quæ voveri possunt.

Materia voti est actio vel omissio voventis;

348. Materia voti necessario est aliqua *actio* vel *omissio* voventis, nempe vel *mera operatio*, ut oratio, peregrinatio, etc., vel *operatio simul cum effectu*

stabili per ipsam producto, ut susceptio status religiosi, vel *operatio quæ circa rem extrinsecam versatur*, ut eleemosyna, in quo casu pecunia dicitur materia voti remota, pecuniæ vero elargitio materia proxima. Jam vero si promittatur vel mera operatio vel operatio et status voventis, votum est *personale;* si vero promittatur operatio quæ versatur circa rem pretio æstimabilem, votum dicitur *reale.* Melius fortasse dici posset, votum *personale* emitti quando primario et principaliter intenditur operatio vel status voventis, *reale* vero quando primario et principaliter intenditur effectus pretio æstimabilis per operationem obtinendus: juxta quam explicationem reale esset non solum votum dandi eleemosynam, sed etiam votum manibus laborandi ad ecclesiam ædificandam, etc. Fatendum tamen est auctores solitos esse aliter loqui. (1)

ratione materiæ distinguitur votum in personale et reale :

(1) Ita Suarez, l. c. lib. 2, c. 12, n. 1: « Votum reale dicitur, quo promittitur pecunia vel aliquid pecunia æstimabile, quod actio hominis voventis non sit. Personale est, quod solum est de aliqua actione personali ipsius voventis, sub actione comprehendendo omissionem seu privationem, ut sunt vota orandi, jejunandi, etc. Circa quæ membra observare licet, aliquando votum personale esse de re pretio æstimabili, ut si quis voveat laborare suis manibus in una ecclesia, vel in ædificatione templi, votum illud personale censetur, et tamen actio illa quæ promittitur, æstimabilis est justo pretio vel stipendio, quo etiam redimi posset ex consensu ecclesiæ vel prælati; magis tamen denominatur ab eo quod formaliter est, quam ab eo cui virtute æquivalet, et ideo in priori membro dixi votum reale esse de re pretio æstimabili, quæ non sit ejusdem voventis personalis actio. Unde si in aliquo privilegio daretur facultas commutandi vota personalia, et non realia, illud votum (ut existimo) sub tali privilegio comprehenderetur, quia simpliciter personale est. Solet autem huic divisioni addi tertium membrum, scilicet votum *mixtum*, diciturque illud esse quod præter actionem hominis etiam reales sumptus includit. Quod membrum, majoris claritatis gratia et maxime ad commutationem votorum utile est; in rigore tamen non est necessarium. Nam mixtio illa dupliciter contingit: primo ex voluntate tantum voventis conjungentis in sua promissione actionem et donationem, quæ alias

349. Sive autem reale sit votum sive personale, triplex ad ejus materiam conditio requiritur, nempe: prima, ut sit opus positum in voventis potestate; altera, ut sit opus moraliter bonum; tertia, ut sit opus melius quam est ejus oppositum.

Voti conditiones ex parte materiæ.

§ I.

De materiæ possibilitate.

350. Materia voti nequit esse opus naturaliter vel moraliter impossibile, quia ad impossibile nulla dari potest obligatio: cfr. Suarez, l. c. lib. 2, c. 1, n. 4. — Ex quo principio deducitur: a) votum *nullum unquam peccatum* committendi, ne veniale quidem semideliberatum, irritum est, saltem si intelligatur in tota sua extensione. Cfr. Jungmann, *De Gratia*, n. 150. — Attamen b) validum est votum

Votum fieri nequit nisi de materia possibili:

principii applicationes;

per se conjunctæ non sunt, ut cum quis vovet visitare ecclesiam vel pauperem, et talem eleemosynam illi præbere. Et tunc votum, licet unum videatur, tamen in re est duplex, unum personale et aliud reale, quæ per se separari potuissent cum facta fuere, et possent etiam per dispensationem vel commutationem vel per impotentiam faciendi unum tolli, manente obligatione ad aliud. Alio vero modo est votum mixtum intrinsece ex natura actionis, quæ sine realibus sumptibus ex natura rei vel moraliter fieri non potest, ut est peregrinatio, et hoc votum est per se unum, et mihi videtur formaliter personale, licet virtute sit reale. Quia quod formaliter promittitur, solum est actio personalis, quæ si fieri posset sine sumptibus, quantum est ex vi voti, licite etiam ita fieri posset, quia sumptus non cadunt directe sub promissionem, sed actio promissa illos secum affert. Et hinc est ut in voto hoc non possit auferri onus reale, relicto personali, quia est illi annexum, et solum sub ea ratione eadit sub votum; illa vero annexio seu connexio est ita intrinseca, ut tolli non possit naturaliter vel moraliter. Et ob eamdem rationem e converso, ablato personali onere, cadit seu tollitur reale, quia sequitur personale tamquam accessorium, et consequenter occurrente excusatione ab obligatione peregrinandi, cessat omnis obligatio realis, quia nulla res per se promissa erat. »

vitandi *omnia peccata mortalia*, ut doctores communiter admittunt: ratio autem est, quia tale votum exsequi homini impossibile non est, quamvis multis valde difficile sit, et consequenter iis non expediat illud edere; cfr. Suarez, l. c. c. 3, n. 3. — Item c) juxta sententiam multo communiorem contra Salmanticenses, tr. 17, c. 1, p. 2, n. 80, validum est votum vitandi *omnia peccata venialia plene deliberata*, licet illud votum minus consulendum sit quam præcedens; cfr. Suarez, l. c. n. 4. — Utrum d) autem validum sit necne votum vitandi *omnia venialia etiam semideliberata pro aliquo tempore*, vel *in aliqua specie*, puta mendacii etc., non omnino constat; res determinanda videtur attenta difficultate speciali rei quæ vovetur et speciali fragilitate personæ voventis; cfr. S. Alphonsus, l. 3, n. 203.

quo sensu voveri possit factum alienum;

351. Quia materia voti debet esse opus in potestate voventis positum, sequitur *factum alienum voveri non posse*, v. g. alium jejunaturum, Missam auditurum, religionem professurum. Quare ne omnino irrita sit hujusmodi promissio, ita explicari debet quod animus voventis fuerit obligare se ad curandum sive efficiendum, quantum in ipso est, ut alter faciat; sic enim non alienum, sed potius proprium factum promittitur, ut explicat Sanchez, *De matr.* lib. 1, disp. 24, et *De præc. Dec.* lib. 4, c. 5, n. 9.

votum de re partim possibili partim impossibili aliquando validum est, aliquando invalidum.

352. Si votum sit de materia *partim possibili partim impossibili*, videndum est an partes promissæ sint *divisim* et sine dependentia a se invicem, an vero promissæ sint *collective* et per modum unius: si promissæ sint divisim, ita ut singula sit per se materia voti virtute quasi multiplicis, applicanda est regula juris 37 in 6: « Utile per inutile non vitiatur », quando scilicet utile ab inutili separari valet. Si promissæ sint collective, ruente una parte, ruunt cæteræ, cum intentio voventis non sit

unam servare absque altera. Cfr. Sanchez, *De præc. Dec.*, lib. 4, c. 10, Suarez, l. c., lib. 2, c. 2, n. 4-10, Laymann, lib. 4, tr. 4, c. 2, n. 5, Castropalao, disp. 1, p. 8, § 1, n. 6-10; exempla tamen ab istis theologis proposita potius respiciunt casum quo materia voti valide jam emissi postmodum impossibilis evadit, quam casum quo votum fit de materia ex se et antecedenter impossibili; ideo ab iis referendis abstinemus.

353. Promissio votiva rei impossibilis serio non fit nisi ex ignorantia; quod si hæc ignorantia sit involuntaria, nullum in tali promissione reperietur peccatum, secus si ignorantia sit voluntaria; cfr. Suarez, l. c. lib. 5, c. 2, n. 2-3.

Promissio votiva rei impossibilis mala est.

§ II.

De materiæ bonitate.

354. Materia voti debet esse opus *moraliter bonum;* secus enim promissio Deo grata non esset nec ab illo acceptari posset. Cfr. Suarez, l. c., lib. 2, c. 4, n. 1. Quapropter votum fieri nequit de opere malo vel de opere indifferenti ut tali, de quo tamen in specie quædam sunt adnotanda.

Materia voti debet esse moraliter bona.

I. De promissione operis mali.

355. *Invalidum est votum non solum si fiat de opere intrinsece malo, sed etiam si fiat de opere quod ideo malum est quia prohibetur vel quia incompossibile est cum observatione alicujus præcepti.* Cfr. Laymann, l. c. n. 6, Suarez, l. c. c. 4, n. 1.

Invalidum est votum de re ex objecto mala,

356. *Consequenter invalidum etiam per se est votum posterius priori voto repugnans,* quia tale votum versatur circa materiam pravam et indebitam. Cfr. Suarez, l. c. n. 10, Laymann, l. c. n. 4. Dicitur *per se:*

adeoque etiam votum priori voto repugnans;

nam votum posterius aliquando validum esse potest, puta cum est multo dignius, Deoque gratius.

non tamen votum emissum ab eo cui vovere prohibitum est.

357. *Cum voto de re prohibita confundi non potest votum de re licita emissum ab eo cui vovere prohibitum est;* tale enim votum validum est licet peccaminosum. Hinc etiam ille qui vovit se nunquam facturum votum absque consilio et approbatione confessarii tenetur voto quod postea edit contra consilium confessarii, si sit de re licita, esto peccet contra primum votum de non vovendo nisi id approbet confessarius. Ita Laymann, l. c. n. 5: « Aliquis expertus se valde pronum ad vota temere edenda, quorum eum postea pœniteat, vovit se in posterum nullum votum editurum, nisi cum confessarii consilio, quod tamen postea non servavit, sed eo inconsulto vovit abstinentiam a vino aut religionis ingressum. Quid de hoc censendum? Respondeo et dico I: validum fuisse votum quod hic homo ad temere vovendum valde pronus, per reflexionem quamdam edidit, nunquam se in posterum votum editurum sine confessarii consilio, quia habuit objectum bonum... Dico II: talis homo postea vovendo sine consilio confessarii peccat contra religionis virtutem, quia prævaricatur votum suum, quod ante licite et valdide conceperat. Dico III: nihilominus posterius votum, quamvis temere et non sine prævaricatione et sacrilegio quodam conceptum, v. g. de abstinentia vini, validum et obligatorium est, quia ad valorem voti non requiritur ut prudenter et sine peccato fiat, sed sufficit si habeat objectum bonum et fiat cum deliberatione. Excipe: nisi aliquis expressa voluntate secum decrevisset, se nolle in posterum sua vota valida esse nisi cum tali circumstantia, videlicet confessarii consilio, concepta fuerint; tunc posterius, sine tali circumstantia editum non valebit, nisi prior illa voluntas retractetur vel expresse vel virtute. Virtualiter autem retractata censebitur, si quis memor propositi prioris, nihilo-

minus posterius votum edat; tunc enim valebit posterius, nihil obstante priore; quare licet consultum sit ejusmodi personis ad temere vovendum pronis, ut secum decernant, nolle se in posterum sua vota valere, nisi confessarii consilio edita sint, nihilominus valebunt, si postea memores prioris propositi ac voluntatis voveant, non adhibito consilio; etenim hoc ipso priorem illam voluntatem retractant, quando contrarium deliberate agunt. »

Invalidum est votum de re mala ex circumstantiis et fine;

358. *Invalidum est votum non solum si opus promissum sit malum ex objecto, sed etiam si tale opus sit malum ex circumstantiis et fine.* Sic si aliquis vovit se eleemosynam daturum ad vanam gloriam captandam ita ut eleemosynæ largitio facienda sit vanæ gloriæ causa, nulla oritur obligatio voti, quia malum est eleemosynam dare ex sola jactantia. Item, si ad consequendam vel impetrandam a Deo rem illicitam, vel in gratiarum actionem pro re illicita acquisita, eleemosynam te daturum vovisti, irritum omnino est votum; quia dare eleemosynam tamquam medium ad impetrandam a Deo rem illicitam, v. g. homicidium vel injustam victoriam, non est bona operatio, sed mala et blasphema; quippe per quam homo, quatenus in ipso est, Deum auctorem peccati facit; similiter dare eleemosynam tamquam in gratiarum actionem, quod res illicita per Dei auxilium acquisita fuerit, non est bona, sed blasphema operatio; ergo neutra valide aut licite voveri potest. Simile quidpiam est si meretrix voveat Deo partem aliquam quæstus meretricii, vel usurarius partem aliquam lucri iniqui se pauperibus daturum, ea intentione concepto voto, quod vel Deum ita movere possint ad majorem horum proventum tribuendum, vel in gratiarum actionem pro tali proventu. Cfr. Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 6, et Toletus in 2. 2. q. 88, a. 2.

non tamen vo-

359. *Cum opere promisso, quod malum est ex suo*

tum emissum propter finem malum.

fine, confundi non potest ipsa actio promittendi quæ sit mala ex pravo fine voventis; hujusmodi enim pravus finis solius voventis non obstat validitati voti; nam in hoc casu vovens intendit quidem obtinere malum finem per ipsum vovendi actum, sed non per opus aut rem promissam. Ita, v. g. si quis coram multis voveat magnam eleemosynam, peregrinationem, ædificationem templi, etc., ut id audientes præclaram de ipsius virtute existimationem vel admirationem concipiant, valide vovet.

Promissio votiva operis mali graviter peccaminosa est.

360. Porro promissio votiva operis ex se vel ex fine aut circumstantiis mali, non tantum invalida est, sed etiam peccaminosa contra virtutem religionis; habetur autem in tali promissione peccatum mortale si hæc versetur circa opus graviter malum, imo etiam, juxta sententiam probabiliorum, si versetur circa opus tantum leviter malum. Cfr. Suarez, l. c. lib. 5, c. 2, n. 4-12.

II. De promissione operis indifferentis.

Invalidum est votum

361. Actus ex se indifferens dupliciter considerari potest: uno modo secundum se et sine additione alicujus finis honesti; altero modo, ut est affectus tali fine.

de opere ex objecto indifferenti, nisi istud opus

362. *Jam vero actus ex objecto indifferens, si in individuo non exerceatur propter aliquem finem honestum, non est materia apta voti:* nam talis actus vel est malus, juxta communiorem S. Thomæ doctrinam, vel si malus dici nequeat, est tamen vanus et omnino inutilis relate ad Deum. Cfr. Suarez, l. c. c. 4, n. 5 et 8.

referatur in finem honestum

363. *Actus autem ex objecto indifferens, si in individuo exercitus sit propter finem honestum, est materia voto prorsus apta,* siquidem talis actus bonus est et Deo acceptus.

sibi proportionatum.

364. *Hic autem sedulo advertendum est, actum ex*

objecto indifferentem non fieri bonum ex quacumque relatione ad finem honestum, sed tantum ex relatione ad finem honestum cum quo proportionem habet, sive immediatam sive saltem mediatam: ubi enim talis proportio deest, relatio imprudens est et potius consistit in verbis aut in falsa apprehensione quam in re ipsa. Exemplo rem optime declarat Suarez, l. c. c. 4, n. 7: « Si quis dicat se ire in agrum propter Dei honorem vel amorem, profecto si nihil aliud adjungatur, et immediate fiat talis relatio, vana est, et nullius momenti, quia ire in agrum per se nihil confert ad Dei honorem vel amorem, sed interponere oportet alia media, quibus mediantibus possit ille actus conferri ad talem finem, ut si studium conferat ad honorem Dei, et vires corporis sint necessariæ ad studium, et ad has vires comparandas vel conservandas conveniens judicetur ire in agrum; tunc optime refertur actus ille ad bonum honestum, et ideo ejus bonitatem participat. »

365. Ex quibus sequitur, ad hoc ut votum de re indifferenti in finem bonum relata sit validum, non sufficere si pro libitu voventis actus indifferens ordinetur in finem honestum, ad quem minime conducit, sed debere in ejusmodi actu esse proportionem aliquam et convenientiam cum tali fine. Cfr. Babenstüber, tr. 5, d. 3, a. 3, § 4, n. 36-38. ubi plura proferuntur exempla votorum, quæ invalida sunt quia versantur circa materias ineptas.

Validum esse potest votum emissum ad obtinendum a Deo beneficium temporale.

366. Dubitari potest utrum valeat votum *rei bonæ* emissum *propter finem temporalem*. Facile respondetur non valere, quando finis rei promissæ indifferens sit et principalis seu totalis: v. g. si quis voveat se jejunaturum unice ut sumptibus parcat, nullum alium finem intendens: cum enim in moralibus species rei sumatur a fine, ideo si finis rei promissæ sit indifferens, totus actus indifferens erit, ac proinde inepta materia voti. At quando aliquis opus bonum,

v. g. jejunium, vovet tamquam medium quo vel beneficium temporale, puta officium honorificum, a Deo obtineat, vel pro hujusmodi beneficio accepto gratias Deo rependat, validum omnino est votum : hæc enim a Deo tamquam ab eorum auctore petere, vel pro his impetratis gratias Deo agere, bonum est et honestum.

Votum de re partim bona, partim mala aut indifferenti.

367. Si materia voti sit partim ex objecto honesta partim ex objecto turpis aut indifferens, votum erit validum vel invalidum prout hæc materia apprehenditur per modum unius et copulative vel per modum plurium et divisive, juxta ea quæ superius diximus de possibilitate. Et eadem distinctio adhibenda est quando duplex intenditur voti finis, alter aptus et alter ineptus. Cfr. Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 10. n. 15.

Promissio votiva operis indifferentis mala est.

368. Promissio votiva operis indifferentis peccaminosa est, non tamen generatim nisi leviter, ut communiter theologi docent cum Suarez, l. c. lib. 3, c. 2, n. 14.

§ III.

De materiæ melioritate.

Invalidum est votum

369. Unanimiter docent theologi votum debere esse de *bono meliori;* cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 88, a. 2, in 4, dist. 38, q. 1, a. 1, Suarez, l. c. c. 7, n. 2, etc.

quod non est de bono meliori :

370. Jam vero nomine *boni melioris* non intelligitur tantum opus supererogationis et consilii, ad exclusionem operis præcepti, nec opus quomodocumque aliis præstantius, sed intelligitur *opus perfectius suo contradictorio, ita ut, attento præsenti statu voventis, melius sit illud facere quam omittere.* Res clare proponitur et probatur a Lessio, lib. 2, c. 40, dub. 7, n. 42 : « Requiritur ut id quod vovetur, sit melius quam ejus oppositum. Ratio est, quia nemo promittit

alteri aliquid, cui gratius esse novit illud non fieri; et si tale quid promitti aliquando contigerit, non est servandum; nam et ipse promissarius cupit non servari; cujus ratio est clara, quia omnis promissio fit ut alteri gratificemur, ac proinde debet esse de eo, quod illi est gratius. »

371. Hinc sequitur omissionem operis supererogationis seu consilii ex suo genere non esse materiam aptam voti; cfr. Suarez, l. c. c. 11, n. 2. In specie autem a) invalidum est votum non vovendi, quia vovere est opus consilii, ut manifestum est. — b) Quod autem pertinet ad votum non petendi dispensationem voti, notat Suarez, l. c. n. 6, « hanc negationem : *non petere dispensationem* non esse intrinsece bonam aut malam, sed ex causa et circumstantiis variari posse. Nam petere dispensationem sine causa justa, malum est; interveniente autem causa justa, non est malum: potest autem interdum esse minus bonum, et aliquando majus, et nonnunquam moraliter necessarium. Illa ergo negatio non est materia omnino incapax obligationis voti, ac proinde obligabit votum illud ad non petendam dispensationem voti, nisi ubi dispensatio judicata fuerit melior, seu magis conveniens ad bonum animæ. » — Præterea c) invalidum etiam est votum non suscipiendi statum clericalem, quia iste status est res sacra, et susceptio illius est actio divini cultus, et de se non impedit majus bonum. » — Tandem d) de episcopatu, sic rursus doctor eximius, juxta Angelici sententiam: « Si tale votum fieret de non suscipiendo episcopatu vel prælatura, etiamsi Pontifex, vel alius qui possit præceptum imponere, id præcipiat, hoc sensu votum est invalidum, quia est contra bonos mores. Si autem votum fiat solum de non procuranda prælatura, vel etiam de non acceptanda, donec is qui potest præcipiat, sic votum est discretum, sanctum et va-

hinc deducitur quid sit sentiendum de voto non vovendi,

non petendi dispensationem a voto,

non suscipiendi statum clericalem,

vel episcopatum ;

lidum, quia de se est valde utile ad spiritualem profectum; occludit enim viam ambitioni et refrænat affectum honoris et dignitatis, et aliunde non impedit majus aliquod bonum vel privatum seu personale vel commune. » Ita Suarez, l. c. n. 7-8.

item exercendi actus honestos ordinis inferioris,

372. Sequitur etiam quid sit dicendum de *actibus honestis ordinis inferioris*. De his optime Suarez, lib. 2, c. 8, n. 5, et seq.: « Distinguendi videntur duo modi quibus votum fieri potest de aliquo hujusmodi actu honesto, ut honestus est; unus est, si tantum fiat promissio quasi de specificatione actus, ut si quis v. g. non absolute voveat ludere, sed quasi sub conditione si luserit honeste ludere et secundum rectam rationem; alius modus est, quando exercitium actus vovetur propter aliquem finem, vel sub motivo aliquo rationi consentaneo. De priori modo dubitari non potest quin votum sit validum, et consequenter illa sit conveniens materia voti .... Circa posteriorem autem modum vovendi hos actus quoad exercitium, tria dicenda videntur. Primum est, regulariter talia vota non obligare...; nam hi actus boni inferioris ordinis, seu qui versantur circa corporis commoditates, ut plurimum tales sunt ut melius sit homini privare se illis, seu abstinere ab illis quam illos exercere... Secundo nihilominus addo, in aliquo casu tales posse circumstantias concurrere ut talis actus bonus sit in materia voti obligantis ad exercitium talis actus, saltem absolute et quasi formaliter spectati, seu comparati ad totalem omissionem ejus, seu abstinentiam ab illo... Unde concludo et dico tertio, nullum esse actum virtutis moralis qui secundum speciem suam non possit aliquando esse materia voti, quamvis in aliquibus id rarissime contingat. »

matrimonium contrahendi,

373. Sequitur præterea, *matrimonium*, ordinarie saltem, non esse materiam voti: ita omnes doctores apud Laymann, lib. 4, c. 2, n. 12. Ratio est, quia non

est de meliori bono, sed per se exclusivum majoris boni, nempe cælibatus et continentiæ. Diximus *ordinarie saltem*, quia in specialibus quibusdam adjunctis potest matrimonium esse materia apta voti. Primo nempe, dum quis ex justitia tenetur quampiam ducere, ut si virginem vel honestam viduam data fide nuptiarum cognovit; secundo, si matrimonium existimetur reipublicæ maxime utile futurum ad pacem inter christianos principes sanciendam, ad hæreticos aut infideles convertendos, ad catholicam religionem in aliquo regno aut provincia conservandam; tertio, si quis ex suppositione quod duceret uxorem, voveret se aliam non ducturum quam pauperem Semproniam ad sublevandam ejus inopiam, vel non aliam quam hanc meretricem, ut eam liberet ex periculis salutis æternæ; quarto, si cui, ob corporis fragilitatem inveteratamque peccandi consuetudinem, consultum sit amplecti statum matrimonii; hoc tamen votum Lessius et alii merito dicunt non esse validum absolute, sed solum ex suppositione, nempe supposito, quod vovens nolit alia remedia incontinentiæ adhibere; unde, si, mutata hac voluntate, velit amplecti statum religionis, usitatisque ibi remediis continentiæ consulere, cessabit voti illius obligatio, cum jam melius sit ipsi non ducere uxorem quam ducere. Cfr. Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 8, n. 51. S. Alphonsus, lib. 3, n. 209, ubi tamen minus accurate citantur Lessius et Castropalao.

amplectendi ordinem religiosum minus rigidum.

374. Sequitur tandem votum amplectendæ religionis etiam laxioris a viro sæculari emissum, validum esse; at validum non esse votum transeundi ad talem religionem emissum ab eo qui est in strictiori professus: siquidem religio illa laxior bonum melius est relate ad primum, attento nempe præsenti ejus statu, non autem relate ad secundum.

Promissio votiva de bono non meliori culpabilis est.

375. Promissio votiva quæ non est de bono meliori, sicut invalida est, ita etiam est culpabilio, sal-

tem venialiter. Cfr. Suarez, l. c. lib. 5, c. 2, n. 15, 16.

CAPUT II.

De vi et effectu voti.

Duplex voti effectus, intrinsecus et extrinsecus.

376. Votum, quatenus est promissio Deo facta, voventem *obligat* ad rem promissam præstandam : hæc autem obligationis productio est effectus voti *intrinsecus,* formalis, proximus et universalis. Præterea votum aliquando, ratione scilicet *materiæ* circa quam versatur, *hominem constituit in statu perfectionis,* imo interdum reddit eum prorsus inhabilem ad quosdam actus in eadem materia valide ponendos; et iste effectus voti est quasi *extrinsecus,* remotus ac mediatus, particularis. De utroque illo effectu quædam in specie nunc adnotabimus, plura quidem et ex professo de priori, pauciora et fere obiter de posteriori. Porro addendum est, votum, quatenus est actus religionis, non solum vim habere ad Deum laudandum, ac meritorium esse, sed etiam, juxta principia generalia alibi explicata, valere ad satisfaciendum et impetrandum; cfr. supra, n. 202. Hic autem vix mentio facienda est propositionis Mich. De Molinos, quæ est tertia inter damnatas ab Innocentio XI : « Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva. »

ARTICULUS I.

De voti effectu intrinseco.

377. Effectus voti intrinsecus est vis obligatoria, quam sub duplici respectu debemus considerare, scilicet *in se ipsa,* ut videamus *qualis* et *quanta* sit, et deinde *in suo objecto,* ut determinemus *quosnam* afficiat.

§ I.

De vi obligatoria voti.

Fide certum est voto obligationem induci,

378. *Fide certum est voto induci obligationem in conscientia ad præstandum id quod Deo promissum est.* Constat imprimis ex textibus Scripturæ supra citatis, n. 305, nominatim Num. XXX, 3, Deut. XXIII, 21, Eccli. V, 3, etc. — Constat etiam ex sensu traditionali Ecclesiæ in scriptis SS. Patrum sæpius expresso et in conciliis sancito; cfr. *Decretum* Gratiani, XX, q. 3, XXVII, q. 1, XXXIII, q. 5, etc. Ita v. g. S. Leo M. *Epist.* 167, ad Rusticum Narbonensem, inquis. 14: « Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet et reddere. Unde qui relicta singularitatis professione, ad militiam vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est; quia, etsi innocens militia, et honestum potest esse conjugium, electionem meliorem deseruisse transgressio est. » — Ratio autem facile a theologis assignatur: si enim hominibus fides servanda est, multo magis Deo, quia Dominus est et benefactor noster. Cfr. S. Thomas, 2.2, q. 88, a. 5, et Suarez, l. c. lib. 4, c. 1, n. 2 et 3.

si sit omni ex parte validum;

379. *Non inducitur tamen hujusmodi obligatio nisi per votum omni ex parte validum;* quod enim non existit operari nequit. In specie autem obligatio voti non contrahitur per votum *fictum*, quando nempe aliquis verba promissoria externa profert quin habeat intentionem se obligandi erga Deum. Nec obstat quod, juxta plures auctores, promissio homini facta obliget, etiamsi mere externa fuerit et sine animo obligationis suscipiendæ; ratio differentiæ est, ut bene explicat J. De Lugo, *De Justitia et Jure*, disp. 23, s. 1, n. 15: « Quia votum ordinatur ad

Deum cui æque clare patet intentio nostra ac ipsæ voces externæ; quare ex eo quod voces proferantur absque intentione promittendi, nullum sequitur inconveniens ad commercium nostrum cum Deo; nam eo ipso quod ego interius non consentio, manifesto ipsi Deo me nolle per verba externa promittere, et ita non exigo a Deo quod fidat meæ promissioni. Idem autem esset etiam inter homines, si ego alicui exterius promittens antea præmonuissem ipsum quod per illa verba non intendo me illi ex fidelitate obligare, quamvis propter circumstantes ostendam et dicam expresse me promittere, et obligare me: hoc enim casu certum est quod per verba sequentia non obligarer illi ex fidelitate: quod cum semper Deo manifestetur, quoties intentionem vovendi non habemus, non mirum quod votum illud fictum non obliget ex religione aut fidelitate erga Deum. »

hæc obligatio est fidelitatis et alicujus justitiæ ad Deum,

380. *Votum, utpote promissio, inducit directe et immediate obligationem fidelitatis et alicujus justitiæ ad Deum*: quoad obligationem vero *cultus et religionis proprie dictæ*, certum est eam existere quando Deo promissum est aliquid peragendum in ipsius honorem et in recognitionem ejus majestatis; an autem existat in omnibus prorsus casibus, non undequaque liquet; plerique affirmant, sive quia nihil Deo promitti potest nisi sub ea ratione sub qua ipsi honorificum est, sive quia adimpletio promissionis ad eam virtutem pertinet ad quam pertinet ipsa promissio; cfr. Suarez, l. c. lib. 4, c. 1, n. 9. Nobis tamen videtur utramque illam rationem non paucis difficultatibus obnoxiam esse. Cæterum ipsa fidelitas erga Deum saltem indirecte ad religionem pertinet, utpote quæ cultum aliquem importat.

et gravis est ex genere suo.

381. *Obligatio voti gravis est ex suo genere non tamen ex toto genere suo.* Sequentibus propositionibus assertio explicatur: a) obligatio voti de facto gravis

est, quando Deo promissa est res gravis et adfuit in promittente intentio se graviter obligandi: ita omnes. — b) Quando autem materia est gravis, et adest in promittente intentio non se obligandi nisi leviter, alii censent obligationem esse levem, alii vero existimant vel obligationem existere et esse gravem (si nempe voluntas promittendi efficacior sit voluntate non se obligandi nisi leviter), vel obligationem esse nullam (si nempe voluntas non suscipiendæ obligationis gravis efficacior sit voluntate promittendi): hæc altera sententia nobis videtur magis fundata; cfr. Suarez, l. c. lib. 4, c. 4, n. 2-15. — c) Obligatio tantum levis habetur quando res promissa est levis et non adfuit in vovente intentio se graviter obligandi; cfr. Suarez, l. c. lib. 5, c. 4, n. 5. — d) Imo adhuc levis manere videtur quando res promissa est levis, sed adfuit in promittente intentio se graviter obligandi; cfr. Suarez, l. c. lib. 4, c. 4, n. 15-20. Porro hic adnotandum est, materiam *in se* et communiter levem posse aliquando gravem esse *ratione circumstantiarum;* cfr. Suarez, l. c. lib. 5, c. 4, n. 10, et S. Alphonsus, lib. 3, n. 211; præterea materiam gravem remanere, etiamsi ita promittatur ut sit exsequenda per diversas vices et per partes, quarum unaquæque in se levis sit; cfr. Suarez, l. c. lib. 5, c. 5, n. 11.

382. Supersunt jam explicandæ difficultates quædam speciales circa obligationem voti conditionalis, et obligationem voti pœnalis, de quibus paulo distinctius dicemus.

I. De obligatione voti pure conditionalis.

Votum conditionatum statim voventem obligat ad sincere exspectandam conditionis adimpletionem;

383. *Licet votum conditionatum non pariat statim obligationem perfectam, parit tamen imperfectam et suspensam, quæ, eveniente conditione, perficitur et absolvitur.*

584. Namque *a*) *emisso voto conditionato, servandum est propositum illud exsequendi si conditio verificetur*, et consequenter eventus conditionis sincere exspectandus est. — b) *Hinc, qui votum conditionatum fecit, non potest, generatim loquendo, se interim inhabilem reddere ad illud exsequendum:* sic qui vovit se religionem ingressurum si pater ex itinere longinquo salvus redierit, matrimonium contrahere nequit, quousque saltem spes rationabilis existat de reditu patris. Cfr. Laymann, lib. 4, tr. 4, c. 6, n. 1. — c) *Pariter non licet ei per vim aut dolum impedire ne conditio impleatur;* usus enim fraudis directe opponitur illi fidelitati quam votum implicat. Porro vis et dolus intervenire nequeunt quando conditio est *res indifferens* et *ejus adimpletio a sola voluntate voventis pendet*, ut: Dabo eleemosynam si Parisios tetendero; potest enim ita vovens non tendere Parisios precise ne eleemosynam erogare debeat; at aliter forte loquendum est quando conditio est *res in ordine morali necessaria, et ejus adimpletio per votum a Deo quasi postulatur*, ut: Dabo eleemosynam si vitavero tale peccatum; non potest enim ita vovens ideo peccatum committere ne eleemosynam teneatur elargiri. Deinde vis et dolus vix intervenire possunt quando conditionis adimpletio pendet *a causis naturalibus;* locum tamen haberent si vovens ad eventum impediendum uteretur mediis extraordinariis et præsertim illicitis. Præcipue igitur contingunt vis et dolus quando conditionis adimpletio pendet *a voluntate tertii;* de hoc autem casu duplicem assertionem ponit Suarez, l. c. lib. 4, c. 17, n. 16-18: « Quando votum fit sub conditione dependente a libero consensu et arbitrio alterius, sine alio respectu, tunc contra votum erit per vim et fraudem impedire liberum consensum vel dissensum ejus, non tamen erit contra votum inducere illum ne consentiat, morali modo et non injusto procurando ne conditio impleatur... Hinc constat idem cum propor-

tione dicendum esse, ubi conditio constituitur per modum prudentis consilii, si Petrus, v. g. hoc judicaverit. »

385. Porro, a) *si conditio non impleatur, licet hoc proveniat ex negligentia aut culpa voventis, nulla obligatio voti exsurgit, dummodo saltem conditionis adimpletio impedita non fuerit per vim aut fraudem;* ita communiter theologi; cfr. Suarez, l. c. lib. 4, c. 17, n. 21. — b) *Imo non pauci censent nullam exsurgere obligationem voti etiamsi conditionis adimpletio impedita fuerit per vim aut dolum;* ita nominatim Suarez, l. c. n. 20; verum nobis magis placet sententia opposita, quam præ cæteris defendit Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 25, n. 47. Laymann, qui doctrinæ Suarezii adhæret, ita tamen concludit, l. c. c. 6, n. 4: « Illud vero monuerim, spectandam imprimis intentionem voventis, quæ interdum est omnino se obligare ad religionis v. g. ingressum, nisi pater contradixerit; ut proinde nihil aliud impedire eum debeat præter patris contradictionem et dissensum. Hoc casu, si vovens fraude circumveniat patrem ut contradicat, qui alioquin non contradiceret, voto nihilominus obligabitur, eo quod conditio, considerata voventis intentione, satis impleta censeatur, quando pater non ex seipso voluntarie, sed fraude ejus circumventus contradicit. »

386. *Quidquid autem de hoc sit, conditione semel impleta, votum fit absolutum et vovens eo tenetur.* — Attamen *dubitatur utrum ad obligationem voti conditio impleri debeat in propria forma, an vero satis sit si impleatur in æquivalenti.* Eam in propria forma adimplendam esse S. Alphonsus, post Salmanticenses, docet, lib. 3, n. 219. E contra censuit Sanchez sufficere si adimpleatur in æquivalenti, quæ sententia sic apud ipsum exponitur et vindicatur, l. c. n. 26: « Cæterum dicendum est, quoties conditione æquipollenter adimpleta, idem prorsus effectus a vovente intentus sub-

hac autem conditione sufficienter adimpleta, obligat ad præstandam rem voto promissam.

sequitur, satis esse eam æquipollenter impleri, ut votum obliget; secus quando non sequitur idem effectus. Ut si quis voveat religionem, si soror vel quando soror matrimonio collocata fuerit, ne eam præsidio destitutam deserat cum corporis et animæ periculo, censebitur ea conditio impleta, si soror obierit aut in religione professa fuerit, vel jam sit cum aliis fratribus divitibus, ita ut voventis præsidio non indigeat. Similiter quis vovet religionem si pater obierit, vel quando obierit, ductus solum eo quod pater esset pauper ejusque ope indigeret, tenetur voto, patre ad eum statum deveniente ut nullatenus ejus præsidio indigeat. At si finis fuit, causa non afficiendi eum tristitia, non censebitur tunc impleta conditio. Similiter vovet quis eleemosynam si ex certa negotiatione lucrum habeat, ut vel sic inducat Deum ad lucrum ex illa concedendum, non censetur impleta conditio si aliunde id lucrum comparet. Secus si ex sola eleemosynæ intentione votum esset, et ea conditio adjiceretur gratia solius commoditatis ad eam erogandam. Ratio autem est, quia censetur conditio impleta juxta virtualem voventis intentionem manifeste deductam ex ejus fine. Sensus enim illius conditionis, juxta voventis intentionem, est: Si necessitas parentis vel sororis non me detinuerit, aut si lucrum sufficiens ad erogandam commode eleemosynam comparavero. Unde non innititur hoc voluntati quam vovens creditur habiturus si tempore voti cogitasset: id enim non sufficit voti obligationi; sed innititur virtuali ex fine collectæ. Quod aperte sequitur ex doctrina quam, multis citatis variisque textibus probantes, tradunt Sarmiento..... Menochius..., ubi docent, quoties conditio juris ordine vel natura ipsa ordinatur ad dispositionem, et est præambulum necessarium ad ipsam, posse impleri per æquipollens, atque sufficere ut impleta censeatur quocumque modo sit dispositioni illi via expedita;

secus quando conditio est omnino voluntaria, nec præambula ad dispositionem : tunc enim debet impleri in forma specifica... Et ratio discriminis est, quia dispositiones posterioris generis seipsas respiciunt et factum ipsum, nec aliis subministrant, et ideo oportet ut facto ipso et in seipsis impleantur. At conditiones prioris generis non respiciunt seipsas, nec factum ipsum, sed finem et effectum ; ergo non oportet eas in seipsis impleri, sed satis erit æquipollenter, ita ut idem effectus obtineatur... Quod si dubium sit an æquipollenter impleta sit conditio, ita ut idem omnino sequatur effectus a vovente intentus, existimo votum non obligare, tamquam conditione deficiente. »

II. De obligatione voti pœnalis.

Obligatio voti pœnalis

387. In voto pœnali duplex est elementum, unum principale, alterum accessorium : elementum principale est futura actus alicujus omissio vel positio ; elementum accessorium est ipsa pœna ad quam vovens se obligat pro casu omissionis vel positionis prædicti actus.

pendet ab obligatione actionis vel omissionis cui pœna adnexa est ;

388. Ex quo principio deducitur : a) *Si actio vel omissio, cui pœna alligata est, fiat impossibilis vel mala vel minus bona, eo ipso cadit obligatio pœnæ :* accessorium enim sequitur principale. — b) *Pariter, si actionis vel omissionis obligatio per dispensationem sublata fuerit, eo ipso cadit obligatio pœnæ, licet de ea in impetratione dispensationis nulla mentio facta fuerit.* Cujus ratio est, quia pœna implicat ordinis transgressionem ; atqui post dispensationem locum non habet transgressio ; ergo neque pœna. Secus vero est, si prævaricatio voti jam accidit, et pœna contracta est : in tali enim casu utrumque vinculum per se obligat, adeo ut unius solutio non trahat secum solutionem alterius : v. g. si vovisti vinum non bibiturum, postquam bibisti jam reus es tam voti

quam pœnæ, atque adeo ab uno absolutus, non etiam absolutus es ab altero. Cfr. Laymann, l. c. c. 5, n. 5.

ab ea aliquando excusat, aliquando non excusat ignorantia vel inadvertentia.

589. Quod vero pertinet ad *ignorantiam*, *oblivionem* vel *inadvertentiam*, nonnulla sunt seorsim consideranda. Nam vel *duplex* votum est emissum, scilicet rei faciendæ aut omittendæ, et pœnæ subeundæ casu transgressionis; vel *unicum* votum emissum est, nempe pœnæ subeundæ pro tali vel tali actione aut omissione.

590. In priori hypothesi tres resolutiones dari possunt pro triplici diversa suppositione: a) quando quis rem faciendam vel omittendam prorsus recordatus non est, nulli pœnæ obnoxius est; — b) quando quis advertit rem esse faciendam vel omittendam alio titulo, sed non recordatur voti emissi, non videtur obnoxius pœnæ; cfr. Sanchez, op. cit. lib. 4, c. 22, n. 18; — c) quando quis advertit rem esse faciendam vel omittendam ex voto, sed non recordatur pœnæ adjectæ, videtur pœnæ obnoxius, nisi hæc fuerit exorbitans et extraordinaria.

591. In posteriori hypothesi, ita resolvendum censemus: a) quando quis sibi voto pœnam imposuit præceptum aliquod transgredienti, hanc non incurrit si ad præceptum non attenderit; si autem ad præceptum attenderit, sed voti recordatus non sit, non videtur pœnæ obnoxius; cfr. Sanchez, l. c; — b) a fortiori quando quis pœnam sibi imposuit omittenti aliquid liberum, non videtur pœnæ obnoxius si omiserit non advertendo ad votum, nisi tamen ideo votum emissum fuerit ut vovens cautior et vigilantior redderetur.

§ II.

De personis voto obligatis.

392. *Formalis obligatio voti est voventi omnino personalis;* nullus scilicet, præter voventem, ad materiam voti præstandam obligari potest obligatione proprie dicta fidelitatis et religionis ad Deum. Sequitur ex natura promissionis votivæ: ea enim homo fidem suam dat Deo de opere efficiendo vel omittendo; adeoque sola ipsius fidelitas exigitur. Cfr. Suarez, l. c. l. 4, c. 9, n. 2. Hinc quando membra alicujus communitatis, puta monasterii, aut civitatis, idem simul votum faciunt peregrinationis, jejunii, etc., tali voto per se non tenentur eorum successores, imo nec contemporanei qui forte contradixerunt. Quando vero ipsa communitas, qua talis, nempe prout est persona aliqua moralis, votum aliquod facit per suos legitimos repræsentantes, hoc voto tenetur eadem communitas, qua talis, illudque adimplebit per eos qui ipsius curam pro tempore gerunt; non tamen prædicto voto obligantur communitatis membra quatenus spectantur ut personæ privatæ. (1)

Nullus propria obligatione voti tenetur adimplere votum alterius,

393. *Nihilominus contingere potest ut quis propria obligatione voti teneatur adimplere illud quod ab altero promissum est, si nempe hujus promissionem fecerit suam.* In hoc enim casu ille qui obligatus est, explicite vel implicite promittit idem quod alter promiserat; et ideo, licet unus dicatur teneri voto alterius, non obligatur tamen nisi materialiter, id est, ad exsequendum illud quod alter voto debe-

nisi illud votum fecerit suum.

(1) Non pauci arbitrantur a communitate seu persona morali, qua tali, vota emitti non posse; cfr. Suarez, l. c. lib. 4, c. 9, n. 6, et tr. 5, lib. 2, c. 31 ; at nobis præferenda videtur sententia eorum qui de votis ratiocinantur sicut de aliis pactis, quibus communitas se ligat, et quorum obligatio ad posteros transit. Cfr. Ballerini, tom. I, nota ad n. 327.

bat; formaliter enim in hoc secundo obligatio nascitur ex sua ipsius voluntate, non ex voluntate prioris. Hujus rei exemplum habetur in c. *Licet, De Voto*, ubi ita legitur: « Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire. Accepimus siquidem quod, cum rex Hungariæ, pater tuus, agens in extremis votum, quod voverat Domino, Hierosolymitanam provinciam in forti manu, humili corde visitare, sub interminatione maledictionis paternæ commiserit tuæ fidei exsequendum; et tu assumpto crucis signaculo te id adimpleturum sine dilatione qualibet promisisti... Mandamus quatenus, postpositis cæteris sollicitudinibus, usque ad festum exaltationis sanctæ Crucis debitum acceptæ crucis exsolvens propositum iter arripias, et humiliter prosequaris. Ne si onus tibi a patre injunctum et a te sponte susceptum occasione qualibet detractaveris, paterna te reddas successione indignum, et hæreditatis emolumento priveris, cujus recusaveris onera supportare.» Cfr. Suarez, l. c. n. 2 et 3, ubi præterea notat aliquid hujusmodi contingere « quoties unus rogatus ab alio habente votum, onus illius sponte suscipit, et promittit illud impleturum, quia in se suscipit non tantum obligationem humanam ex promissione ad hominem efficiendi tale opus, sed etiam suscipit religiosam obligationem ad Deum: ergo virtute facit etiam promissionem ad Deum; nam se illi voluntarie obligat. Antecedens patet, quia longe aliter obligatur qui promittit Petro facere pro illo eleemosynam, quando Petrus illam non debebat ex voto vel quando debebat: nam in priori casu promittens tantum obligatur homini, in posteriori vero Deo: nam hoc est suscipere in se obligationem alterius, et hæc est intentio petentis, et esse debet promittentis. Sicut enim qui in jus succedit alterius, eodem quo ille jure utitur, juxta

regulam 46 juris in 6, ita qui alterius obligationem in se suscipit voluntarie, eadem qua alter obligatione tenetur. Facit etiam illud axioma, quod subrogatum sapit naturam ejus cui subrogatur... »

394. *Præterea ex voto unius transire potest in alterum obligatio aliqua, non quidem voti et fidelitatis ad Deum, sed vel fidelitatis humanæ vel justitiæ vel obedientiæ.* Et quidem a) obligatio fidelitatis humanæ habetur quando aliquis alteri soli promittit se effecturum illud quod iste promiserat; attamen, ut modo vidimus ex Suarez, in hoc casu, plerumque cum promissione facta homini conjungitur promissio facta Deo. — Deinde b) obligatio justitiæ habetur ex voto reali emisso ab eo in cujus bonis alter succedit. Obligatio enim voti realis, juxta sententiam communem, transit ad hæredem ipso jure seu facto ex vi hæreditatis receptæ. Ratio est, quia per votum reale fit homo debitor Deo illius rei in quam votum cadit; sed bona defuncti sunt obnoxia solutioni debitorum ejus, ita ut debita non computentur in bonis; ergo hæres tenetur ad solvenda vota realia defuncti, ex vi bonorum quæ ad ipsum perveniunt, et hoc est obligari ipso facto. Unde colligitur clara differentia inter votum personale et reale: nam personale votum constituit hominem debitorem solius actionis cohærentis propriæ personæ, ad quod debitum persolvendum non sunt obnoxia bona externa, sed sola persona. Neque etiam apud Deum habet locum obligatio ad aliquod interesse, quæ relinquatur ex voto personali non impleto: quia illa tantum est obligatio ad pœnitentiam agendam... quæ etiam personalis est. At votum reale constituit hominem debitorem rerum externarum, quæ semper possunt reddi Deo, etiamsi homo dum vixit, fuerit negligens in illis reddendis, ideoque illæ semper manent obnoxiæ tali debito solvendo, et cum illo onere transeunt ad hæredem, et ideo ille manet

Verum aliquis votum alterius adimplere teneri potest ex fidelitate humana,

vel ex justitia,

obligatus eo ipso quod hæreditatem adit. Unde etiam intelligitur hanc obligationem non transire ad hæredes nisi pro viribus hæreditatis, et habita ratione aliorum onerum et debitorum, juxta generalem doctrinam de obligationibus hæredum et modo solvendi debita defunctorum. — Tandem c) si communitas, qua persona moralis, per suos legitimos repræsentantes, eos membrorum subditorum actus voverit de quibus disponere potest, *subditi* tenentur actus promissos exsequi, non quidem vi voti, sed indirecte ratione præcepti, pacti vel consuetudinis Ita Suarez, l. c. lib. 4, c. 9, n. 10 : « Dico ergo talia vota communitatum non obligare singulos propria obligatione voti, nisi a singulis personaliter fiant vel acceptentur; esse tamen in communitate potestatem ad obligandum singulos præsentes et futuros successores in vi præcepti humani vel ad acceptandum tale votum quoad voti obligationem, vel saltem ad observantiam actus promissi. Unde eo ipso quod populi rectores in tale votum sufficienter consentiant, consequenter imponunt aliis præceptum servandi illud. Unde illi qui non voverunt, licet non violent votum, et consequenter non committant proprium peccatum infidelitatis contra Deum, nihilominus graviter peccant contra obedientiam, vel contra propriam virtutem, in qua est materia voti. Sed objici potest, quia laïci non possunt præcipere spiritualia, et quæ ordinantur ad salutem animæ et cultum religionis; sed hæc vota ordinarie fiunt a populo laïco; ergo non possunt obligare in vi præcepti, et minus poterunt obligare ad acceptandam propriam voti obligationem, quæ magis spiritualis est et spontanea. Respondeo, considerando rem hanc in terminis sólius juris naturalis, esse in communitate Reipublicæ potestatem ad statuendum ea quæ pertinent ad religionem et cultum Dei et bonos mores Reipublicæ, et ideo de illo statu

vel ex obedientia.

non procedit argumentum. Nunc vero in Ecclesia divinus cultus elevatus est ad ordinem superiorem, et ejus cura commissa est prælatis Ecclesiæ et præcipue Christi Vicario. Et ideo existimo talia vota non habere vim obligandi, nisi interveniente episcopi auctoritate et approbatione. Et consequenter necesse est ut ipse præcepto suo cogat omnes ad præcepti acceptationem vel saltem ad observantiam actus promissi, et tunc obligabuntur illi qui non voverunt, non in vi voti, sed in vi ecclesiastici præcepti. Hoc enim satis est ad explicandam hanc obligationem, et ad cõnvenientem populi gubernationem in tali materia, imo etiam est valde accommodatum ut similia vota prudenter ac religiose fiant. Unde obiter intelligitur, talia vota (licet ut personalia sunt respectu singulorum qui ea emiserunt, revocari non possint ab episcopis, nisi per medium justæ dispensationis) ut obligant totam communitatem posse ab eis revocari sicut alia præcepta particularia suarum diœcesium, quia respectu communitatis non habent vim nisi ratione præcepti quod per episcopum potest abrogari. Quapropter talis abrogatio valida erit, etiamsi fiat sine causa sufficiente ad dispensationem voti, quia per illam non tollitur propria obligatio voti, sed alia quæ per eamdem jurisdictionem et potestatem ecclesiasticam introducta fuerat. »

ARTICULUS II.

De extrinseco voti effectu.

Effectus voti extrinsecus est,

395. Effectus voti extrinsecus oritur tum ex speciali conditione rei circa quam versatur, tum ex speciali dispositione legitimæ auctoritatis, quæ scilicet votum regere potest.

ut voventem constituat in statu religiosæ perfectionis,

396. *Et quidem imprimis votum, si versetur circa tria consilia evangelica, voventem constituit in statu religiosæ perfectionis.* Status enim religiosus stricte

sumptus eorum est qui ad perfectionem tendunt per tria consilia evangelica voto firmata. Cfr. Bouix, *De Jure Regularium*, p. 1, s. 2.

et ut actus ipsi oppositos reddat irritos;

397. *Præterea votum quod versatur circa consilia evangelica, aliquando reddit actus ipsi oppositos non solum illicitos sed etiam invalidos aut saltem infirmos.* Sic votum castitatis interdum matrimonium contrahendum annullat, imo contractum non consummatum dirimit; votum paupertatis spoliat bonis possessis simulque rerum possidendarum personam incapacem efficit; votum obedientiæ non quidem irritas sed superiorum arbitrio irritabiles reddit promissiones post ipsum Deo vel hominibus factas.

hæc vis irritandi actus competit votis solemnibus,

398. *Vota quibus inest prædicta vis irritandi actus ipsis oppositos, sunt generatim vota solemnia; cætera dicuntur simplicia.* Porro hic multum disputatur in quo consistat essentia solemnitatis votorum. Aliqui eam ponunt in *externo ritu* seu modo quo vota emittuntur, alii in *benedictione* seu *consecratione* qua vovens Deo dicatur, alii in *traditione* qua vovens se Deo et religioso ordini mancipat, alii in ipsa *vi irritandi* actus voto oppositos. Verum nulla ex his sententiis plene satisfacit. Etenim, licet votum solemne esse nequeat absque aliqua externa manifestatione, potest tamen remanere simplex quocumque ritu et modo emittatur; deinde potest votum esse solemne absque ulla benedictione vel consecratione, et e contra potest adesse benedictio vel consecratio quin votum sit solemne; præterea potest etiam adesse traditio Deo et religioso ordini facta absque voti solemnitate; tandem potest votum esse solemne cum potestate in vovente v. g. retinendi dominium bonorum temporalium; cfr. Ballerini, tom. 2, nota ad n. 153, necnon decretum S. Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis præpositæ emissum 31 Julii 1878, in periodico *Revue des Sciences Ecclésiastiques*, tom. 40, p. 191. Et vicis-

sim potest in voto simplici inesse vis irritandi matrimonium subsequens, prout in scholasticis S. J. Igitur potius dicendum existimamus voti solemnitatem consistere in promissione et traditione absoluta et irrevocabili ex parte voventis, simulque in speciali et huic promissioni ac traditioni respondente acceptatione ex parte Ecclesiæ. Ratione hujus solemnitatis, seu talis promissionis et acceptationis, prædicto voto annexa sunt quædam privilegia et effectus, quæ tamen ipsam solemnitatem non constituunt; possunt enim, saltem ex parte, a voto tolli manente ejus solemnitate, et ei attribui solemnitate non sequente.

399. *Quidquid de hoc sit, jam extra controversiam est tum voti solemnitatem tum vim irritandi actus ipsi oppositos, non e jure naturali sed ex solo jure ecclesiastico oriri,* prout legitur in decretali *Quod votum* Bonifacii VIII, hisce verbis: « Quod votum debeat dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, Nos consulere voluisti: Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, matrimonii vero vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium Conditore..., unionem et indissolubilitatem acceperit, præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. » Eodem modo Gregorius XIII, in bulla *Ascendente Domino:* « Nos considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse... etc. » Cfr. plura apud Bouix, l. c. § 3.

et, sicut ipsa solemnitas, oritur ex jure ecclesiastico.

CAPUT III.

De interpretatione et adimpletione voti.

400. Explicatis iis quæ pertinent ad voti constitutionem et efficaciam, pronum est nonnulla dicere de modo quo debeat rationabiliter intelligi et prudenter executioni mandari. De his ergo in duplici sequenti articulo.

ARTICULUS I.

De interpretatione voti.

Regulæ interpretationis generales :

401. Rationabilis interpretatio voti, sequentibus fere fundamentis seu regulis innititur, passim apud theologos receptis; cfr. Suarez, l. c. lib. 4, c. 7, Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 11 et seqq., Laymann, l. c. c. 3, n. 3, Salm. l. c. c. 1, p. 6, n. 133 et seqq. etc.

402. Imprimis a) *Votum non debet extendi ultra expressam vel præsumptam intentionem voventis;* cum enim voti obligatio sit voluntaria, in tantum quis obligatur in quantum voluit et intendit se obligare. — b) *Nisi de mente voventis aliud constet, præsumendum est vovisse secundum communem sensum et valorem verborum, et rem velle exsequi prout ejus natura et communis hominum aut Ecclesiæ consuetudo exigit:* quia, qui nihil excipit, censetur se communi usui accommodare. — c) *Simul cum materia voti spectari debet finis voventis et considerandæ sunt circumstantiæ temporis, loci, personarum:* hæc enim aliquando non parum juvant ad dignoscendam intentionem illius qui votum emisit. — d) *Obligatio voti, quantum retenta propria et usitata significatione verborum fieri potest, semper magis restringenda quam extendenda est;* quia, quando non

constat de majoris obligationis voluntaria susceptione, quivis relinquendus est in possessione suæ libertatis. — e) *Nunquam tamen obligatio voti ita restringenda ac minuenda est, ut votum ipsum vel ridiculum vēl parum consentaneum divino cultui reddatur, sed semper servari debet voti dignitas.* Jam præmissas regulas ad casus frequentius contingentes applicabimus; inde enim hæ regulæ penitius intelligentur, ac simul occasio erit solvendi quasdam difficultates.

earum applicatio ad obligationis naturam,

403. Et primo quidem quoad ipsam *obligationem*, ex regulis supra positis hæc sequuntur: a) qui rem notabilem vovit nec quantitatem obligationis determinavit, censetur se voluisse obligare conformiter ad materiam, scil. sub gravi; cfr. S. Alphonsus, lib. 3. n. 213; — b) qui vovit, quin ullum suæ obligationi præfixerit terminum seu finem, generatim censetur se obligasse in perpetuum: v. g. si vovisti deinceps servare castitatem, jejunare diebus veneris, etc., teneris servare castitatem, jejunium dici veneris per totam vitam; cfr. S. Alphonsus, l. c. n. 221; — c) qui diem adimplendæ obligationis designavit, designasse censetur ad finiendam obligationem, si agatur de voto personali, ad urgendam vero si agatur de voto reali; cfr S. Alphonsus, l. c. n. 220; — d) qui non determinavit tempus adimplendæ obligationis, censetur se obligasse ad votum exsequendum quam primum moraliter fieri potest, si agatur de re quæ dilatione minuitur, ut est v. g. ingressus in religionem; si voto agatur de re quæ dilatione non minuitur, ut est v. g. elargitio alicujus eleemosynæ, auditio unius missæ, censetur sibi reliquisse ampliorem facultatem; cfr. S. Alphonsus, l. c. n. 221, ad verba: « Quæritur an faciens votum », Gury, tom 1, n. 327, quær. 4, cum nota Ballerini.

materiæ extensionem,

404. Deinde quoad *extensionem materiæ* voti: a) qui votum fecit audiendi sacrum, tenetur hoc audire eo modo quo fideles die festo ad talem auditionem obli-

gantur, scil. cum eadem attentione, intentione, integritate, etc. An vero satisfaciat audiendo sacrum de præcepto, pendet ex circumstantiis; nempe si voverit v. g. se missam auditurum semel aut iterum, vel quibusdam vicibus per hebdomadam, generatim censetur se obligasse ad missam liberam; secus autem probabiliter si voverit se missam auditurum per mensem, annum; cfr. S. Alphonsus, l. c. n. 224; — b) qui vovit se recitaturum rosarium, ordinarie satisfacit dicendo quinque decades, quia nomine rosarii non aliud intelligi solet; debet autem rosarium recitare attente et devote, fere sicut dictum est de breviario; unde etiam potest recitare alternatim et successive, scilicet separando decades; cfr. S. Alphonsus, l. c. n. 224, ad verba « Qui vovet se recitaturum, etc. », Suarez, l. c. lib. 4, c. 8, n. 5; — c) qui vovit jejunium et nihil speciale per intentionem determinavit, obligatur « juxta exigentiam jejunii ecclesiastici, quia illa est natura talis materiæ, et solet in Ecclesia intelligi nomine jejunii. Unde, si quæratur, quomodo computandus sit dies pro quo obligat votum illud, dicendum est computari secundum naturalem cursum, a media nocte antecedente usque ad sequentem, quia ita intelligitur ecclesiasticum jejunium. Et eadem ratione obligat votum ad abstinendum a carnibus, per absolutam negationem, ita ut si sæpius eo die comedantur, sæpius peccetur, quia ita obligat præceptum ecclesiasticum jejunii, et est communis et certa sententia. Si vero quæratur an vovens jejunare, teneatur abstinere a lacticiniis, cum de hoc nihil cogitavit, respondendum est extra quadragesimam non teneri, quia simpliciter non est illa abstinentia de ratione jejunii nisi quadragesimalis... Posset autem hoc limitari, nisi votum fieret ubi consuetudine obligante receptum esset, ut in omnibus diebus jejuniorum abstineretur a lacticiniis: tunc enim verisimilius esset, votum esse factum de

simili jejunio. Denique, si quæratur an votum illud obliget ad non comedendum, etiam ex cibis permissis, nisi semel et post certam horam, et an sæpius comedendo ex eisdem cibis sæpius violetur, toties scilicet quoties fuerit comestum, respondendum est idem esse de voto dicendum, quod de præcepto, quia vovendo jejunium, id intelligitur promitti, quod solet per Ecclesiam præcipi... » Ita Suarez, l. c. c. 7, n. 9-11; paulo aliter tamen loquitur S. Alphonsus, lib. 3, n. 224. Præterea, qui singulis diebus per mensem aut annum jejunium promisit, non tenetur diebus dominicis jejunare, quia non censetur obligari nisi juxta consuetudinem Ecclesiæ receptam; item, si promisit jejunium in vigilia alicujus Sancti et hæc cadat in dominica, potest jejunium sabbato anticipare; — d) qui vovit virginitatem, censetur promississe nullam unquam admittere delectationem qua integritatem sui corporis vel animæ amittere possit: videlicet votum virginitatis sumitur pro eodem cum voto perpetuæ castitatis, saltem imperfectæ, excludentis omnem voluptatem veneream corporalem, nisi manifeste fuerit alia mens voventis; cfr. Suarez, l. c. c. 7, n. 7. Similiter qui vovit castitatem, censetur se obligasse ad castitatem simpliciter et in omni materia, non vero tantum ad castitatem conjugalem vel abstinentiam a matrimonio; — e) qui vovit religionem, non obligatur ad castitatem; cfr. Suarez, l. c. c. 7, n. 12; ratio est, quia votum ingrediendi vel profitendi religionem, non habet pro materia castitatem, sed statum in quo vovenda est castitas; et similiter qui vovit religionis ingressum, non censetur se obligasse ad perseverantiam; cfr. Suarez, l. c. c. 8, n. 7; — f) demum, votum peregrinationis ad aliquem pium locum, secundum usitatum sensum et rigorem verborum, non obligat ad peregrinationem pedestrem, etc.

qualitatem, 405. Quoad *materiæ qualitatem,* ita scribit Suarez, l. c. c. 8, n. 9 : « Quando in voto non determinatur qualitas rei promissæ, nec ex verbis aut materia fieri potest, arbitrio voventis relinquitur ut qualitatem rei eligat, dummodo bona fide et sine fraude aut dolo, substantiæ et verbis voti plene satisfaciat... Nam clarum est in eo casu certam qualitatem non cadere sub votum, quia nec verba illam comprehendunt, nec intentio ad illam extenditur, ut supponitur; ergo non est unde cadat sub obligationem; est ergo spontanea ac proinde arbitraria. Unde fit, hoc intelligendum esse non solum de qualitate accidentali intra eamdem speciem, sed etiam de specifica et essentiali, si verba generaliora sunt; ac denique de quacumque perfectione qualitati proportionata. Ut si vovi dare oleum ecclesiæ, non teneor dare optimum, sed illud quod sufficiat cultui divino in illo genere; si autem vovi dare vinum pro sacrificio, licet necesse non sit dare optimum et exquisitum, tamen ex fine talis voti intelligitur dandum esse sanum et purum et decens pro tali usu. Si autem vovi dare panem pauperibus, sufficiet dare panem pauperibus usitatum : unde non tenebor dare ex puro tritico, ubi alius fuerit in usu, nisi quando de alia intentione voventis constiterit. Item cum eadem proportione, si vovi religionem indifferenter, in quacumque satisfaciam, quæ simpliciter religio censetur. » Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 222.

quantitatem, 406. Quando in voto non determinatur *rei quantitas,* nec ex verbis aut materia secundum se spectata, vel attenta consuetudine determinari potest, « arbitrio voventis relinquitur determinatio, dummodo judicio prudentum sit sufficiens. » Ita Suarez, l. c. n. 10; cfr. S. Alphonsus, l. c.

individuationem; 407. Votum quoad *individuationem* indeterminatum, sic interpretandum est ut non obliget nisi ad

aliquod individuum rei promissæ, quodcumque voventi libuerit; quod si autem cætera usque ad unum furto essent subducta, per se loquendo probabilius videtur, illud totum quod remanet, ex voto tradendum esse: v. g. si quis plures calices habuisset, et unum ex his alicui templo se oblaturum vovisset, reliquis a fure arreptis, residuum dare, et non tantum medietatem pretii, tenetur; quia votum fuit æquivalenter ex parte objecti conditionatum, atque sic exponendum: volo dare hunc calicem, si non dedero alium; quæ conditio, cum in assignato casu impleatur, votum obligat, et propter damnum injuste illatum non diminuitur obligatio voti, sicut non minueretur, si, nullo calice ablato, in aliis bonis illatum esset. Ita, post Bonacinam, disp. 4, q. 2, p. 6, n. 34, Castropalao, tr. 15, disp. 1, p. 12, n. 26, Illsung, tr. 5, disp. 1, q. 3, a. 3, § 2, n. 109, contra Sanchez, lib. 4, c. 13, n. 19, et alios.

ad conditiones appositas,

408. Quoad *conditiones* voto appositas, una est cujus adimpletio haud raro interpretatione indiget, nempe: *si patri vel superiori placuerit.* Ita rem explicat Laymann, lib. 4, tr. 4, c. 6, n. 3, cum Sanchez, *De Matr.* lib. 5, disp. 7, et *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 23, n. 14. « Dico I: si pater, re cognita, voto vel promissioni primo consentiat, censetur impleta conditio, et contracta obligatio, quæ haud tollitur, tametsi postea is dissentiat. Dico II: si pater, re cognita, prius dissentiat, deficit conditio et obligatio, neque valescit, etsi postea consentiat; quod etiam docet Sotus.., Azor.., contra Sylvest...., Nav...., Veracrux.., quorum tamen sententia in sponsalibus tunc haud dubie amplectenda est, si sponsi, post patris dissensum, permaneant adhuc in proposito, verbis aliisve signis explicato, obligandi se mutuo sub conditione paterni consensus deinceps impetrandi. Deinde, si voventis vel promittentis in-

tentio fuit, obligandi se omnimode ad exsequendum promissum, dummodo sine patris offensione fieri possit, tunc etsi primo ille ægre ferat, postea vero consensum præbeat, obligatio contrahetur, si interim nulla notabilis mutatio sit facta. Dico III : si pater nec consensum nec dissensum exprimat, ad alia signa et conjecturas attendendum est : nam in quibusdam personis, consideratis circumstantiis, taciturnitas significat mœrorem animi indigne ferentis; in aliis vero tacitum consensum, vel saltem non repugnandi voluntatem : ita notarunt Sylvest..., Nav.... Dico IV : si pater expresse dicat se quidem non contradicere nec dissuadere, verum nec suadere, aut probativum consensum dare velle, tunc censeri debet conditio impleta nisi constet aliam fuisse mentem promittentis. »

ad pœnam adjectam.

409. Quantum denique ad *pœnæ reatum*, ita rursus Laymann, l. c. c. 5, n. 4 : « Restat quæstio : si quis vovit se non temere juraturum, blasphematurum, sub pœna peregrinationis instituendæ vel eleemosynæ dandæ ; utrum in dubio censendus sit solum se obligare voluisse ad pœnam ob primam transgressionem, an toties, quoties peccabit? Priorem partem tenet Sa, v° *Votum*, n. 26 : Vovens se aliquid facturum, si contingat forte peccare, intelligitur de prima vice, nisi intendisset expresse quoties peccasset. Contrarium docet Sanchez..... Respondeo et dico I : si duplex votum homo edidit : et non se blasphematurum, et, si blasphemaverit, eleemosynam daturum; tum vera est sententia posterior, quia sicuti votum principale de non blasphemando ad omne tempus refertur, ita et votum ei accessorium de pœna solvenda intelligendum videtur. Qua ratione etiam istud votum accipi debet : *voveo me omnibus diebus missam auditurum, et nisi audiero eleemosynam daturum.* Dico II : si quis unicum votum ediderit, vide-

licet de pœna solvenda si accidat imposterum ut blasphemia vel simile peccatum committatur, imprimis examinanda est intentio voventis, quæ plerumque esse solet, in perpetuum sibi interdicere facultatem peccandi sibi proposita pœna; ita ut quotiescumque transgressio fiat, toties pœna solvatur. Sin vero, spectatis omnibus circumstantiis, de intentione voventis constare non possit, sed dubium maneat, doctrina illa Emman. Sa, quæ in correctissima editione habetur, reprehendi non potest. Quia, cum de obligatione voti agitur, benignior pars in dubio amplectanda est, salva verborum proprietate; atqui verba ista : *si imposterum blasphemavero, voveo me peregrinationem instituturum et decem aureos pauperibus daturum*, propria et non inusitata acceptione intelligi possunt de prima tantum transgressione; ergo si vovens de intentione sua dubitet, hanc benigniorem partem, utpote non abhorrentem a sermonis proprietate et usu, præferre potest. Nam eodem modo homini quispiam se obligare potest : *hanc viam lubricam transibo nunquam casurus; si cecidero, promitto me aureum daturum:* potest quidem hæc promissio etiam intelligi ut dandus sit aureus, quotiescumque casus acciderit, sed in dubio intelligendum erit de primo tantum casu. » His partim consentiunt, partim repugnant Castropalao, tr. 15, disp. 1, p. 18, n. 6. Illsung, tr. 5, disp. 1, q. 3, a. 3, § 4, n. 121, Salmanticenses, tr. 17, c. 1, p. 6, § 7, n. 177, etc.

ARTICULUS II.

De adimpletione voti.

Votum personale adimpleri debet per ipsum voventem;

410. *Votum personale adimpleri non potest nisi per actionem voventis.* Ad votum enim adimplendum exsequenda est res promissa; sed in voto personali

res promissa est ipsa actio voventis; ergo nullus alius a vovente votum personale implere potest. Cfr. Suarez, l. c. lib. 4, c. 10, n. 7, Castropalao, disp. 1, tr. 15, p. 15, n. 4, etc.

votum autem reale partim per voventem partim per alium adimpleri potest.

411. *Votum reale partim per ipsum voventem impleri debet, partim per alium impleri potest; videlicet* a) *impleri debet per ipsum voventem, quatenus absque hujus voluntate nunquam voto satisfiat; at* b) *impleri potest per alium, quatenus ille alius rem promissam pro vovente tradat, et vovens ratam habeat eam traditionem; a fortiori* c) *impleri potest, et si necessarium sit, impleri debet per alium, tamquam per instrumentum, qui rem voventis ministerialiter exhibeat.* Ita optime Castropalao, l. c. n. 6: « Certissimum esse debet, votum reale ex aliena pecunia nec jure nec facto impleri posse; quia alienam pecuniam donare nec vovisti, nec potuisti vovere, eo quod tuo arbitrio et dispositioni non subdatur; ergo alienæ pecuniæ donatione tuo voto satisfieri non potuit. Dices: si Petrus, sciens te vovisse daturum calicem ecclesiæ, calicem donet ut te ab obligatione voti liberet, tu liber manes a voto dum ratum habes, etiamsi te ignorante calix datus fuerit, ut ex communi sententia supponunt Suarez et Bonacina; ergo voto reali ex alienis satisfieri potest. Respondeo negando hanc ultimam consequentiam; nam cum Petrus tuo nomine calicem ecclesiæ donet, tacite prius tibi donat calicem, et tibi donatum ecclesiæ donat ut proprium..... — Deinde, certum esse debet, si impotens factus sis donare calicem promissum, te deobligatum esse a petenda eleemosyna ut satisfacias; in quo fere omnes conveniunt, quia obligari non potes ad ea quæ tuum statum dedecent, et ita gravia sunt. — Imo certum esse debet, te deobligatum esse rogare amicos, ut nomine tuo satisfaciant; quia tu (ut suppono) solum voluisti calicem donare, sub qua promissione non comprehen-

ditur petere ab amicis ut nomine tuo donent; sunt enim hæc longe diversa. — Præterea certum esse debet votum reale medio procuratore impleri posse, in quo hoc votum a personali longe diversum est. Nam personale, licet per procuratorem emitti possit, non tamen impleri, quia ejus materia est actio et functio personæ; at reale, cum ejus materia sit res a vovente extrinseca, impleri medio alio potest. Et in hoc sensu est verissima communis sententia votum reale et impleri per alium posse et debere. »

Quousque ad voti adimplectionem requiritur intentio satisfaciendi,

412. De circumstantiis adimpletionis voti, hæc teneri possunt. Et quidem a) de *intentione* requisita ad satisfaciendum voto, sufficiunt ea quæ dicta sunt in *Theologia mor. fund.* n. 192. Unde S. Alphonsus, lib. 3, n. 224, in fine: « Si quis immemor voti..... præstet opus debitum, bene satisfacit voluntate generali quam quisque censetur habere satisfaciendi prius obligationibus. » Quæ S. Doctoris sententia communis est; advertatur tamen citationes auctorum, quæ apud ipsum leguntur, sequenti modo restituendas esse: Sporer, tr. 1, c. 3, n. 48, Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 1, c. 13, n. 10, Laymann, lib. 1, tr. 4, c. 4, n. 7. — b) Idem fere dicendum est de *fine;* videlicet « finis voti non cadit sub obligatione voti, nisi sit finis intrinsecus, id est, objectum ipsius materiæ seu actus promissi..... Et declaratur exemplis: nam qui vovit ingredi Societatem intentione eundi ad Indiam vel Japponem pro conversione infidelium, postquam votum implevit ingrediendo hanc religionem, non obligatur ex vi voti ire ad Indos, etiamsi possit quantum est ex parte religionis; sic etiam qui vovit jejunare ad pœnitentiam agendam, et macerandam carnem, non obligatur ad hunc finem; unde si debitam ciborum qualitatem et formam jejunii servet, licet excedat in quantitate vel aliis circumstantiis requisitis ad temperantiam vel pœnitentiam,

voluntas obtinendi finem voti,

servat votum, sicut servat præceptum jejunii, quia ex vi talis voti solum ad jejunandum se obligavit. » Suarez, l. c. lib. 4, c. 8, n. 12 et 13. — c) Tandem ad voti adimpletionem, non requiritur omnimoda actus bonitas. *bonitas actus,* nisi hæc fuerit specialiter intenta; ita « qui vovit eleemosynam, licet illam det ex vana gloria, non aget contra votum. Idem est de voto orandi; obligat enim ad modum attente orandi, qui est de substantia orationis, non tamen ad bene et sine ullo defectu orandum. Quod si objiciatur, quia votum est de meliori bono et ideo non videtur impleri per malum actum, respondetur esse de meliori bono ex genere suo, non tamen semper obligare ad excludendam omnem malitiam ab actu, nisi id fuerit in ipso voto expressum. » Suarez, l. c. n. 17.

Adimpletio voti est opus fidelitatis ad Deum et religionis; 413. *Opus quo votum adimpletur, specialem habet bonitatem, nempe fidelitatis ad Deum et religionis.* Hæc autem bonitas formaliter a voto oritur, nec ulli actui competere absque voto potest, quacumque intentione ille actus ponatur, et quocumque modo in Deum referatur. Cfr. Suarez, l. c. lib. 1, c. 17. Unde magis laudabile magisque meritorium est facere aliquid ex voto quam sine voto, tum propter rationem allatam, tum propter duplicem aliam, quam S. Thomas 2.2. q. 88, a. 6, ita exprimit: « Quia ille qui vovet aliquid et facit, plus se Deo subjicit quam ille qui solum facit. Subjicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere: sicut plus daret homini qui daret arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum... (Item) quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis. »

voti violatio est peccatum perfidiæ 414. Voti *violatio* seu transgressio *peccatum* est. Et quidem a) peccatum est non sacrilegii proprie

dicti, prout a quibusdam existimatum est, sed *infidelitatis* seu perfidiæ erga Deum, quæ est contra religionem. Cfr. Suarez, l. c. lib. 5, c. 3. — Est autem b) illud peccatum *ex genere suo grave,* non tamen grave ex toto suo genere; adeoque leve tantum peccatum aderit in voti violatione quotiescumque vel necessaria deliberatio defuit, vel materia promissa levis est, vel fortasse etiam materia gravis sub levi promissa est. Cfr. supra, n. 381. At peccatum grave haberi poterit in multiplicata transgressione partiali voti, casu nempe quo materia promissa est per modum unius, in plures tamen vices exsequenda. De qua re ita Suarez, l. c. lib. 5, c. 5, n. 11: « Quando per plures actus leves censetur unus gravis paulatim perfici? Respondeo duobus modis posse id contingere. Primus est, quando ex prioribus actibus levibus, relinquitur obligatio quæ conjungitur præsenti obligationi, et ex utraque fit una gravis; et tunc res est clara, et frequenter contingit in votis realibus, et posset etiam inveniri in personalibus, ut dictum est (1)..... Secundus modus esse potest, quando secundum moralem usum et æstimationem, censetur componi moraliter unus actus ex

ex genere suo mortale.

(1) Loco ad quem remittit Suarez, nempe eodem c. 5, n. 2, ita habetur: « Quando tale est votum, ut licet pro aliquibus diebus non impleatur, semper duret obligatio implendi id quod fuit omissum, indubitatum est tandem peccari mortaliter violando votum in tota materia vel in gravi parte ejus. Quia, licet frangi videatur per parvas transgressiones multiplicatas, necesse est tandem pervenire ad diem et horam, in qua similis transgressio fit peccatum mortale. Quamvis enim fiat post actum de simili materia levi, non versatur circa illam ut levis est, sed ut complet materiam gravem. Ut v. g. si quis promisit dare quotidie argentum in eleemosynam, ea intentione ut dies intelligatur præfixus, ut terminus, non ut præcipua ratio obligationis, quamvis uno aut alio die id omittat, tenetur sequentibus diebus supplere, et ideo semper posterior omissio gravior est; et post paucos dies erit mortale id omittere, quia non solum omittitur eleemosyna illius diei, sed omnium præcedentium, quæ eodem die

multis, vel ex quadam successione actuum aut omissionum; ut v. g. ex horis canonicis unius diei censetur componi una integra recitatio; recitatio vero unius diei non componit unum actum moralem cum officio alterius diei, et ideo in habente votum recitandi officium canonicum, ex levi omissione unius psalmi in prima v. g. et alterius in vespera et alterius in matutino intra eumdem diem, posset insurgere gravis transgressio voti; si autem fierent in diversis diebus, essent tantum plures transgressiones leves. Idem cerni potest in jejunio unius diei vel plurium. In diversis autem diebus raro invenitur unus actus moralis qui hoc modo componatur ex pluribus actibus illorum dierum, non tamen repugnat inveniri; ut si quis vovit per novem dies assistere in ecclesia, religionis causa, si singulis diebus parum absit, moraliter conjungentur illi defectus ad componendum unum gravem defectum in illo actu, seu materia voti, quia ex modo et intentione voti est una obligatio quæ paulatim violatur. Idem dico, si quis voveat dicere rosarium divisum in tres partes per tres dies, singulas partes singulis diebus designando tamquam onera talium dierum in illis præcise implenda: nam si ille omittat singulis diebus aliquid leve, si ex omnibus illis omissionibus aliquid grave respectu rosarii resultet, credo peccari mortaliter, sicut si uno die recitandum esset rosarium ex voto: quia distinctio dierum parum refert, quandoquidem actus ille semper respicitur ut moraliter unus, et ut talis vovetur. »

simul dandæ essent, et ita jam illa omissio habet materiam gravem. Idemque est de voto simili recitandi quotidie brevem orationem, si eadem intentione fiat, nam est eadem ratio; et in hac parte non videtur esse dissensio inter auctores. »

CAPUT IV.

De voti deobligatione.

415. Voti deobligatio, ex parte objecti, potest esse *totalis* vel *partialis*, ex parte vero temporis, potest esse *perpetua*, quando obligatio penitus extinguitur, vel *temporanea*, quando obligatio tantum suspenditur: quæcumque autem sit, provenit vel a causis *intrinsecis* vel a causis *extrinsecis*.

ARTICULUS I.

De deobligatione ob causas intrinsecas.

416. Causæ deobligationis voti *intrinsecæ* duæ potissimum assignantur, scilicet *cessatio finis* et *mutatio materiæ*, de quibus jam nonnulla in specie.

§ I.

De cessatione finis voti.

Distinctio inter finem rei promissæ et finem actus vovendi :

417. Sedulo hic distinguendum est inter finem *rei promissæ* et finem *actus vovendi;* cfr. supra, n. 359. Prior enim, ut explicat Castropalao, tr. 15, disp. 1, p. 20, n. 2, respicitur ab exsecutione voti, ita ut pro illius varietate diversa sit exsecutio; posterior autem potius movet ad vovendum quam ad exsequendum votum. » Finis rei promissæ solet dici causa *finalis*, finis vero actus vovendi non raro dicitur causa *impulsiva*, prout explicat Suarez, l. c. lib. 4, c. 18, n. 8 : « Prior causa, quæ simpliciter finalis dicitur, est finis non solum actus vovendi, sed etiam actus promissi, et quasi specificans illum: et ideo simpliciter dicitur finis voti non tantum active, sed etiam passive (ut sic dicam), id est actus quo voveo et

quem voveo. At vero causa quæ impulsiva dicitur, est finis actus vovendi, non vero actus promissi, et ideo non simpliciter finis appellatur. » Rursus uterque finis aliquando unicus est, aliquando multiplex; et si multiplex, alius principalis seu primarius, alius secundarius, etc.

si finis rei promissæ cesset, etiam cessat obligatio voti;

418. *Jam vero si finis rei promissæ totaliter cesset, obligatio voti penitus extinguitur.* Ratio est, quia cessante fine, ipsa promissio non subsistit. Res explicatur exemplis. Promisisti eleemosynam quotidie cuidam pauperi erogandam; si hic fiat dives, non teneris illam elargiri: quia non intendebas eleemosynam præcise ob honestatem, quæ est intrinseca in illa, quia sic non magis huic quam alteri pauperi eam elargiri sponderes, sed finis movens fuit hujus pauperis miseriam sublevare, et eleemosynam ut ad talem finem conducentem; sed, illo divite facto, cessat miseria ejus quæ sublevetur; cessat ergo obligatio talis voti. Promisisti peregrinationem ob salutem patris obtinendam; et jam mortuus est vel certe sanus, cessat finis voti, et tu ab ejus vinculo manes absolutus. Promisisti eleemosynam ad redimendum captivum; iste vero a captivitate fugit, cessat finis talis promissionis et ejus obligatio. Salm. tr. 17, c. 3, p. 2, n. 15 et 16; cfr. Castropalao, tr. 15, disp. 1, p. 20, n. 1.

419. *Si finis rei promissæ non cesset totaliter, sed tantum ex parte, obligatio voti extinguetur vel non extinguetur pro diversa ratione hujus finis,* quatenus scilicet est principalis vel secundarius, et pro diverso modo quo intentus fuit; cfr. Salm. l. c. n. 17, Suarez, l. c. n. 10.

420. *Si finis rei promissæ totaliter vel ex parte cesset tantum pro aliquo tempore, obligatio voti non extinguitur, sed solum suspenditur,* ita ut in alio tempore possit reviviscere. Salm. l. c.

secus, si ces-

421. *Si cesset non finis rei promissæ, sed finis*

actus vovendi, votum nec extinguitur nec suspenditur. Cfr. Salmanticenses, l. c., et Suarez, l. c. c. 18, n. 8, ubi addit « sæpe contingere causam impulsivam esse iniquam, et nihilominus supra ostensum est, votum esse validum; ergo tunc non solum obligabit cessante fine impulsivo, sed etiam necesse est illum cessare, ut votum possit honeste compleri. »

set tantum finis actus vovendi.

§ II.

De mutatione materiæ voti.

422. Materiæ mutatio in præsenti intelligitur tum ea quæ directe versatur circa rem promissam, tum ea quæ directe afficit ipsum promittentem, et solum indirecte circa rem promissam versatur.

423. *Si una vel altera mutationis specie, materia facta fuerit vel absolute impossibilis, vel illicita, vel indifferens, aut minus bona, ipsa voti obligatio cessat;* nam in hujusmodi casibus votum nec incipere potest, ut supra demonstratum est, n. 350 et seqq. Cfr. Suarez, lib. 4, c. 19, n. 1-4.

Obligatio voti cessat, si ejus materia fiat inepta,

424. *Licet materia nec impossibilis, nec illicita, nec indifferens aut minus bona facta fuerit, tamen si ita directe vel indirecte mutata est ut in prudenti hominum æstimatione alia censenda sit ab ea quæ promissa fuit, cessat etiam voti obligatio.* Ratio est, quia voluntas suscipiendi obligationem non censetur se extendisse ad hujusmodi casum. Ita Castropalao, l. c. p. 20, n. 4: « Difficile autem explicatu est, quando prudentum arbitrio promissum sit, ut sic cesset obligatio voti. Nam regula illa quam multi doctores tradunt, quos refert Sanchez, lib. 4, c. 4, n. 18 et 23, tunc promissum diversum esse, quando, si illa diversitas tempore voti emissi contingeret vel cognosceretur, non emitteretur votum, incerta est: quia incertum est an votum esset emittendum vel non; et præterea quia multæ sunt circumstantiæ extrinsecæ, quibus tempore voti

vel diversa moraliter ab ea quæ promissa fuit;

cognitis, votum non fieret, sed non obinde cessat voti obligatio; non enim v. g. promitteres eleemosynam pauperi si moribus perditum cognosceres, aut tibi esse inimicum; et tamen ob illam supervenientem cognitionem, non infirmatur promissio. Quia obligatio vel deobligatio promissionis non est desumenda ex promissione vel non promissione quæ futura foret, sed ex ea quæ facta est; alias nihil firmum subsisteret. Quapropter eam diversitatem prudentum hominum æstimatione affirmarem esse suffi cientem, quæ rem constitueret in alio statu moraliter diverso, vel ob difficultatem ex parte ipsius rei promissæ supervenientem, vel ob alias circumstantias ei denuo adhærentes; quia ad rem sic mutatam non est censendus vovens intendisse se obligare; sic Suarez et Sanchez. Notanter dixi: *quando ex parte rei promissæ difficultas notabilis esset,* ut excluderem difficultatem quæ solum nascitur ex libera voventis libertate, et prava illius inclinatione, qualem habent aliqui voventes castitatem, cujus observatio, ob depravatam eorum inclinationem et peccatorum multiplicationem, sibi difficilis facta est. Non enim hæc difficultas a voti observatione liberat, tametsi dispensandi occasionem præbeat. »

regulæ practicæ;

425. Regulas autem, quibus ad casus particulares prædictum principium generale applicetur, sequentes proponit Suarez, l. c. n. 15: a) Voti obligatio cessat «quando per mutationem res ad eum statum perveniunt, in quo leges humanæ non solent obligare, quia non censentur obligare cum tanto rigore, et ideo communiter sic intelliguntur. Ut si quis vovit jejunium et ægrotet, excusabitur quoties ægritudo sufficeret ad excusandum ab obligatione præcepti ecclesiastici, et sic de aliis; quia hæc duo vel æquiparantur in obligatione, vel certe semper præsumitur quis in hujusmodi voto voluisse se obligare juxta ecclesiasticam consuetudinem. » — b) Item «quoties exceptio

vel limitatio potest prudenter fundari in aliqua juris regula, vel ad illam reduci, ut v. g. quando potest reduci ad illud principium: *quod sub generali regula non continentur specialia;* nam si, in particulari facta mutatione, insurgit specialitas sufficiens judicio prudentum, et de illa non fuit cogitatum, habet locum benigna interpretatio... » — c) Demum « indicium sumi potest ex communi hominum consensu et consuetudine; nam si per mutationem homo constituatur in eo statu in quo non solent homines talia onera sibi imponere, verisimile est non habuisse voventem intentionem se obligandi pro illo eventu. Ut cum quis habens superflua vovet facere eleemosynam quotidie, et pervenit ad statum in quo habet vix necessaria, non est censendus voluisse se obligare pro illo statu; quia non solent homines talem obligationem sibi imponere in simili statu, nec tunc votum prudens fuisset; præsumitur autem quis prudenter vovisse. » Ex quibus solvi potest quæstio, an votum obliget cum periculo mortis, infamiæ etc.; videlicet in hujusmodi circumstantiis votum non obligat, nisi emissum fuerit ex intentione formali vel virtuali comprehendendi talem casum; non est enim dubium quin votum possit obligare cum periculo mortis, quando illud est rationabile et intentum, et tale videtur esse votum inserviendi hospitali sine limitatione, sed juxta morem ejus in omni occasione. Alius vero casus de Carthusianorum statuto valde controversus est ab auctoribus.

426. *Porro votum cessat in totum vel ex parte, per extinctionem vel per suspensionem, juxta naturam mutationis quæ facta est.* Sic Suarez, l. c. c. 19, n. 5-7: « Atque hinc sequitur primo, si hæc impotentia sive impedimentum unde illa provenit sit perpetuum, extinguere et omnino auferre votum; si vero sit temporale, solum suspendere, seu differre

casu mutationis materiæ obligatio cessat totaliter vel ex parte, juxta naturam ejusdem mutationis.

obligationem. Ratio utriusque partis clara est, quia impedimentum talem inducit excusationem, qualem impotentiam affert; impedimentum autem perpetuum affert impotentiam simpliciter, et ideo simpliciter aufert votum. Voco autem impedimentum perpetuum cum proportione omne illud, quod durat pro toto illo tempore quo votum poterat obligare, ut si votum sit de uno actu tantum pro certo die faciendo, ita ut sit onus proprium illius diei, et pro illo die occurrat impedimentum, extinguet votum. Si vero sit votum pro certo tempore cum termino posito ad finiendam obligationem, si impedimentum duret toto illo tempore usque ad ejus terminum, omnino etiam aufert obligationem. Si autem votum sit indefinitum, vel usque ad terminum positum tantum ad differendam solutionem et terminandam dilationem, tunc oportet ut impedimentum sit absolute perpetuum, ut votum extinguere omnino possit. Itaque oportet (ut ita dicam) ut impedimentum sit adæquatum voto quoad durationem, ut illud prorsus extinguat. At impedimentum temporale non potest extinguere votum: nam si cesset impedimentum statim resurget obligatio, cum tamen votum de novo non fiat; præexistebat ergo et durabat, sed pro tunc excusabatur vovens ratione impedimenti. Et hoc modo dicitur obligatio illa suspendi, vel differri per talem mutationem..... Secundo infertur, quod dictum est de impedimento adæquato quoad tempus, intelligendum etiam esse quoad materiam voti; nam si impedimentum sit adæquatum sive totale, aut integrum, ita ut totam materiam reddat impossibilem, integre etiam excusabit aut extinguet votum; si autem solum ex parte impediat, quoad aliquid excusabit; quoad partem vero possibilem semper obligat votum: quando videlicet materia divisibilis est, et partes separatæ eamdem retinent rationem et capacitatem obligationis, quia tale impedi-

mentum non excusat nisi propter impotentiam, et ideo non plus excusat quam afferat impotentiæ... Tertio infero, conclusionem procedere sive mutatio illa fuerit voluntaria sive involuntaria, et sive fuerit prævisa sive non, ac subinde sive fuerit cum culpa sive absque illa... Ratio est, quia in hac materia culpa præcedens non relinquit obligationem faciendi compensationem sed tantum pœnitentiam, et postea non excusat culpa præcedens sed impotentia præsens... »

ARTICULUS II.

De deobligatione ob causas extrinsecas.

427. Causæ deobligationis voti *extrinsecæ* tres communiter assignantur, nempe *irritatio, dispensatio* et *commutatio;* de quibus seorsim agemus.

§ I.

De voti irritatione.

Irritatio est voti annullatio vel suspensio;

428. *Irritatio* voti proprie dicta est ejus *annullatio* vel *suspensio* facta ab eo qui in voluntatem voventis vel in materiam voti potestatem habet; adeoque non versatur nisi circa votum quod, licet validum fuerit, tamen infirmum erat ob voluntatis inefficaciam ex parte voventis. Unde differt irritatio tum a conditionis resolutione, ut per se patet, tum a dispensatione, quia dispensatio cadit in votum ut solum pendet ex acceptatione Dei, etiamsi alias sit omnino firmum et absolutum; irritatio vero respicit votum ut est aliunde infirmum et conditionatum ex parte materiæ vel voluntatis ipsiusmet voventis; unde provenit ut etiam differant in potestate a qua manant: nam dispensatio semper provenit a potestate

speciali a Deo concessa, non autem semper irritatio. Cfr. Suarez, lib. 6, c. 1, n. 13, coll. n. 2.

directa est vel indirecta.

429. Irritatio dupliciter fieri potest, nempe auferendo materiam, et tunc dicitur *indirecta*, vel dissolvendo voluntatem, et tunc dicitur *directa;* prior votum suspendit, posterior illud penitus extinguit. Ita Suarez, l. c. n. 4: « Duplex modus est irritandi votum; unus est ex parte materiæ, quasi subtrahendo vel mutando illam; alius ex parte ipsiusmet actus vovendi seu voluntatis voventis, revocando et quasi dissolvendo illum. Priorem modum vocare soleo indirectum et communem, quia non cadit immediate in ipsum votum, sed fit per subtractionem materiæ... Posterior autem modus est directus et proprius, quia immediate cadit in ipsum votum et habet specialem et propriam rationem auferendi illud. Est autem differentia valde notanda inter hos duos modos irritationis voti, nam irritatio directa ex parte obligationis est irritatio simpliciter et quasi totalis destructio voti; altera vero indirecta irritatio ex parte materiæ potest dici secundum quid quantum est ex se; unde sæpe est quasi temporalis suspensio voti, et licet interdum omnino auferat obligationem voti, est quasi per accidens, quia vel votum solum fuit factum pro eo tempore pro quo materia ejus prohibetur, aut licet sit perpetuum ex parte sua, deficit persona priusquam irritatio finiatur. Secundo hinc etiam fit, ut votum directe irritatum nunquam amplius reviviscat; si vero tantum irritetur ex parte materiæ, ablata prohibitione vel illa cessante, votum incipiat obligare... »

I. De irritatione voti directa.

Irritatio voti directa supponit

430. *Quicumque dominium habet in alterius voluntatem, potest hujus vota directe irritare.* Sic fert do-

ctrina communis et certa; et ratio petitur ex jure naturæ: etenim inferior cujus voluntas plene dependet a voluntate superioris, salvo istius jure, de seipso disponere nequit; unde ejusdem vota, quæcumque sint, semper tacitam hanc involvunt conditionem: nisi superior contradixerit. Cfr. supra, n. 344. dominium in voventis voluntatem.

431. In specie autem *parentes directe irritare possunt vota filiorum impuberum, qui scilicet nondum compleverunt annum decimum quartum, si mares sint, vel duodecimum, si feminæ.* Cfr. supra, l. c.

432. Porro nomine *parentum* suo ordine veniunt *pater* et in hujus defectu *tutor*, deinde *avus paternus*, postea *mater* ac tandem *alii ascendentes*, imo probabiliter, si cæteri desint, etiam *dominus* vel *magister*. Cfr. Suarez, lib. 6, c. 6, n. 23. Hic autem dubitatur primo, utrum mater filiorum impuberum vota irritare possit *patre vel tutore præsente*, qui tamen non contradicat: sententiam affirmativam tenent Salmanticenses, tr. 17, c. 3, p. 3, n. 52, et S. Alphonsus, lib. 3, n. 230; negativa tamen multo communior est, eamque defendunt Suarez, l. c. n. 21, oppositam vocans « simpliciter falsam », Sayrus, *Cl. reg.* lib. 6, c. 10, n. 31 (ut certam), Lessius, lib. 2, c. 40, dub. 14, n. 82, Bonacina, disp. 4, q. 2, p. 7, § 2, n. 18, Laymann, c. 7, n. 10, Sylvius, q. 88, a. 8, concl. 5, Tamburini, lib. 3, c. 16, § 3, n. 21, Giribaldi, tr. 7, c. 6, dub. 2, § 2, n. 34, Billuart, a. 8, § 2, Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 33, n. 77, Gobat, v° *Votum*, n. 187, Sporer, *De 2 Præc.* c. 3, n. 24, Sasserath, *De Voto*, quæst. 6, resol. 8, etc., etc. — Dubitatur secundo, an deficiente patre, tutore, avo, possit mater *jure quasi proprio* filiorum impuberum vota irritare: sententia omnino communis affirmat cum Suarez, l. c. lib. 6, c. 6, n. 22, Sanchez, l. c. n. 79, Castropalao, tr. 15, disp. 2, p. 7, n. 7, Parentes

Tamburini, lib. 3, c. 16, § 3, n. 21, etc.; ubi vero prædicti doctores contrarium asserere videntur, non agunt de impuberibus sed de solis puberibus, quæ duo apud S. Alphonsum, lib. 3, n. 250, non satis distinguuntur. — Dubitatur tertio, an quando *plures* designati fuerunt tutores, singuli eorum potiantur jure irritandi vota pupillorum impuberum; affirmant communiter cum Suarez, l. c. c. 6, n. 22, Salm. l. c. n. 49.

filiorum

453. Deinde nomine *filiorum* veniunt etiam *illegitimi*, *naturales* et *spurii*, cum aliqua tamen differentia quæ indicatur apud Sanchez, l. c. n. 82, et Castropalao, l. c. n. 5.

vota quæcumque directe irritare possunt

454. A prædictis autem personis irritari possint impuberum *vota omnia absque ulla exceptione;* adeoque nihil refert utrum interna sint an externa, præterita vel futura, adimplenda tempore impubertatis vel post pubertatem adeptam. Hic autem dubitatur utrum irritari possint vota impuberum *jam prius confirmata:* negant Suarez, l. c. lib. 6, c. 6, n. 15 et 16, coll. c. 8, n. 7, et alii non minimæ auctoritatis doctores; probabilius tamen alii affirmant; cfr. Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 27, n. 17, Castropalao, tr. 15, disp. 2, p. 3, § 2, n. 5, quorum sententia certa videtur S. Alphonso, lib. 3, n. 259. — Dubitatur præterea utrum vota in impubertate emissa irritari possint, quando vovens pubertatem jam est adeptus: probabilius affirmatur vota in impubertate emissa et post adeptam pubertatem a vovente non confirmata, semper irritari posse a patre; cfr. Castropalao, tr. 15, disp. 2, p. 3, § 3, n. 5; idem probabiliter dici potest de curatore, seu de tutore (juxta nostrum loquendi modum) quamdiu officium suum retinet; cfr. Castropalao, l. c. n. 6; at illud negari solet de matre, quæ non sit tutrix; cfr. ibid. n. 7.

valide etiam

455. *Juxta omnes valida est irritatio directa vo-*

torum impuberis etiamsi fiat absque rationabili causa; sed non conveniunt theologi an hujusmodi irritatio facta absque ulla rationabili causa sit licita, necne. Etenim, si agatur de votis quæ a patre vel tutore fuerunt confirmata, omnes quidem fatentur ea vota irritari non posse absque peccato (supposito scilicet juxta sententiam probabiliorem quod valide irritentur); in hoc tamen dissentiunt quod alii existiment illud peccatum esse ex genere suo grave, dum alii arbitrantur esse tantum leve, secluso scilicet contemptu et scandalo; cfr. Castropalao, l. c. p. 3, § 2, n. 3, 8 et 9, S. Alphonsus, lib. 3, n. 239. Si vero agatur de votis quæ a patre vel tutore non fuerunt confirmata, omnes quidem conveniunt ea vota irritari posse absque peccato gravi; in hoc autem dissentiunt quod alii existiment in irritatione facta sine ulla causa haberi peccatum leve, dum alii censent nullum tunc per se peccatum committi: leve aliquod peccatum committi existimant Sanchez, lib. 4, c. 24, n. 13, Sayrus, lib. 6, c. 10, n. 14, Valentia, disp. 6, p. 6, in initio, Laymann, c. 7, n. 18, Bonacina, disp. 4, q. 2, p. 7, § 2, n. 1, Castropalao, disp. 2, p. 4, n 5, Sylvius, 2-2, q. 88, a. 8, concl. 2, Platel, n. 817, Sporer, *De 2 Præc.* c. 3, n. 34, Illsung, l. c. a. 4, § 2, n. 141, Babenstuber, l. c. § 6, n. 76, Sasserath, l. c. resol. 14, quibus de facto consentit Suarez, l. c. c. 1, n. 10, quamvis cum restrictione loqui videatur; e contra nullum per se committi peccatum arbitrati sunt S. Antoninus, 2 p. tit. 11, c. 2, § 6, Sylvester v° *Votum*, quær. 4, n. 1, Navarrus, c. 12, n. 63 et 73, Azor, lib. 11, c. 17, quær. 5 (apud quem præterea afferuntur Angelus, Paludanus, Innocentius, Joannes Andreas, Hostiensis), Giribaldi, c. 6, dub. 2, n. 14, ubi plures alii referuntur; hanc alteram sententiam Salmanticenses, c. 3, p. 3, n. 31, et S. Alphonsus, lib. 3, sine causa.

n. 228, dicunt *veriorem*, qui modus loquendi fortasse nimius est.

436. Item *moraliter certum est a prælatis religionum directe irritari posse vota religiosorum;* cfr. Suarez, lib. 6, c. 7, n. 1-6; Castropalao, tr. 15, disp. 2, p. 8, n. 1 et 2, etc.

Prælati regulares directe irritare possunt

437. Nomine *prælatorum* veniunt illi omnes quibus religiosi, ob religiosum statum, subditi sunt, videlicet: a) *Summus Pontifex*, non quidem ex communi titulo supremæ jurisdictionis quam in Ecclesiam habet, sed ex vi professionis et obedientiæ religiosæ; nam ipse est qui principaliter illam acceptat. b) *Episcopus* saltem in determinatis casibus, de quibus ita Suarez, l. c. n. 18: « Idemque erat olim cum proportione de episcopis, quando religiosi erant illis immediate subjecti, et in eorum manibus profitebantur, et fere illis erat commissa religionum approbatio pro suis diœcesibus. Nunc vero non habent episcopi illam potestatem in religiosos exemptos, quia nec sunt sub eorum jurisdictione, nec illis specialem obedientiam vovent. Habent tamen illam in moniales sibi proxime subjectas, et in alios, si qui sunt, qui in manibus eorum profitentur et sub eorum obedientia immediate versantur ». c) Omnes *superiores* ordinarii uniuscujusque ordinis a proximo usque ad supremum, nimirum generales, provinciales, abbates, rectores, guardiani, priores, etc., cum debita tamen subordinatione inter se; si quos autem habent sub se coadjutores regiminis, ut vicarios vel ministros, illis non competit hæc potestas ordinaria, sicut nec spiritualem jurisdictionem habent nisi delegatam accipiant, vel quando in absentia prælati vicem illius gerunt cum tota jurisdictione, juxta uniuscujusque religionis consuetudinem. Cfr. Suarez, l. c. n. 17. d) Disputatur tamen utrum idem dici de-

beat de monialium *abbatissis* et superiorissis. Cfr. Castropalao, disp. 2, p. 8, n. 7.

religiosorum vota

438. Nomine autem *religiosorum* non intelliguntur novitii; cfr. Castropalao, l. c. n. 10, sed soli *professi*, qui nempe vota emiserunt, et quidem illi tantum qui professi sunt in ordine qui essentiam religionis habeat; non tamen requiritur ut emissa fuerint vota solemnia; cfr. Suarez, l. c. c. 7, n. 10, et Castropalao, l. c. n. 8.

quæ proprium statum non constituant.

439. A prælatis directe irritari possunt vota religiosorum, *quæ proprium statum non constituant*, excepto voto ingrediendæ religionis strictioris; cfr. Suarez, l. c. n. 7 et 8. Dicimus autem; *quæ proprium statum non constituunt;* nam quæ talem statum constituunt irritare nequeunt, siquidem ab ipsis, tamquam a fundamento, provenit hæc irritativa potestas. Unde prælati irritare non possunt vota castitatis, paupertatis et obedientiæ, quia in ipsis status religiosus consistit; nec irritare possunt vota huic statui ex dispositione Pontificis adnexa, quale est votum redemptionis captivorum in religione Mercenariorum, etc., quia accessorium sequitur principale. Dicimus etiam: *excepto voto religionis strictioris,* cujus executio, sicut non potest a prælatis impediri, ita non potest irritari; cfr. Suarez, l. c. n. 9 et Castropalao, l. c. n. 3 et 4. Dubitatur tamen primo: utrum prælati irritare possint directe vota *emissa ante professionem*, tempore scilicet quo vovens erat sui juris; et responderi solet negative; cfr. Castropalao, tr. 15, disp. 2, p. 3, § 5, n. 1, quamquam hoc parum referat, siquidem pro hujusmodi votis irritatio non sit necessaria, quum professione, tamquam perfectissima solutione, extinguantur. — Dubitatur secundo: utrum prælati directe irritare possint vota emissa tempore subjectionis sed *adimplenda quando subjectio cessaverit;* et censemus respondendum esse affirmative; cfr. Castropalao, l. c. § 4, n. 1.

— Dubitatur tertio: utrum a prælato irritari possint vota religiosi cum ipsius prælati *licentia emissa* vel ab ipso *confirmata;* et hic distinguere debemus: si licentia vel confirmatio data fuerit a superiore, puta provinciali, inferior, v. g. guardianus, ea irritare certo nequit; at si licentia vel confirmatio data fuerit ab inferiore, certo superior ea irritare potest; si vero agatur de eodem vel æquali, eos votum adhuc irritare posse concedunt illi etiam qui aliter loquuntur de parentibus relate ad filios; cfr. Suarez, l. c. c. 8, et Castropalao, l. c. § 2, n. 14. — Tandem dubitatur quarto: utrum vota emissa tempore subjectionis possint irritari *quando subjectio cessavit;* et respondendum est negative; prout optime explicat Castropalao, l. c. § 3, n. 3: « Hinc infertur, nullum prælatum regularem posse irritare vota religiosi in episcopum assumpti; quia assumptione episcopatus, a prælatorum regularium potestate religiosus exemptus est; at, quia exemptus non est a Pontifice, utpote supremo regularium prælato, ea de causa, Pontifex illius vota irritare poterit, sed nullus alius... Si vero deposito episcopatu ad religionem redeat, jam poterunt prælati regulares vota ante episcopatum emissa irritare; quia iterum in eorum subjectionem religiosus rediit; imo irritare poterunt vota tempore episcopatus emissa, utpote facta a vero religioso, et consequenter sub conditione beneplaciti sui superioris, quicumque fuerit. »

Maritus non potest directe irritare vota uxoris.

440. *Non desunt qui existimant a marito irritari posse vota uxoris, non solum indirecte, de quo statim dicemus, sed etiam directe;* cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 234. Hi tamen excipiunt vota emissa a femina ante matrimonium; cfr. Castropalao, disp. 2, p. 3, § 5, n. 3; excipiunt etiam votum religionis in omnibus illis casibus in quibus hujusmodi votum impleri a conjuge potest altero invito; cfr. Castropalao, l. c. p. 7, n. 7; tandem excipiunt communiter votum

castitatis mutuo consensu emissum : an satis consequenter, dubitari potest; aliunde enim admittunt maritum irritare posse vota uxoris etiam a se approbata et confirmata, imo post matrimonium solutum adimplenda; cfr. S. Alphonsus, n. 259. Cæterum hanc sententiam, quæ marito tribuit facultatem directe irritandi vota uxoris, nulli innixam esse solido fundamento, alibi demonstravimus: cfr. *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 33, p. 472.

II. De irritatione voti indirecta.

Irritatio indirecta supponit potestatem in res et actiones voventis.

441. *In tantum unusquisque alterius vota personalia vel realia indirecte irritare valet, in quantum potestatem habet super res et actiones voventis:* est doctrina communis et certa; et ratio patet ex lege naturæ, vi cujus nemo potest alteri promittere aliquid in præjudicium tertii.

Indirecte irritare valent: parentes vota filiorum puberum,

442. *Hinc parentes indirecte irritare possunt vota realia filiorum puberum, quando nempe versantur circa res quibus isti puberes non fruuntur vel quarum administrationem non habent; item parentes irritare possunt vota personalia puberum quando versantur circa actiones quæ curæ paternæ vel regimini familiæ subsunt.* Attamen parentes, ne indirecte quidem, irritare possunt vota realia vel personalia puberum quæ versantur circa actiones et res in quibus puberes sunt sui juris. Hinc parentes irritare non possunt filii puberis votum castitatis, religionis, nec votum frequentandi sacramenta confessionis et communionis, fundendi moderatas preces, servandi divina præcepta, etc.; at irritare possunt votum diuturnæ peregrinationis, et alia hujusmodi. Porro nomine *parentum* hic veniunt pater et illi quibus in defectu patris cura incumbit gubernandi bona vel personam minoris; an vero, si desint pater et curator, valeat mater vota puberis indirecte irritare,

non omnino liquet; cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 230, et Castropalao, l. c. p. 7, n. 14, 15. Nomine vero *puberum* hic videntur intelligendi non illegitimi sed soli legitimi; cfr. Sanchez, l. c. c. 55, n. 82; et quidem minores non emancipati, si agatur de votis realibus, quamvis, si agatur de votis personalibus, comprehendantur majores, quamdiu manent sub auctoritate paterna; cfr. Suarez, l. c. lib. 6, c. 5, n. 12; Castropalao, l. c. n. 2.

maritus vota uxoris,

443. *Maritus indirecte irritare potest vota uxoris, quæ vel præjudicant juribus matrimonialibus vel versantur circa actiones et res quæ subsunt regimini domus et familiæ; vicissim uxor indirecte irritare potest vota mariti, quæ suis juribus matrimonialibus præjudicium afferrent;* cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 235. Ex quibus solvi potest questio an vir et mulier æqualem potestatem habeant vota indirecte irritandi, de qua cfr. Suarez, l. c. lib. 6, c. 4, n. 11 et 12.

prælati regulares vota subditorum etiam novitiorum,

444. *Superiores ordinum religiosorum indirecte irritare possunt vota novitiorum, in iis quæ impediunt regulæ impletionem, vel saltem quæ ad regulam pertinent;* cfr. Suarez, l. c. c. 7, n. 12.

domini vota servorum,

445. *Domini indirecte possunt irritare servorum vota, non quidem omnia, sed ea quæ versantur circa actiones et res in quibus servi a dominis pendent;* cfr. Suarez, l. c. c. 3. Idem cum proportione dicendum est de *heris* relate ad *famulos*.

Pontifex vota fidelium.

446. *Summus Pontifex potest aliquando irritare indirecte vota fidelium cujuscumque status, et hanc potestatem cum proportione participant inferiores prælati; imo et in superioribus temporalibus eadem auctoritas suo modo et per quamdam consecutionem invenitur.* « Prima pars hujus assertionis sumitur ex doctrina communi.... Probatur, quia in aliquibus votis includitur conditio: *si Papa licentiam præbuerit*, ut maxime in episcopis cernitur; ergo talia vota irritari poterunt a

Papa licentiam denegante; item alia vota includunt conditionem : *si Papa non contradixerit*, quod facere potest, quando materia voti ad ipsum aliquo modo pertinet, et illi vel commodis Ecclesiæ potest afferre aliquod præjudicium. Unde per argumentum a contrario facile colligitur, hanc potestatem Pontificis ad irritanda vota episcoporum etiam indirecte non extendi ad omnia illorum vota, sed solum ad ea quæ possunt afferre præjudicium Ecclesiæ vel quæ, ob specialem rationem, habent materiam pertinentem ad jus Pontificis. Nam in reliquis actibus, sicut non potest Papa omnes actus bonos prohibere episcopo, vel limitare ut sine licentia sua illos facere non possit, ita nec potest prohibere quin de illis possit firma et absoluta vota facere, et consequenter nec vota de illis irritare... Denique eadem ratione colligitur hanc Pontificis potestatem cum proportione habere posse locum in omnibus fidelibus tam clericis quam laïcis, principibus et plebeis, quamvis usus ejus frequentius habeat materiam in clericis quam in laïcis... Præterea hinc facile probantur aliæ partes assertionis : nam episcopi et alii prælati ecclesiastici in suis diœcesibus habent jurisdictionem sibi proportionatam, ratione cujus possunt hoc vel illud prohibere, in ordine ad spirituale bonum subditorum; ergo mediante tali prohibitione ex parte materiæ, poterunt irritare aliqua vota subditorum, licet non omnia. Et sic in clericis qui tenentur ecclesiæ servire, poterunt irritare vota quæ præjudicent debito muneri, vel ad quorum executionem fuerit licentia necessaria. In aliis vero minime habet locum talis irritatio... Denique idem cum proportione applicari potest ad laïcos vassales respectu regis, imo ad quemcumque voventem aliquid, quod sine consensu alterius licite exsequi non potest. » Ita Suarez, l. c. lib. 6, c. 2, n. 6.

Prædictæ potestatis extensio;

447. Ex natura irritationis indirectæ sequitur a) potestatem irritandi indirecte sese extendere ad vota emissa tempore quo vovens erat sui juris; cfr. Castropalao, disp. 2, p. 5, § 5, n. 1; — sequitur b) eamdem potestatem non se extendere ad vota adimplenda tantum subjectione semel dissoluta, licet emissa fuerint tempore subjectionis; cfr. Castropalao, l. c. § 4, n. 1; — sequitur c) talem potestatem exerceri non posse quando subjectio cessavit, etiam relate ad ea vota quæ tempore subjectionis emissa fuerint, neque tunc irritata; cfr. Castropalao, l. c. § 3. Dubitatur autem an quis possit indirecte irritare alterius vota a se permissa vel approbata: affirmandum videtur si agatur de simplici licentia vel approbatione; cfr. Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 27, n. 9 et seqq.; si vero agatur de licentia vel approbatione conjuncta cum promissione explicita vel æquivalenti non revocandi, distinguendum est: adhuc valet irritatio quæ innititur potestati gubernandi, at non valet irritatio quæ fit virtute dominii in rem vel actionem: in priori enim casu ille qui permisit vel approbavit, non potuit jure suo cedere, saltem ordinarie, nisi scilicet sermo sit de iis adjunctis in quibus potestas gubernandi vel administrandi est in bonum et commodum ipsius gubernantis solius; in posteriori autem casu, permittens vel approbans censetur cessisse jure suo; cfr. Sanchez, l. c. n. 21. Atque ex his intelligitur ratio sententiæ communis, quod nullus conjux indirecte irritare possit votum castitatis mutuo consensu emissum. Cfr. Sanchez, lib. 4, c. 34, n. 14 et 15, et *De Matrim.* lib. 9, disp. 40, n. 20.

causa requisita ad irritandum indirecte.

448. De causa requisita ad votorum irritationem indirectam proprie dictam, eodem fere modo loquendum est ac de irritatione directa parentum, et consequenter etiam prælatorum; quæ autem in contrarium docere videtur Suarez, l. c. c. 1, n. 9,

non respiciunt nisi irritationem improprie dictam, quando nimirum præcipitur aliquid incompossibile cum voto.

§ II.

De dispensatione voti.

Potestas dispensandi in voto, s. u remittendi nomine Dei debitum voto contractum

449. *Dispensatio* voti est *debiti voto contracti remissio nomine Dei facta per superiorem legitimum;* unde maxime differt a dispensatione in lege, siquidem hæc sit directa relaxatio obligationis, illa vero directa abrogatio facti, qua posita, obligatio ipsa extinguitur; vocatur autem prædicta debiti remissio nomine *dispensationis*, quia non Deus ipse immediate, sed per suum vicarium et quasi *dispensatorem* eam facit. Porro facillime intelligi potest tali modo fieri dissolutionem pacti et extingui obligationem. « Nam etiam inter homines hoc modo tolluntur obligationes promissionum, et rex posset committere officiali suo ut promissiones sibi factas relaxaret, vel componeret: ita ergo intelligere possumus fecisse Deum. Et tunc non dispensatur in jure divino,... sed est dispensatio in jure Deo acquisito per votum, quod suo modo ad factum pertinet, quatenus jus dicit actionem ad debitum. Quo modo possunt homines dici dispensatores jurium seu bonorum Dei, sicut a Paulo dicuntur *dispensatores mysteriorum Dei*, 1 Cor. 4. Nam si possunt remittere peccata, quibus homo maxime efficitur debitor Dei, quid mirum quod possint remittere debita promissionum Dei? » Ita Suarez, l. 6, c. 9, n. 15; cfr. *Theol. mor. fund.* n. 106 et 215.

competit Ecclesiæ.

450. *Adesse autem, saltem penes Ecclesiam, talem potestatem dispensandi in votis nomine Dei, omnino certum est,* et manifeste probatur ex usu et traditione ipsius Ecclesiæ; tam frequens enim est usus talis dispensationis in Ecclesia tamque antiquus, ut de potestate dubitare non liceat; nam esset intol-

lerabilis error in Ecclesia in re maxime necessaria ad mores, quod ejus sanctitati repugnat. Cfr. Suarez, l. c. n. 7. Diximus autem: *saltem penes Ecclesiam*, ut præscindamus a questione, an, seclusa speciali Christi institutione, similis potestas exstitisset sub lege naturali, an exstiterit apud Hebræos, etc. Cfr. Suarez, l. c. n. 18.

I. De votis in quibus dispensari potest.

Potestas dispensandi Ecclesiæ concessa est generalis:

451. Potestas dispensandi in votis Ecclesiæ concessa omnino generalis est, atque idcirco dicendum est *nullum esse votum, quod saltem ratione sui relaxari nequeat.* Difficultates tamen moveri possunt relate ad vota *facta in favorem tertii*, necnon relate ad vota *solemnia*.

452. Et quidem quantum ad vota facta *in favorem tertii*, solet dici, in eis dispensationem non concedi; verum hoc explicatione indiget. Duplici enim modo emitti potest votum in favorem tertii, nempe vel ita ut *unica* fiat promissio, scilicet *Deo*, vel ita ut promissio fiat *simul Deo* et *homini*.

hinc dispensabilis est promissio Deo facta in commodum tertii,

453. *Si promissio facta fuerit soli Deo, licet cedat in bonum tertii* (v. g. voveo me eleemosynam Petro pauperi elargiturum), *votum illud dispensari potest non secus ac cætera alia;* quia per tale votum non acquiritur jus tertio, et ideo per dispensationem non fit illi præjudicium verum; cfr. Suarez, l. c. lib. 6, c. 15, n. 3-6.

licet generatim dispensabilis non sit promissio facta tertio;

454. *Si autem promissio facta fuerit simul Deo et homini, tenendum imprimis est, regulariter in promissione humana non posse directe dispensari;* nam vi talis promissionis est jus tertio acquisitum, de quo Ecclesia disponere nequit. Diximus *regulariter* non posse dispensari in promissione humana, quia duplex casus excipi debet. Unus est, quando promissio facta est ecclesiæ et prælatus est dispensator

bonorum et jurium talis ecclesiæ, et ex justa causa potest remittere vel compositionem facere in debitis ejusdem ecclesiæ, ut maxime est Papa vel interdum episcopus: et tunc non fit proprie exceptio a regula posita, quia jam tunc consentit creditor cui facta erat promissio. Alter casus est, quando tanta est necessitas et causa dispensationis, ut possit Pontifex cogere privatum ut cedat jure suo, vel illum invitum privare propter commune bonum. Cfr. Suarez, l. c. n. 7. Diximus etiam non posse in humana promissione dispensari *directe*, quia promissionis obligatio tolli potest *indirecte*, per dispensationem in alio actu a quo simpliciter pendet.

455. Quod vero pertinet ad promissionem factam Deo, rursus plura distinguenda sunt. Vel enim utraque promissio facta est *mere concomitanter*, vel *una cum altera connexa* est. In hoc autem secundo casu vel promissio facta Deo est *principalis*, promissio vero facta homini est *secundaria*, vel utraque promissio est *æque principalis* et *primaria*.

item promissio concomitanter sed seorsum facta Deo et homini per se dispensabilis est quoad obligationem erga Deum, quamvis dispensabilis non sit quoad obligationem erga hominem;

456. *Jam vero quando utraque promissio facta est mere concomitanter et sine relatione unius ad alteram* (v. g. voveo me Petro daturum eleemosynam, et deinde promitto Petro me eam eleemosynam ipsi elargiturum, quin de voto aliquid dicam), *nulla apparet repugnantia quin tollatur solum votum relicta obligatione promissionis humanæ;* « nihilominus regulariter non habet locum talis dispensatio, quia semper promissum præstandum est secundum rectam rationem; et ideo vix dari potest justa causa ad auferendam majorem obligationem. » Absolute tamen « non repugnat interdum justam causam intercedere ad tollendum solum vinculum voti, ut postea possit facilius compositio fieri quam fortasse æquitas vel moralis necessitas postulat. » Suarez, l. c.

imo dispensabilis est promissio Deo

457. *Quando promissio erga Deum est principalis, et promissio erga hominem secundaria, ita ut poste-*

facta cui secundario conjuncta est promissio erga hominem;

rior sit priori omnino subordinata, videtur dispensatio concedi posse relate ad promissionem factam Deo; hoc autem casu simul cessare etiam potest obligatio erga hominem, si nempe hæc contracta fuerit per promissionem gratuitam; secus si per promissionem onerosam. Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 255, ad verba: Dubium magnum est, etc.

at per se dispensabilis non est promissio Deo facta quam intrinsece afficit promissio facta homini.

458. *Tandem quando utraque promissio est æque primario intenta, sive promissio erga Deum pro objecto habeat promissionem erga hominem* (v. g. promitto Petro pauperi eleemosynam et voveo me hanc eleemosynam elargiturum), *sive e contra promissio erga hominem pro objecto habeat promissionem erga Deum* (v. g. voveo eleemosynam et hanc eleemosynam promitto Petro pauperi), *non potest per se et regulariter votum dispensari:* quia per dispensationem in voto attingeretur ipsa promissio homini facta, et consequenter jus tertio acquisitum læderetur; non enim in casu indicato qualiscumque promissio acceptata est sed promissio voto conjuncta.

Dispensari potest in votis solemnibus.

459. Quantum deinde ad vota *solemnia* in religionibus emissa, multi olim existimaverunt ea esse indispensabilia; at hæc sententia jam fere derelicta est, et merito quidem. Nam a) si sola rerum natura inspiciatur, nihil est quod ostendat vota religionis solemnia solvi non posse: etenim hujusmodi vota indispensabilia essent vel propter eorum materiam vel propter ipsorum solemnitatem; atqui non sunt indispensabilia propter solam materiam circa quam versantur, ut per se patet, nec indispensabilia dici possunt propter solemnitatem, quum hæc solemnitas sit juris mere ecclesiastici. — Si autem b) consideretur positiva voluntas Christi legislatoris supremi, nihil prorsus est quod ostendat prædicta vota a generali potestate Ecclesiæ concessa fuisse excepta. — Imo c) pro potestate Ecclesiæ circa vota religionis argumentum validum exinde deduci potest quod, juxta omnes,

Ecclesia dispensare valeat in voto solemni subdiaconorum. — Fortius adhuc d) pro eadem potestate argumentum habetur in constanti praxi Sedis Apostolicæ, quam testatur v. g. Ferraris v° *Votum*, a. 3, n. 68. — Aliunde e) argumenta quæ pro opposita sententia afferuntur nihil aliud evincunt nisi quod non possit aliquis a votis solemnibus solvi simulque manere monachus. Cfr. Suarez, *De Religione*, tom. 3, lib. 6, c. 16; Lessius, lib 2, c. 40, dub. 19, n. 141; Cajetanus, in 2.2, q. 88, a. 11; Collet, *De Religione*, p. 2, c. 5, s. 3.

II. De iis qui dispensare possunt in votis.

460. Facultas dispensandi est pars jurisdictionis, ac proinde, sicut ipsa jurisdictio, distinguitur in *ordinariam* et *delegatam*.

461. *Facultate ordinaria dispensandi in votis ii soli fruuntur qui jurisdictionem habent spiritualem, et quidem in foro externo;* patet ex eo quod talis dispensatio pertineat ad regimen Ecclesiæ.

Facultas dispensandi in votis primario, principaliter et in supremo gradu perfectionis est penes Summum Pontificem;

462. *Itaque potestas ordinaria dispensandi in votis immediate ac de jure divino, seu primario et principaliter et in supremo gradu perfectionis, est in Summo Pontifice.* Cfr. Suarez, *De Voto*, lib. 6, c. 10, n. 2, ubi optime notat eamdam esse rationem « de hac potestate et de tota quæ est in Pontifice; nam illa unica est et indivisibilis, cujus actus quidam est hæc dispensatio. Unde sicut in aliis habet illa potestas summam perfectionem, ita in hoc actu. Possunt autem notari nonnullæ prærogativæ, quæ ad ea quæ dicemus conferent. Prima, quod a nullo alio in terris pendet, omnis autem potestas in hoc genere ab ipso pendet; unde fit ut possit sibi reservare vota respectu omnium aliorum prælatorum, quod nullus facere potest respectu ipsius, quia caput est. Secunda, quia hæc potestas in Pontifice

est universalis. Tertia prærogativa est, qua hæc potestas a Pontifice manat ad alios omnes qui illam participant, sive jure ordinario sive per delegationem. » Concludendum itaque est, Romanum Pontificem, quia habet plenitudinem ecclesiasticæ auctoritatis, dispensare posse in omnibus fidelium votis formaliter sumptis. Cfr. supra n. 451 et seqq.

pœnitentiarius, legati et episcopi jure ordinario dispensare possunt in votis

463. *Deinde pœnitentiarius et legatus apostolicus gaudent dispensandi potestate, quæ, licet sit ex commissione Pontificis, est tamen in eis ratione muneris et ordinario jure, et ideo non censetur esse delegata sed ordinaria: similis potestas ordinaria est in episcopis, et consequenter in vicario capitulari, sede vacante, necnon in prælatis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus;* non tamen in prælatis episcopo inferioribus, quales sunt vicarii generales, archidiaconi, decani christianitatum; et multo minus reperitur in parochis. De cardinalibus autem nihil certo definitur; cfr. Suarez, l. c. n. 3-10; S. Alphonsus, lib. 3, n. 257.

quæ non sunt Summo Pontifici reservata;

464. *Jam vero episcopi (et idem cum proportione valet pro nuntiis) dispensare possunt in omnibus votis quæ non fuerunt Summo Pontifici reservata.* Sunt autem, sive ex jure scripto sive ex consuetudine, Summo Pontifici reservata quinque vota, præter *solemnia*, nimirum vota *castitatis* et *religionis*, necnon *peregrinationis Jerosolymitanæ, Compostellanæ* et *Romanæ;* cfr. Suarez, l. c. lib. 6, c. 21; Castropalao, l. c. disp 2, p. 10, n. 5.

nullum votum Pontifici reservatum censetur nisi fuerit perfectum

465. *Quoniam reservatio est res odiosa, locum non habet in prædictis votis nisi fuerint omnino perfecta*, nimirum tum ex parte *actus*, tum ex parte *modi*, tum ex parte *materiæ*.

tum ex parte actus,

466. Et quidem ex parte *actus*, ad reservationem voti requiritur a) ut vovens voluerit se obligare *sub gravi;* cfr. S. Alphonsus, l. c. n. 258, notandum III; — requiritur b) ut vovens nullo metu

incusso ab alio coactus fuerit; cfr. S. Alphonsus, l. c.; — requiritur c) ut vovens plenam habuerit discretionem, adeoque, juxta multos, non sunt reservata vota impuberum; cfr. Loiseaux, *Traité canonique et pratique du Jubilé*, c. 6, a. 2, s. 1, § 3, 3e point, n. 16-18; — requiritur d) ut vovens ad rem se obligaverit ex affectu ad ipsam, saltem ut medium est; hæc conditio non sic ab omnibus ponitur: nonnulli enim eam minime necessariam esse putant; alii e contra arbitrantur eam non sufficere, et dicunt votum esse reservatum nisi procedat « ex perfecto et solo affectu ad rem promissam »; ita S. Alphonsus, lib. 3, n. 261; verum hi non videntur sibi cohærere, nec principium suum audent applicare votis absolutis; cæterum, juxta omnes, nihil ad reservationem facit illud quod se habuerit tantum per modum occasionis vel applicationis voluntatis ad vovendum.

tum ex parte modi,

467. Ex parte autem *modi*, ad reservationem requiritur ut votum sit determinatum et absolutum. Hinc a) votum disjunctivum præstandi vel opus reservatum vel aliud opus non reservatum, reservatum non est; imo non desunt qui existimant votum non fieri reservatum etiam postquam pars reservata electa fuerit; cfr. S. Alphonsus, l. c. n. 224; Loiseaux, l. c. n. 6-9; at, ut nobis saltem videtur, aliter loquendum est de casu quo pars non reservata impossibilis evadat. — Hinc b) vota conditionata non sunt reservata antequam conditio fuerit impleta; an autem reservata fiant post impletam conditionem, non undequaque liquet: arbitramur ea reservata esse, imprimis si conditio fuerit simplex et nuda, v. g. promitto castitatem si confessarius consenserit; item si conditio apposita fuerit per modum pacti cum Deo, v. g. voveo religionem si pater meus sanitati restituatur; rursus si conditio apposita sit per modum pœnæ medici-

nalis, v. g. voveo religionem si tale peccatum commiserim, ut sic pericula et occasiones evitem; secus autem si apposita fuerit per modum pœnæ vindicativæ, v. g. peregrinabor ad limina Apostolorum si inimicum interfecero; ratio est quia in prioribus casibus votum procedit ex affectu ad rem, saltem tamquam medium, non autem in ultimo; cfr. Suarez, l. c. c. 22 et 23; Loiseaux, l. c. n. 20 et seqq.; quibus contradicit S. Alphonsus, l. c. n. 261, cum Sanchez aliisque non paucis.

tum ex parte materiæ;

468. Tandem ex parte *materiæ*, ad reservationem requiritur ut vovens eam *integram* voluerit. Hinc a) castitas intelligitur *perpetua et completa;* et sic non est reservatum votum non contrahendi matrimonium, votum non fornicandi, non se polluendi, non tangendi turpiter mulierem, votum non petendi debitum, votum castitatis pro tempore determinato. Idem dicendum est de voto assumendi ordines sacros, de voto castitatis conjugalis servandæ. Cfr. Salmanticenses, l. c. c. 5, p. 12, n. 104; S. Alphonsus, lib. 3, n. 258. Deinde b) religio intelligitur *proprie dicta;* adeoque reservatum non est votum religionis non approbatæ, quia vere non est votum religionis, nec votum paupertatis et obedientiæ extra statum religiosum. Cfr. Salmanticenses, l. c. n. 105; nec videtur reservatum votum ingrediendi ordinem in quo non emittuntur vota solemnia, nisi iste ordo privilegium religionis a Sancta Sede obtinuerit; cfr. Loiseaux, l. c. n. 42 et seqq. Tandem c) peregrinatio Romana, Hierosolymitana, Compostellana, intelligitur ad *Limina Apostolorum*, ad *loca sancta a Domino consecrata*, ad *basilicam divi Jacobi, et quidem ex devotione horum locorum*. Ita Salmanticenses, l. c.: « Nec votum peregrinationis Romanæ, Compostellanæ aut Hierosolymitanæ, emissum ob alium expressum finem quam devotionis causa, reservatum est... Quare si quis vo-

veret Romam ire ad salutandam imaginem B. Mariæ Majoris, aut ad osculandos pedes Pontificis, etc., aut voveret Hierosolymitanam peregrinationem ad invisendos vel communicandos viros sanctos ibi existentes, aut Compostellanam ad visitandam aliam basilicam quam divi Jacobi, votum reservatum non esset. »

præterea sola voti substantia reservata est.

469. Cæterum *reservatio afficit tantum substantiam voti, minime vero ejus circumstantias*; ex quo deducitur « votum castitatis, religionis et peregrinatonis, emissum sub aliqua circumstantia accidentali, reservatum non esse qua parte illam circumstantiam spectat; quia, seclusa illa circumstantia, in integrum manet votum reservatum. Unde, si voveas ingredi religionem strictiorem, poterit prælatus tecum dispensare ut laxiorem ingrediaris, quia non dispensat in religionis voto, hoc enim integrum manet, sed in illius circumstantia... Idem est de voto perseverandi in religione, quia non est votum religionis; et idem est de voto exsequendi statim votum religionis, quia est votum distinctum a voto religionis... Ad idem est votum peregrinandi pedibus vel mendicando, quia sublata hac circumstantia intactum remanere potest votum reservatum. » Ita Castropalao, l. c. disp. 2, p. 11, n. 4; cfr. Loiseaux, l. c. n. 44 et seqq. Cum tamen aliunde substantia materiæ, in quam cadit reservatio, adesse debeat, sequitur reservatum non esse votum illud in quod reservatum commutatum est: ut si Pontifex votum religionis in eleemosynam, jejunium aliudve opus pœnale commutaret; quia, facta commutatione, votum de materia reservata extinctum est, et loco illius subrogatum est aliud votum de materia non reservata. Cfr. Castropalao, l. c. n. 5.

In votis reservatis episcopi quandoque dispensa-

470. *Quamvis itaque in prædictis votis episcopi dispensare nequeant jure ordinario, illud tamen possunt ex jure quasi ordinario fundato in benigna vo-*

re possunt tum ex jure quasi ordinario fundato sive in benigna voluntate Pontificis,

luntate Pontificis, in casu necessitatis urgentis, quando. nempe periculum est in mora et nec Pontifex ipse, nec ejus vices gerens ad id specialiter deputatus facile adiri potest. Cfr. Suarez, l. c. lib. 6, c. 26, n. 10 et seqq., ubi ad majorem hujus puncti declarationem, advertit vir summus « inter vota reservata quatuor esse affirmativa, scilicet peregrinationum et religionis, licet votum religionis quamdam etiam negationem includat, scilicet non ducendi uxorem, animo saltem consummandi matrimonium. Inter affirmativa autem vota et negativa, hæc est differentia quod affirmativa non obligent pro semper sicut negativa, sed pro aliquo certo tempore. Ex qua differentia nascitur, ut in votis affirmativis raro aut nunquam sit necessaria dispensatio episcopi propter imminentem necessitatem vel periculum..; quia ad subveniendum tali necessitati sufficit dilatio executionis voti... In voto autem castitatis non habet locum dilatio, sed vel servandum est, vel, si ejus executio habet aliquod grave periculum vel, incommodum..., dispensatione vel commutatione ejus obligatio tollenda est. Et ideo fortasse auctores de hoc voto in particulari maxime tractant præsentem quæstionem. Eadem vero ratio est de voto religionis, quatenus obligat ad non contrahendum vel consummandum matrimonium; nam si periculum imminens sit in contrahendo vel in differendo matrimonio usque ad responsum Pontificis, tunc non habet locum dilatio voti..., et ideo necessaria est dispensatio..... Verumtamen, observare hic etiam oportet, cum illa sententia solum fundetur in quadam veluti epikia, seu pia interpretatione, non esse extendendam ultra id, quod in toto rigore exigit moralis necessitas: ut si necessitas sit contrahendi matrimonium statim et sine mora, ne sequantur scandala, vel gravis infamia nobilis feminæ, vel ne quis moriatur infecto matrimonio sine legitima-

tione filiorum, et fortasse cum animæ periculo, vel similia, tunc non est simpliciter auferendum votum religionis, sed solum cum limitatione ad semel contrahendum cum tali persona, et ad talem finem, non alio modo; et si fuerit votum castitatis, cum eadem limitatione, et præterea relicta obligatione servandi castitatem conjugalem, et sic de aliis: quia hoc modo satisfit necessitati, et servatur reservatio, quantum fieri potest. Quod si hæc vera sunt, vix unquam poterit episcopus hoc titulo dispensare totaliter in his votis. Nam in voto religionis, licet totum videatur auferri quodammodo, tamen magis suspenditur quam auferatur, licet suspensio sit ad tempus quoddam indefinitum, scilicet durante illo matrimonio cujus licentia conceditur; in voto autem castitatis, etiam est partialis tantum dispensatio ex parte materiæ, quia, licet posset concedi licentia non tantum ad reddendum sed etiam ad petendum, quia moraliter loquendo non subveniretur sufficienter necessitati alio modo, nihilominus non est tollenda obligatio servandi castitatem conjugalem. » Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 258, notandum II.

sive in consuetudine,

471. *Præterea ex eodem jure quasi-ordinario, fundato in consuetudine, possunt episcopi in voto castitatis dispensare cum conjugibus in ordine ad petendum debitum;* cfr. S. Alphonsus, n. 258 in fine, et lib. 6, n. 987. Pro cujus intelligentia sciendum est, votum castitatis emitti posse ante contractum matrimonium vel illo contracto. Si ante contractum matrimonium emiseris votum, nulla adest in prælatis inferioribus consuetudo ut dispensare possint ad contrahendum nisi gravis necessitas urgeat, graviaque mala immineant ex dilatione dispensationis pontificiæ : constat ex nuper dictis. Quod si voto non obstante matrimonium contraxeris et consummaveris, poterit episcopus tecum dispensare ut petas, ob periculum incontinentiæ frequenter contin-

gens ex mutua cum altero conjuge cohabitatione. Idemque existimo dicendum, esto matrimonium non consummaveris: quia, cum satis probabile sit te non esse obligatum ad servandam castitatem promissam, ingredi religionem, utpote rem longe difficiliorem, neque in voto castitatis inclusam, necessario idem periculum incontinentiæ adest, eademque occasio dispensandi. Si vero post contractum matrimonium votum emiseris, subdistinguendum est: si fuit absque licentia conjugis cedentis jure petendi, clarum est posse prælatos inferiores dispensare, quia illud votum est castitatis partialis, non totalis et integræ. At si ex licentia conjugis cedentis jure petendi emiseris, (et idem est, cum mutuo consensu castitas promissa est) verius et probabilius censeo nullatenus posse: quia, facta hac cessione, non teneris, imo non potes cum altero conjuge cohibitare; cessat ergo incontinentiæ periculum ex mutua conjugum cohabitatione proveniens.

tum ex jure delegato.

472. *Porro ubi episcopi dispensare non possunt jure ordinario vel quasi-ordinario, illud facere quandoque valent potestate delegata, quæ tamen eisdem modo amplior modo restrictior conceditur pro diversis locorum circumstantiis et necessitatibus.* Sic v. g. pro variis missionum locis datur facultas « dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis. » Cfr. *Acta S. Sedis*, tom. 7, pag. 301.

Prælati regulares cum suis subditis dispensare possunt

473. *Habent etiam potestatem ordinariam dispensandi in votis subditorum prælati regulares, non tamen abbatissæ seu superiorissæ monialium;* cfr. Suarez, l. c. lib. 6, c. 10, n. 14. Quinam autem sint ii prælati non omnino constat; censet Suarez, l. c. n. 15, illos omnes prælatos « qui possunt irritare vota subditorum, posse etiam dispensare, si velint; atque ita non solum generales et provinciales, sed etiam

prælatos locales seu conventuales habere hanc potestatem. Et usus hoc confirmat. Ratio autem est, quia illi etiam jurisdictionem episcopalem participant, quia ex vi muneris eis committitur plena cura spiritualis subditorum, et hac ratione instituuntur cum sufficienti jurisdictione ad hoc munus et ad alia similia, ideoque sub nomine prælatorum proprio instituuntur. » Alii vero censent prædicta potestate ordinaria frui solos prælatos majores et absolutos, quales sunt generales et provinciales ordinum exemptorum et quidam abbates. Ita v. g. Sporer, tr. 3 in 2 *præc. Dec.* c. 3, s. 3, n. 50 : « Eamdem ordinariam potestatem extendit Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 40, etiam ad superiores locales, et in eorum absentia ad vicarios, cum plene vicibus prælatorum fungantur; sed credo eam potestatem esse potius communi consuetudine delegatam quam jure communi ordinariam. Prælati autem religionum non exemptarum id jure communi non possunt, nisi quatenus ex consuetudine vel episcopi concessione eis commissum est. » Cæterum, prior loquendi modus multo communior est.

in omnibus votis quæ non sunt Summo Pontifici reservata.

474. *Prælati regulares possunt cum suis subditis dispensare in omnibus votis quæ non fuerint Summo Pontifici reservata.* Advertendum autem est ea vota quæ Pontifici reservata sunt relate ad episcopos, esse etiam reservata relate ad prælatos regulares. Præterea advertendum est, nunquam omnino a prælatis regularibus dispensari posse in votis solemnibus, quantacumque necessitas excogitetur.

Facultatem delegatam dispensandi in votis habent confessarii approbati ordinum mendicantium.

475. *Potestate delegata in votis dispensare valent ii qui illam ab habentibus ordinariam acceperunt.* Ita præter episcopos qui vi quinquennalium in quibusdam votis dispensare possunt, in quibus dispensare nequeunt jure ordinario, ut jam vidimus, ex privilegio ab Apostolica Sede concesso, *confessarii approbati ordinum mendicantium* in votis dispensare

possunt, juxta sententiam passim receptam; cfr. Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 43; Salmanticenses, l. c. c. 3, p. 11, n. 93 et seqq.; Reiffenstuel, *Theol. mor.* tr. 6, dist. 3, quæst. 4, n. 44; Herinckx, tr. 4, disp. 4, q. 6, n. 70 et seqq.; Sporer, l. c. n. 54; Giribaldi, tr. 7, c. 6, dub. 6, n. 96; S. Alphonsus, lib. 3, n. 257, etc.; non desunt tamen qui de prædicto privilegio dubitent, inter quos Sasserath, l. c. q. 7, d. 2, n. 54; Billuart, *De Voto*, a. 8, § 4, ubi documentorum, quæ in ejus probationem afferuntur, crisim instituit. Demum, quantum ad eos qui sive a sacra pœnitentiaria, sive ab episcopo facultatem obtinent dispensandi in votis, nihil speciale dicendum occurrit. Cfr. *Theol. mor. fund.* n. 218, ubi exponitur quomodo facultas dispensandi sit interpretanda.

476. *Confessarii approbati ordinum mendicantium ex suo privilegio cum sæcularibus ad se venientibus dispensare possunt in omnibus votis in quibus episcopus dispensare valet jure ordinario;* possunt etiam dispensare in voto castitatis cum conjugibus in ordine ad petendum debitum; cfr. S. Alphonsus, lib. 6, n. 987; non tamen, juxta sententiam communiorem, dispensare possunt in casibus urgentis necessitatis, in quibus diximus episcopos dispensare posse, dummodo non agatur de votis solemnibus. Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 258, notandum II.

III. De iis quibuscum dispensari potest in votis.

In votis dispensare possunt:

477. *Potest in Ecclesia quoad vota dispensari cum omnibus fidelibus vivis.* Diximus primo cum omnibus *fidelibus;* quamvis enim nonnulli arbitrati sint dispensari posse etiam cum catechumenis, id tamen communiter negatur; cfr. Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 37, n. 37 et 38. Dicimus deinde cum omnibus fidelibus *vivis*, quia non idem admitti potest

quoad vota realia *defuncti*, quæ sunt ab hærede adimplenda; cfr. Sanchez, l. c. c. 24, n. 56 et 57.

Summus Pontifex cum omnibus Ecclesiæ membris;

478. *Et quidem Summus Pontifex dispensare potest cum omnibus membris Ecclesiæ militantis;* est enim universalis pastor; dubium tantum esse potest utrum secumipso dispensare valeat, de qua re cfr. *Theol. mor. fund.* n. 222; Suarez, l. c. lib. 6, c. 11, n. 2.

episcopi, cum suis diœcesanis;

479. *Episcopi possunt generatim dispensare cum suis diœcesanis,* ut sequitur ex principiis generalibus. Dubitatur tamen primo, utrum dispensare valeant cum solis incolis suæ diœcesis, an vero etiam cum *peregrinis;* illos dispensare posse etiam cum peregrinis, censet Pontius, *De Matr.* lib. 8, c. 4, n. 7, quam sententiam S. Alphonsus, lib. 1, n. 158, ait merito vocari probabilem a Castropalao; at si agatur de dispensatione concedenda vi potestatis ordinariæ, vix apparet fundamentum hujus opinionis, cum peregrini non sint subditi episcopo loci per quem transeunt; si vero agatur de dispensatione concedenda vi potestatis delegatæ, recurrendum erit ad consensum proprii episcopi peregrinorum, de quo tamen consensu minime constat; unde communissime negatur episcopum dispensare posse cum peregrinis; cfr. *Theol. mor. fund.* n. 223. — Dubitatur secundo, utrum episcopi dispensare valeant cum omnibus incolis suæ diœcesis, sive domicilium habeant sive *quasi-domicilium,* an vero tantum cum iis qui *domicilium* habent: episcopos dispensare posse cum iis solis qui domicilium habent, existimaverunt Suarez, l. c. lib. 6, c. 11, n. 11; Castropalao, tr. 3, disp. 6, p. 7, § 2, n. 7, aliique innixi præsertim quibusdam decretis S. C. C.; multo tamen communius et conformius ad principia generalia, affirmatur episcopos dispensare posse etiam cum iis qui in sua diœcesi habent tantum quasi-domicilium. — Dubitatur tertio, utrum epi-

scopi dispensare possint cum religiosis *exemptis*, qui, cedendo privilegio exemptionis, ad ipsos recurrerent; tenenda vero est sententia negativa; cfr. Suarez, l. c. n. 7. — Dubitatur quarto, utrum episcopi dispensare possint *secumipsis;* existimat Suarez, l. c. n. 4, ipsos talem potestatem non habere; contrarium tamen sentit Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 37, n. 41 et seqq. Ex dictis porro sequitur episcopos sua auctoritate in votis dispensandis uti posse erga absentes, imo et dum ipsi absentes sunt; cfr. Feije, *De imp. et Disp. matr.* n. 629.

prælati regulares cum suis subditis.

480. *Prælati regulares dispensare possunt cum suis subditis respectivis.* Dubium tantum est utrum etiam dispensare valeant cum *novitiis;* negat Suarez, l. c. n. 9, « quia prælatus religionis non habet simpliciter jurisdictionem episcopalem in novitium, sed tantum regimen illius pro tali tempore et ad talem finem; » nihilominus oppositum docet Sanchez, l. c. c. 39, n. 17; cfr. Castropalao, l. c. disp. 2, p. 10, n. 3 et 4.

481. De delegatis nihil peculiare observandum est, nisi quod confessarii approbati ordinum mendicantium dispensare valeant, vi sui privilegii, *cum omnibus sæcularibus undecumque ad se venientibus.* Cfr. Ballerini in nota b) ad n. 332.

IV. De causa requisita ad dispensandum in votis.

Ad valide dispensandum in votis

482. *Causa requiritur non solum ad liceitatem sed etiam ad validitatem dispensationis in votis.* Ratio est quia dispensans in votis non agit nomine proprio, sed nomine Dei, tamquam ejus procurator et œconomus; cfr. Suarez, lib. 6, c. 17, n. 3, et alii passim. Quid vero censendum sit de dispensatione bona fide concessa absque causa, vide apud S. Alphonsum, lib. 3, n. 251.

483. *Quamvis autem causa, ad dispensandum in votis requisita, non debeat esse tanta ut propter eam obligatio voti per se cesset certo vel probabiliter, debet tamen esse justa et rationabilis, et gravitati voti proportionata.* De qua re sic advertit Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 45, n. 19 : « Regulariter loquendo, multo major causa exigitur ad dispensandum in voto quam ad dispensandum in lege humana : quia strictior est obligatio juris divini naturalis quo votum obligat. Et ita docet Navarrus in *Summa*, c. 12, n. 57. Dixi *regulariter*, quia aliqua lex humana potest adeo bono communi conducere, ut graviorem dispensandi causam petat quam privatum votum. » requiritur causa justa et rationabilis,

484. *Hæc autem causa rationabilis et justa aliquando se tenet ex parte actus vovendi, aliquando ex parte executionis voti.* quæ se tenet

485. Ex parte quidem *actus vovendi*, causa dispensandi in voto est illius *imperfectio*, quæ locum habet quando quis vovit *indiscrete* ex ira, tristitia, ante pubertatem, etc.; vel coacte ex *metu* etiam levi, ex *dolo* circa circumstantias accidentales, etc. Cfr. Suarez, l. c. lib. 6, c. 17. n. 8; Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 45, n. 27-35; Sporer, tr. 3, in 2 *præc. Dec.* c. 3, s. 39, etc. aliquando ex parte actus vovendi,

486. Ex parte vero executionis voti, causa dispensandi est, si illa sit nimis *difficilis*, vel sit *occasio* aut *causa mali* sive spiritualis sive temporalis, vel *impediat* bonum majus privatum aut publicum. Hinc dispensationi locum haberi censet Castropalao, l. c. disp. 2, p. 9, n. 12; « primo, si votum, spectata communi hominum fragilitate, vel speciali dispositione voventis, occasio sit majoris ruinæ : quia tunc in Dei honorem et voventis utilitatem cedit dispensatio; quapropter dispensari poterit votum nunquam peccandi mortaliter, non petendi debitum in conjugatis, ob periculum transgressionis quod commu- aliquando ex parte executionis voti ;

niter adest; et idem est, si, spectata voventis fragilitate, imo malitia, frequentis violationis occasio fuerit... Sic Suarez... Sanchez... Laymann... Lessius. — Secundo, si in voti executione gravem difficultatem, nec satis prævisam sentias: nam esto insufficiens sit ut voti obligatio cesset, sufficit tamen ut dispensatio concedatur; tum quia executio voti non est satis voluntaria, tum quia benignitas Dei ostenditur remittendo promissionem sibi factam, ob difficultatem non prævisam quam habet promittens in illius executione; et præterea, quia regulariter cum gravi difficultate exsequendi votum, nec satis prævisa, conjunctum est periculum violandi illud; Sanchez... Suarez... — Tertio, si dubium sit votum esse impeditivum majoris boni; quia, stante hoc dubio, non satis constat, an votum illud gratum sit Deo; præstat ergo de medio tolli, tum ne honor divinus incertus sit, tum ut conscientia voventis secura reddatur. Suarez... Sanchez... Advertit bene Sanchez, majorem illius boni impediti bonitatem spectandam esse attenta voti materia non solum in se considerata sed etiam voto affecta; alioquin votum non impediet majus bonum... — Quarto, si ex voto bonum commune reipublicæ impediatur, præstat sufficientem causam dispensationi, quia videtur gratius Deo fore boni communis jacturam impedire, quam voti obligatione teneri. Unde si matrimonium judicetur expediens ad sedandos animos discordes, stabiliendamque pacem alicujus provinciæ vel civitatis, poterit adstrictus voto castitatis vel religionis dispensari, ut matrimonium ineat; et idem est de vovente jejunium, quod publicam lectionem vel concionem impediat; Suarez... Sayr... Sanchez... Laymann... — Quinto, si votum cedat in damnum propriæ domus vel familiæ, poterit dispensari; quia bono familiæ providere ad pietatem pertinet, essetque nimis dura et gravis obligatio, si cum hac jactura conservanda

esset. Ex quo fit, si peregrinationem vovisti et times ex tua absentia grave damnum domui vel familiæ obventurum, poteris dispensari; Suarez et Sanchez... Ob conservandam vero illustrem familiam, poterit votum religionis vel castitatis dispensari, admixta commutatione: quia cedit in honorem Dei creditoris hac benigna remissione uti, et in specialem Ecclesiæ honorem et protectionem familiarum illustrium conservatio; Sanchez... »

sufficientia hujus causæ prudenti arbitrio definienda.

487. Cæterum, sapientissime monet Suarez, l. c. c. 17, n. 14, « sufficientiam hujus causæ (ad dispensandum) prudenti arbitrio esse definiendam, nec posse certam aliam regulam præscribi. Nam quæ traditæ sunt deserviunt ad firmandum animum dispensantis. Oportet enim præ oculis habere, non semper singulas sufficere ad votum omnino tollendum, sed sæpe esse plures conferendas... Item licet forte votum fuerit temere factum, si tamen non nocet, sed potius utile invenitur, non erit illa sufficiens causa tollendi votum (cfr. S. Alphonsus, n. 253, ubi oppositum docet et Suarez pro se allegat). Cavendum est etiam scandalum in dispensatione voti, ut bene advertit Turrecremata... quod intelligitur de scandalo pusillorum; nam si sit pharisæorum, non est multum curandum, præsertim quando res est justa et expedit, ut significat Innocentius III, in c. *Magnæ, De Voto,* ubi ipse advertit, tria esse in hac dispensatione spectanda, scilicet, quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem; nam si hæc observentur, licita et valida erit dispensatio. Omnia vero ista pendent ex causis enumeratis, et ex illis prudenti arbitrio sunt eruenda. »

§ III.

De commutatione voti.

Commutatio est substitutio alicujus operis in locum operis promissi; absoluta est vel conditionata;

488. *Commutatio* generatim sumpta est substitutio alicujus operis in locum operis promissi. Duplici modo fieri potest, scilicet *absolute* vel *conditionate*, prout simpliciter tollitur obligatio prioris voti, vel solum conceditur ut per aliam rem possit debitor illam implere, si voluerit; cfr. Suarez, tr. 5, lib. 2, c. 36, n. 11, et Sanchez, *De præc. Dec.* lib. 4, c. 55, n. 13. Præterea triplex distinguitur, prout opus, operi promisso substitutum, est *melius* vel *æquale* vel *minus;* ad faciendam autem inter diversa opera justam comparationem, considerare oportet tum honorem Dei tum utilitatem voventis. (1)

fit in æquale, in melius, vel in minus.

(1) Rem præ cæteris accurate explicavit Loiseaux, l. c. 4e point, n. 38: « Pour conserver l'égalité voulue, il faut, d'un côté, tenir compte de l'importance de l'objet promis, considéré en lui-même, abstraction faite du lien du vœu; et, en outre, de la fin que le pénitent s'est proposée dans son vœu. D'autre part, il faut moins considérer l'excellence de la vertu, à laquelle appartient l'œuvre substituée à l'ancienne, que l'utilité qu'en retire le pénitent, la difficulté qu'il aura d'accomplir la nouvelle obligation et l'aptitude de cette obligation à lui faire obtenir la fin de son vœu. Quelques exemples feront mieux comprendre la justesse de cette règle. Nous disons d'abord qu'il faut considérer l'excellence de la fin qu'on s'est proposée en faisant le vœu. Ainsi je fais vœu de ne plus jouer afin de vaquer plus librement et plus entièrement aux choses de Dieu : cette fin est plus noble que si j'émettais ce vœu uniquement dans la vue de ne pas dissiper ma fortune. Par conséquent, il faudra une œuvre meilleure pour commuer le premier vœu que le second. Il faut tenir compte de la difficulté qu'aura le pénitent de remplir la nouvelle obligation. Ainsi, un pauvre a fait vœu de jeûner; le jeûne est changé en aumône, cette aumône devra être beaucoup moindre que si le vœu avait été émis par une personne riche..... Il faut enfin préférer une œuvre propre à obtenir la fin du vœu. Ainsi, dans la vue de dompter la chair, de la soumettre à l'esprit, Pierre a fait vœu de se donner la discipline. Quoique la prière considérée en elle-même soit plus noble que le jeûne, comme elle n'est pas

I. De iis qui vota commutare possunt.

489. *Commutatio in melius, quæ revera est superabundans adimpletio voti potius quam commutatio proprie dicta, per se fieri potest privata auctoritate voventis, dummodo opus substitutum sit vel evidenter vel saltem probabiliter operi promisso melius; at commutatio in æquale, et a fortiori in minus, nec licite nec valide fieri posse videtur auctoritate privata, sed ad eam requiritur potestas jurisdictionis ordinariæ vel delegatæ;* cfr. Suarez, l. c. c. 18 et c. 19, n. 1-5, et S. Alphonsus, lib. 3, n. 244, in fine. Fatendum tamen est, assertionem positam certiorem esse quoad commutationem in minus (quæ est species dispensationis) quam quoad commutationem strictam in æquale; item certiorem esse quoad commutationis liceitatem quam quoad ejus validitatem.

Commutatio in melius fieri potest auctoritate privata;

non autem commutatio in æquale vel in minus.

490. Porro qui habent potestatem simpliciter dispensandi sive ordinariam sive delegatam, eo ipso habent potestatem commutandi: nam qui potest plus potest etiam minus; at non e converso, qui habet potestatem commutandi, habet eo ipso potestatem dispensandi; cfr. S. Alphonsus, l. c. n. 246; Castropalao, tr. 15, disp. 2, p. 14. Pariter et propter eamdem rationem, qui habet potestatem commutandi in minus habet etiam potestatem commutandi in æquale; at non e contra.

Commutare possunt vota illi qui in iis possunt dispensare;

491. Jam vero, præter eos, quos supra diximus auctoritatem habere ad dispensandum, confessarii jubilæi possunt « vota quæcumque etiam jurata ac

et præterea confessarii jubilæi

aussi propre à atteindre la fin que Pierre s'est proposée que le jeûne, on donnera la préférence au jeûne sur la prière, en commuant le vœu de Pierre... . D'après cette règle, les vœux réels seront changés en obligations réelles, les vœux personnels en obligations personnelles, les vœux mixtes en obligations mixtes, les vœux perpétuels en obligations perpetuelles, et les vœux temporaires en obligations temporaires. »

Sedi Apostolicæ reservata (castitatis, religionis, et obligationis quæ a tertio acceptata fuerit seu in quibus agitur de præjudicio tertii, semper exceptis, necnon pœnalibus, quæ præservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi ut non minus a peccato committendo refrenet quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare. » Ita quidem in bulla Leonis XIII *Pontifices Maximi.*

intra certos tamen limites.

492. Advertendum est, juxta disciplinam nunc vigentem, a) tempore jubilæi facultatem commutandi vota concedi confessariis actu approbatis; — b) hac potestate prædictos confessarios uti posse solummodo in tribunali pœnitentiæ, et in favorem eorum qui volunt jubilæum lucrari; — c) vota castitatis et religionis manere reservata, adeoque non posse commutari, si tamen habeant requisita ad reservationem; — d) vota facta in favorem tertii manere non quidem reservata : nam proprie reservata non sunt, sed indispensabilia; unde immerito asseritur a cl. Loiseaux, l. c. n. 57, talia vota non esse a jurisdictione confessariorum jubilæi excepta nisi quando habent conditiones ad reservationem requisitas; cfr. Viva, *De Jubilæo anni sancti,* q. 12, a. 1; S. Alphonsus, lib. 3, n. 255; — item e) indispensabilia censeri, sub indicata tamen restrictione, vota pœnalia a peccato præservativa; — tandem f) ex formulis recentioribus confessariis jubilæi non conferri nisi potestatem commutandi in æquale.

II. De votis quæ possunt commutari.

Quoad vota circa quæ versatur, et personas in quarum favorem fit, commutatio regitur iisdem principiis ac dispensatio.

493. Post ea quæ diximus relate ad dispensationem, nulla difficultas habetur de iis quorum vota commutari possunt. Quoad ipsa vero vota quæ valeant commutari, vix unum aut alterum observandum occurrit.

494. Imprimis propria auctoritate commutari non possunt, etiam in melius, vota reservata, nisi tamen mutatio fiat in statum religiosum; cfr. Castropalao, tr. 15, disp. 2, p. 15, n. 2, cum Suarez, l. c. c. 18, n. 14, in fine, et c. 21, n. 17, etc.

495. Deinde, quamvis confessarii jubilæi habeant sub aliquo respectu ampliorem facultatem ea qua gaudent, extra tempus jubilæi, confessarii approbati ordinum mendicantium, non possunt tamen vota, quæ relate ad ipsos reservata manent, commutare in casu necessitatis urgentis; imo nec possunt commutare, in ordine ad petendum debitum, votum castitatis a conjugibus emissum; cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 258, et Loiseaux, l. c. 2e point, n. 3 et seqq.

III. De causa requisita ad commutandum.

Commutatio in melius fieri potest sine causa, non autem commutatio in æquale vel in minus.

496. *Commutatio in melius valida et licita est, etiamsi fiat absque ulla causa; at commutatio in æquale vel in minus nec licita nec valida videtur si absque sufficienti causa fiat;* cfr. Suarez, l. c. c. 18, n. 9, et c. 19; Castropalao, l. c. p. 15 et 17.

497. Necessaria vero illa causa non debet esse gravis si commutatio fiat in æquale, sed levis sufcit, cujusmodi est v. g. ardens desiderium voventis; notabilior quidem requiritur, si commutatio fiat in minus, non debet tamen esse tanta ut sufficeret ad dispensationem.

IV. De effectu commutationis.

Commutatio absoluta facta a prælato extinguit priorem obligationem;

498. *Commutatio absoluta, facta a prælato, extinguit priorem obligationem;* adeoque, si materia substituta, sive inculpabiliter sive etiam culpabiliter, fiat impossibilis vel inutilis, vovens non tenetur materiam promissam præstare; cfr. S. Alphonsus,

lib. 3, n. 249, et Castropalao, l. c. p. 18, n. 2. Notanter diximus: *commutatio facta a prælato*, quia multi aliter loquuntur de commutatione facta in melius propria auctoritate; cfr. S. Alphonsus, l. c.

non autem commutatio facta conditionate.

Commutatio vero conditionate facta a prælato non extinguit priorem obligationem, sed tantum subministrat novum medium eam adimplendi; an autem in casu talis commutationis applicanda sint principia voti disjunctivi, non omnino liquet; cfr. Loiseaux, l. c. 5e point, n. 13.

Facta commutatione in minus vel in æquale et forte etiam in melius, licet redire ad priorem materiam.

499. *Facta commutatione in minus, semper licitum est voventi redire ad materiam prius promissam, omissa materia substituta; idem, licet minus certum sit, dicendum est si commutatio facta fuerit in æquale; at major difficultas habetur quando commutatio facta est in melius:* affirmandum adhuc videtur, si commutatio facta fuerit propria auctoritate et per nudum propositum sine novo voto; item si commutatio facta fuerit auctoritate prælati et in commodum voventis; sed aliter fortasse resolvendum est si commutatio facta fuerit auctoritate privata per modum novi voti, vel si facta fuerit auctoritate publica in præcipuum Dei honorem. Cfr. Suarez, l. c. c. 20, n. 1, qui rigidiorem sententiam amplectitur; S. Alphonsus, lib. 3, n. 248, qui e contra stat pro benigniore; Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 55, n. 26 et seqq., qui mediam quamdam proponit: harum sententiarum crisis legi potest apud Loiseaux, l. c. n. 4-11.

500. Hic autem dubitatur utrum, postquam quis rediit ad materiam commutatam, omissa subrogata, possit iterum ad subrogatam reverti; ita Castropalao, l. c. c. 18, n. 11: « Videtur affirmare Lessius, lib. 2, c. 40, dub. 16, n. 111. Nam sequitur (inquit) si sæpius facta sit commutatio, posse servari quidvis illorum in quæ facta fuit; v. g. votum peregrinationis annuæ commutatum est in menstruam confes-

sionem, menstrua confessio in jejunium hebdomadarium, jejunium hebdomadarium in certas preces quotidianas: potest vovens satisfacere voto vel recitando illas preces, vel jejunando singulis hebdomadis, vel confitendo singulis mensibus, vel annuam peregrinationem suscipiendo. Sentit ergo Lessius, voventem liberum esse ex subrogata materia ad commutatam redire et e contra, siquidem sentit posse ad satisfaciendum voto eligere eam materiam quam maluerit. Nam cum commutatio relinquat potestatem satisfaciendi voto exsequendo priorem materiam promissam, exsecutione, inquam, prioris materiæ promissæ non videtur vovens privari potestate accepta virtute commutationis. Placet hæc sententia, nisi forte, ut dicit Sanchez,.. redeundo ad priorem materiam æqualem vel superiorem renuntiares commutationi, quod non credo te alia via præstare posse, nisi emittendo de novo prius votum, vel novo voto usum commutationis renuntiando. »

Qua ratione obligatio sit adimplenda si commutatio indebite facta fuerit.

501. *Ille, cujus votum in æquale vel in minus commutatum est sine sufficienti causa vel a non habente jurisdictionem, non cogitur, juxta quosdam auctores, ad opus promissum executioni mandandum, sed ipsi licet operi substituto addere illud quod satis est ad habendum materiam evidenter meliorem.* Quæ sententia utrum sit solide probabilis viderint sapientiores; ea tamen admissa, non ideo concludi potest cum Sanchez et aliis, commutationem factam sine causa vel a non habente jurisdictionem esse validam; nam in casu indicato deobligatio a priore opere promisso non oritur directe et formaliter ex vi commutationis in æquale vel in minus, sed ex vi substitutionis materiæ melioris, constantis tum ex re in quam facta est commutatio invalida, tum ex re quæ deinde ipsi adjungitur.

502. Quidquid sit, ita habet Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 51, n. 7 et seqq.: « Prima conclu-

sio : quando commutatio voti fit auctoritate prælati in rem æqualem, et solida commutandi causa deficit, valet utique commutatio.... Secunda conclusio : quando commutatio fit in minus, auctoritate prælati, etiamsi nulla ad commutandum causa subsit, nedum ad minuendum, valet commutatio, cum sola obligatione supplendi id quod deficit ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa... Tertia conclusio : idem prorsus dicendum est, quod diximus duplici conclusione præcedenti, de prælato commutante, quando non ipse prælatus, sed ejus delegatus commutat... Ultima conclusio : quamvis commutatio voti sit facta propria auctoritate, aut alterius carentis jurisdictione, in bonum aquale aut in minus, non est omnino irrita, sed tenetur vovens vel prius votum implere vel supplere quod commutationi defuit ut esset in bonum evidenter melius. Ducor, quia si rem venditioni quinquaginta aureis expositam a domino in platea quispiam furaretur, aut dolose daret domino quadraginta existimanti esse quinquaginta, satisfaceret suæ conscientiæ in priori casu restituendo domino quinquaginta, in posteriori supplendo decem quæ deerant. Et in priori casu nulla fuit commissio ad vendendum : dominus enim non vendidit sed furto res ablata est. In posteriori autem defuit voluntas vendendi eo pretio. Et ratio utriusque est, quia in utroque casu defuit voluntas domini quoad solum modum, cum adfuerit expressus consensus quoad venditionis substantiam. Quod idem contingit in nostro casu. Nam Deus revera paratus est ad acceptandam voti commutationem factam a quocumque ; et quando fit propria auctoritate in rem æqualem aut minorem, est invitus quoad solum modum et partialem solutionem. Ergo vere satisfit Deo supplendo quod deerat. Quippe alias rigorosior exactor esset Deus quam homines... »

PARS III.

DE JURAMENTO.

503. Ut omnia complectamur quæ ad juramentum pertinent, tribus successive capitibus agemus de juramenti essentia, honestate, efficacia et effectu; postea nonnulla dicemus de quibusdam juramentis in specie.

CAPUT I.

De essentia juramenti.

504. Essentiam juramenti perspectam habebimus si diligenter expensæ fuerint quæstiones de *actu* quo juratur, de *eo per quem* juratur, de *persona quæ* potest jurare, de *re* propter quam juramentum emittitur.

ARTICULUS I.

De actu jurandi.

505. *Juramentum* proprie est *appellatio ad testem omnis veritatis ut plena fides dictis concilietur.* Hæc notio deducitur tum ex nominibus ipsis, quibus apud diversas gentes actus jurandi fuit expressus, tum ex effectibus, qui juramento ubique attributi sunt, tum ex ejusdem actus descriptionibus ac definitionibus, quæ in monumentis non solum sacris sed etiam profanis habentur. Juramentum proprie est

506. *Imprimis itaque juramentum est appellatio ad testem omnis veritatis seu est invocatio testimonii infallibilis.* Huc pertinent verba S. Pauli, 2 Cor. I, 23 : *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ultra Corinthum.* Eodem sensu Clemens Alex., *Strom.* lib. 7, c. 8 : « Jura- invocatio testimonii divini:

mentum est confessio definitiva cum divina assumptione. » Et S. Gregorius Naz., *Carm.* lib. 1, s. 2, n. 34, v. 68-70 : « Hoc igitur considera, si quando per Deum jures... Mediatorem posuisti Deum fidei tuæ. » S. Chrysostomus, *Hom.* 9, n. 5, *in Act. Apost.* : « Tunc ergo, tunc, cum increduli essent, Deum advocabant testem, quasi dignum dictorum fidejussorem dantes : hoc enim est juramentum, fidejussio. » Auctor *Hom. de Passione et Cruce Domini*, S. Athanasio adscriptæ, n. 4 : « Jurare est Deum testem advocare. » Similiter S. Augustinus, *In Ps.* 109, n. 17 : « Quid ergo tu facis, cum juras? Testaris Deum : hoc est jurare, Deum testari ; et ideo molestum, ne ad aliquam falsitatem testem adhibeas Deum. » Et *Serm.* 180, c. 8, n. 13 : « Tu cum juras, Deum adhibes testem. » Tandem Conc. Turonense III (ann. 813), c. 45 : « In vanum etenim Dei nomen assumitur, quando aliquis ad singula verba, quibus vult ut sibi ab alio credatur, Deum omnipotentem testem rei, de qua ait, invocat, eumque sibi ita esse adjutorem, sicut ea vera sunt quæ loquitur. » Cfr. etiam S. Gregorius Nyssenus, *In Cant.* hom. 4 ; S. Hilarius, *Comm. in Matth.*, c. 5, n. 23.

non autem mera locutio coram Deo aut affirmatio religiosa ;

507. *Igitur juramentum non est mera affirmatio religiosa, nec assertio divinæ cognitionis, nec locutio coram Deo, nec aliquid hujusmodi, sed consistit formaliter in appellatione ad testem, seu in invocatione testimonii.* Quapropter Synodus Regia Ticinensis, postquam statuit imponi non posse episcopis ut juramentum emittant, hæc tamen addidit : « Si quid enixius affirmandum duræ forsitan audientium mentes exigunt, more apostolico interponat episcopus suæ locutioni : *Deus scit*, aut : *Coram Deo.* » Et de clerico ac laïco litigantibus statuit Synodus Triburiensis : « Laïcus per juramentum constringatur, presbyter vice juramenti *per sanctam consecrationem* interrogetur. »

Dum autem cuncti Germanorum episcopi pro Henrico IV imperatore ab excommunicatione solvendo et sanctius deinceps victuro apud Gregorium VII Pontificem fide juberent, de abbate Cluniacensi narratur: « Quoniam jurare monasticæ religionis obtentu detractabat, fidem suam *coram oculis omnia cernentis Dei* interposuit. » Cfr. Ch. Lupus, *Appendix ad Ephesinum Latrocinium*, c. 1, act. 1. Quibus sane liquet agnitam semper fuisse differentiam inter juramentum ac prædictas assertiones. Inter theologos ea de re legi possunt Cajetanus, 2.2, q. 89, a. 1; D. Soto, *De Justitia et Jure*, lib 8, q. 1, a. 1; Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 3, c. 2, n. 21; Azor, tom. 1, lib. 11, c. 3, q. 1; Suarez, *De Religione*, tr. 5, lib. 1, c. 13, n. 7, etc.

nec pœnæ pro mendacio infligendæ apprecatio:

508. *Præterea juramentum formaliter non consistit in apprecatione pœnæ specialis pro mendacio infligendæ; attamen hujusmodi apprecatio pœnæ sæpe jungitur cum testimonii divini invocatione.* Quando autem ita appellatur ad Deum veritatis *testem* ac falsitatis *vindicem*, juramentum habetur non solum *contestatorium*, ut dicunt, sed etiam *exsecratorium*. Tale juramentum emissum est a S. Paulo, 2 Cor. I, 23; idem faciebant Hebræi formula: *Hæc faciat mihi Deus et hæc addat*, ut legitur 1 Reg. XIV, 44, XX, 13, etc.; illud etiam nunc præstatur notissimis verbis: *Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Evangelia*, quemadmodum legitur in c. *Ego N. De Jurejur.* Cf. Laymann, lib. 4, tr. 3, c. 4, n. 3.

509. *Porro juramento non postulatur absolute ut Deus dicti veritatem hic et nunc testetur:* id enim ad tentationem Dei pertineret si sine urgentissima causa vel sine speciali motione Spiritus sancti fieret; *sed postulatur ut testificetur Deus veritatem, si voluerit et quando voluerit, saltem cum illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* 1 Cor. IV, 5.

hæc invocatio potest esse

510. Invocatio divini testimonii potest esse vel *mere interna*, vel *interna simul et externa*, vel *mere externa*.

vel tantum interna,

511. Invocatio mere interna juramentum constituit *mentale*, quod tamen nullum valorem habet pro foro externo, ut patet; nec videtur omnino completum, siquidem parum conferat ad finem juramenti, qui est ut alii persuadeantur, et jurantis dictis acquiescant. Cfr. Castropalao, tr. 14, disp. 1, p. 1, n. 9.

vel interna et externa simul

512. Invocatio interna simul et externa juramentum constituit omnino perfectum, quod est *sensibile*. Fit autem vel solis vocibus, ut apud Hebræos : *Vivit Dominus;* et tunc dicitur *verbale;*—vel solis actionibus, ut tactu Evangeliorum, et tunc dicitur *reale;* — vel vocibus simul et actionibus, et tunc dicitur *mixtum*. Huc autem pertinet distinctio inter juramentum *simplex* et juramentum *solemne;* simplex est quod sine apparatu emittitur, solemne quod emittitur juxta ritum aliquem determinatum : sic apud Hebræos solemnis juramenti cæremonia erat *manus elevatio, positio manus sub femore, transitus per divisionem victimæ in duas partes*, ut habetur Gen. XIV, 22, XXIV, 2, XLVII, 29, etc.; cfr. S. Cyrillus Alex. *Glaphyr. in Gen.* lib. 3, n. 3 et 4, et lib. 5, n. 3; apud nos vero solemnis juramenti cæremonia est tactus Evangeliorum, juxta c. *Quoties*, 1, q. 7, et *Clem.* 1, *De Hær.*, et olim tactus reliquiarum, etc.; de quibus cfr. Du Cange, in *Glossario*, V° *Juramentum*.

vel fortasse etiam solum externa;

513. Invocatio mere externa, ex communi sententia doctorum, juramentum verum non est, sed tantum *fictio juramenti;* argumenta tamen quæ pro hac sententia afferuntur, nobis non videntur rem persuadere; unde, si durum non esset omnibus resistere, diceremus ad essentiam juramenti non requiri intentionem jurandi sed sufficere voluntatem proferendi verba quæ tum ex se tum ex adjunctis

invocationem divini testimonii significant; cfr. supra, n. 33, et Suarez, l. c. c. 1, n. 6. Quidquid de hoc sit, certum est exclusionem intentionis jurandi intrinsece malam esse, independenter a quocumque alio defectu veritatis, justitiæ, etc. Huc pertinet propositio 25ª ex damnatis ab Innocentio XI: « Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. » Cfr. Viva, in h. p. An autem illud peccatum semper sit mortale, an veniale esse possit, non omnino conveniunt theologi; cfr. Viva, l. c. n. 7.

non potest esse mere materialis.

514. *Cæterum divini testimonii invocatio mere materialis juramentum minime constituit.* Talis autem invocatio mere materialis habetur quando vel essentia juramenti prorsus ignoratur, vel formulæ juratoriæ sensus non cognoscitur, vel verba juratoria inadvertenter proferuntur, vel etiam quando ea verba ex circumstantiis suam amittunt significationem. Ex quibus facile intelligi potest quid sit sentiendum de invocatione divini testimonii facta ex consuetudine, ex impetu passionis, in ebrietate, etc. Cfr. Suarez, tr. 5, lib. 3, c. 6-8; Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 3, c. 5; Salmanticenses, c. 2, p. 9; J. De Lugo. *De Pœnit.* disp. 16, s. 4, n. 211, cum iis quæ scripsimus in *Theol. mor. fund.* n. 82-84, et rursus, n. 424.

ARTICULUS II.

De eo per quem juratur.

Proprie non juratur nisi per majorem;

515. *Per eum solum proprie juratur qui Major est.* Hanc propositionem disertis verbis enuntiat Apostolus, Heb. VI, 13-16: *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo*

te. Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem. Homines enim per majorem sui jurant.

major autem perquem juratur est solus Deus.

516. *Major autem, per quem juratur, ille intelligitur qui non relative tantum sed absolute talis est, nempe qui creaturis omnibus præstat: adeoque sola invocatio divini testimonii juramentum est.* Assertio patet ex SS. Litteris, in quibus juramentum semper reducitur ad latriam, et non secus ac latria reservatur Deo, ita ut veri adoratores dignosci possint ex eo per quem jurant. Huc pertinent v. g. Ex. XXIII, 13, Deut. VI, 13, X, 20, Jos. XXIII, 7, Ps. LXII, 12, Is. XIX, 18, Jer. XII, 16, Soph. I, 5, etc. *Et per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro. — Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. — Ne posteaquam intraveritis ad gentes, juretis in nomine deorum earum, et serviatis eis et adoretis illos. — Laudabuntur omnes qui jurant in eo.* — Patet etiam ex fine juramenti, qui est plena affirmationi fides concilianda, ut habetur Heb. VI, 16 : *Omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum;* cfr. etiam supra, n. 506. Jam vero solum Dei omniscii et infinite veracis testimonium ex se infallibile est. — Idem diserte explicant SS. Patres; ita v. g. S. Cyrillus Alex. *In Isaïam*, c. 65, v. 16-18 (lib. 5, tom. 6): « Postquam verum Deum novimus, illum celebramus, et fructum labiorum ac linguæ ipsi offerimus, laudes ejus commemorantes; sique opus ususve fuerit jurisjurandi confirmatione in re quapiam, jurant per Deum verum. Cfr. idem S. Cyrillus *De Adoratione* in spir. et verit. lib. 6 ; » et S. Optatus, *De Schism. Don.*, lib. 2, c. 22 : « Solet Deus ad probandam fidem in juratione ab hominibus nominari ; sed cum per vos juratur, jam apud vestros de Deo et Christo silentium est. Si ad vos divina migravit de cœlo religio, quia per vos juratur, nemo vestrum aut vestrorum langueat, nolite mori,

imperate nubibus, pluite, si potestis, ut per vos plenius juretur et de Deo taceatur. » Cfr. S. Augustinus, *Epist.* 47 (al. 154), n. 2; S. Hilarius, *In Psalm.* 62, v. 12, etc. Et ante ipsos Tertullianus, *Apol.* c. 32 : « Dæmones, id est, genios, adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus. » Item Minutius in *Octavio :* « Etiam principibus et regibus turpiter adulatio falsa blanditur. Sic eorum numen vocant, ad imagines supplicant, genium, id est, dæmonem ejus implorant, et est eis tutius per Jovis genium pejerare quam regis. »

Divinum testimonium invocari potest dupliciter: explicite vel implicite.

517. *Porro invocatio divini testimonii duplici modo fieri potest: nempe vel explicite et directe, appellando ad Deum ipsum, vel implicite et indirecte, appellando ad creaturas non quidem in se spectatas, sed prout in eis divina perfectio aut auctoritas resplendet.* Optime Lessius, l. c. dub. 2, n. 10: « Si (creatura) consideretur ut continens singulari modo et quodammodo involvens divinum numen, sic per illam est juramentum. Hoc modo, qui jurat per cœlum, censetur jurare per eum qui in cœlo habitat; qui per terram, per illum qui terram suspendit de nihilo, cui ipsa instar pedum scabelli; qui per templum, per eum qui ibi colitur, ut patet Matth. XXIII, ubi Deus corrigit errorem Judæorum, qui putabant juramenta per creaturas (ut per templum, per altare) non obligare, nisi essent tales quæ servirent eorum commodis, ut per aurum templi, per donum quod altari imponitur. Sic dum juramus per Evangelia, intelligimus simul eorum auctorem; dum per crucem, crucifixum; per reliquias Sanctorum, numen divinum ibi singulari modo assistens et in Sanctis habitans. Hoc modo, si quis Deum in omni re norit contemplari, per omnem creaturam jurare potest, quia ipse omnium viventium vita, et omnium existentium esse, et fundus essentialis, ut Dionysius loquitur, omnia creans,

formans, sustentans, et assiduo influxu conservans. Non tamen solemus jurare per res viles vel sordidas, ob speciem indecentiæ, sed solum per nobiliores, in quibus manifestius elucet, quæque absque indecentia adhiberi possunt. » Cfr. Laymann, l. c. c. 1, n. 6, et Suarez, l. c. l. 1, c. 5, n. 3 et seqq., ubi advertit « quod, licet jurare per creaturas, in debito sensu, non sit per se malum, nihilominus, ratione scandali, potest fieri malum; nam hoc generale est de quocumque actu, et in hoc invenitur peculiaris occasio; nam cum jurare per creaturam absolute et secundum se spectatam idolatria sit, si juramentum absolute fiat per creaturam, et fiat inter eos qui non satis valent discernere quo sensu fiat, facile potest iis scandalum præberi, et ideo in hoc cautionem adhibere necesse est. Et imprimis distingui potest inter res sacras seu specialiter Deo dicatas, et communes; nam per priores clarius fit juramentum per respectum ad Deum, quam per posteriores, et talia sunt fere omnia exempla quæ in jure canonico reperiuntur, et hac ratione usus plurium clericorum habet, jurare per manus consecratas, cum tamen laïci non jurent per manus suas. Et hinc etiam est, ut, quando fideles jurant per alias creaturas communes, aut id faciunt per modum exsecrationis, ut per salutem, per vitam, etc., vel si jurant solum invocando, solent addere expresse nomen Dei, saltem in obliquo, ut per cœlum Dei, per terram Dei, et similia... Imo observandum est inter quos fiat juramentum; nam si fiat inter fideles, minus potest timeri scandalum ex hoc capite, quia facile intelligunt sensum jurandi; inter infideles autem majus potest esse periculum, maxime si juramentum fiat per solem, lunam et similia, quæ a gentibus pro diis adorata sunt. Denique in modo etiam seu verbis nominandi creaturas, cavendum est ne turpe aliquid et quod Deum

non deceat, nominetur, nam ex ea parte posset peccari per irreverentiam erga Deum, imo posset etiam ad blasphemiam pertinere. »

518. Ex quibus intelligitur recte a Christianis jurari potuisse per *salutem et victoriam imperatorum*. Hæc quidem formula a multis exponitur de juramento exsecratorio, ita ut ipsius sensus sit : *Sic Deus adjuvet domini imperatoris victorias et salutem,* qua explicatione admissa patet nullam subesse difficultatem; at nobis videtur exponi posse et saltem aliquando exponi debere de juramento contestatorio, ita ut sensus sit: *Testem invoco Deum, cujus auctoritas in imperatorem derivatur et cujus providentia eumdem imperatorem gubernat.* Ratio nostræ sententiæ est primo, quia eodem modo juratur per *salutem imperatorum* ac per *mysterium Trinitatis;* ita v. g. in collatione Carthaginiensi comes Marcellinus ad utriusque partis episcopos: « Per admirabile mysterium Trinitatis, per Dominicæ Incarnationis sacramentum, et per salutem Honorii et Theodosii Augustorum principum, justa me judicaturum esse promitto. » Eodem fere modo S. Gregorius M. jurare fecit Histriæ episcopos ex trium capitulorum schismate ad Ecclesiam redeuntes. Cfr. Ch. Lupus, *Appendix ad Latrocinium Ephesinum,* c. 1, act. 1. Altera ratio nostræ sententiæ est auctoritas Tertulliani ita scribentis, *Apol.* c. 32: « Sed et juramus, sicut non per genios Cæsarum, ita *per salutem* eorum quæ est *augustior omnibus geniis.* Nescitis genios dæmones dici, et inde diminutiva voce dæmonia? *Nos judicium Dei suspicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse quod voluit Deus,* et pro magno id juramento habemus. » Cæterum libenter agnoscimus fieri potuisse ut prædicta formula qua prius emittebatur juramentum mere contestatorium, postea, significatione mutata, emitti censeretur juramentum

exsecratorium. Et hæc fortasse causa fuit cur modus jurandi per *vitam principum* aliquando prohibitus fuerit; in *Capitularibus* scilicet regum Francorum hæc sæpius sancita leguntur : « Ut nullus præsumat per vitam regis et filiorum ejus jurare. »

Invocatio testimonii Beatorum et Angelorum juramentum proprie non est,

519. *Invocatio testimonii Beatorum et Angelorum cum Christo in cœlis regnantium, licita quidem est, et actum duliæ constituit, juramentum tamen proprie dictum vocari nequit.* Ita Suarez, l. c. n. 10. « Per gloriam (Angeli et Beati) participant illas duas perfectiones (sc. scientiam et veracitatem), quantum sufficere posse videtur ad testimonium ferendum, quia mentiri non possunt et in Verbo vident quæ ad suum statum pertinent ex actibus nostris... Sic ergo sine errore aut vitio jurari potest per Sanctos, tamen eo ipso totus cultus juramenti refertur ad Deum a quo ipsi tantam lucem et rectitudinem participant. Sic ergo tale juramentum est etiam principaliter per Deum, et in hoc etiam sensu videtur communiter fieri a fidelibus; si quis autem velit præscindere et considerare honorem qui per tale juramentum defertur Sancto ratione participatæ et creatæ perfectionis, quam in se habet, sic cultus ille non pertinebit ad latriam, sed ad duliam; et consequenter sub ea præcisa ratione nec poterit dici simpliciter juramentum; nam, ut ait D. Thomas, in 3, d. 39, q. 1, a. 1, ad 4, sicut veneratio quæ fit summæ majestati habet specialem modum et nomen latriæ, ita juramentum est proprium nomen invocationis divini testimonii per se infallibilis, et perfectam latriam continet. Ideoque, licet illa præcisio mente et ratione fieri possit, tamen in re et in usu jurandi non debet excludi Deus tamquam dans præcipuam auctoritatem juramento, et quia ex ejus ordinatione principaliter pendet quodcumque testimonium veritatis, etiamsi ab ipsis Angelis immediate exspectari aut postulari posset. »

520. *A fortiori juramentum non est invocatio, quamvis omnino licita, testimonii hominis viatoris.* Ita Suarez, l. c. n. 11: « Imo ita fieri hoc potest ut non cedat in specialem honorem ejus qui in testem vocatur, ut communiter videtur contingere in vulgari modo inducendi vel trahendi homines ad testificandum, solum propter communem conditionem et facultatem humanam; quando vero aliquis, propter specialem dignitatem vel virtutem, inducitur tamquam testis qualificatus (ut aiunt), tunc aliquis peculiaris honor ei defertur, non tamen excedit humanam quamdam observantiam, et ideo semper longe distat a ratione juramenti. » et multo minus invocatio testimonii viatoris.

ARTICULUS III.

De persona quæ jurare possit.

521. Juramentum emitti non posse nisi a *creatura rationali* per se manifestum est: sola enim creatura majorem habet ad cujus testimonium appellare valeat, solaque creatura rationalis capax est appellandi ad hujusmodi testimonium. Sola creatura rationalis jurare valet;

522. Itaque *Deus* proprie jurare nequit, ut SS. Patres sæpe nos docent; sic v. g. S. Chrysostomus, *In Psalm.* 109, n. 7: « Jusjurandum vero quando audieris ne putes esse jusjurandum. Quemadmodum enim ira in Deo ira non est, sed est vis puniendi et non perturbatio animi, ita etiam jusjurandum. Deus enim non jurat, sed id dicit, quod omnino futurum est. » Et S. Ambrosius, *De Caïn et Abel*, lib. 1, c. 10, n. 45: « Unde, quia illud verius solemus credere, quod jurejurando firmatur, ne nostra claudicet fides, ideo jurare describitur Deus, qui ipse non jurat, sed jurantium judex, et ultor est pejerantium. » Cfr. etiam S. Athanasius vel quisquis est auctor homiliæ *De passione et cruce* Deus jurare nequit;

Domini, n. 6. Quod si Deus legitur aliquando adhibuisse verba juratoria, v. g. Gen. XXII, 16; Jerem. XXII, 5, XLIV, 26, etc., per hæc nihil aliud voluit quam ut, interponendo suam auctoritatem, homines attentiores et certiores redderet. Et hoc significat Apostolus, Heb. VI, 17, 18: *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Hinc S. Joannes Damascenus, *Orth. fid.* lib. 1, c. 11: « Per juramentum Dei intelligimus immutabilitatem consilii ejus, eo quod apud nos mutua pacta interposito juramento confirmantur. » Cfr. Suarez, tr. 5, lib. 1, c. 14, n. 1-6, Castropalao, tr. 14, disp. 1, p. 3, n. 1, etc.

jurare potuit Christus;

523. *Christus Dominus*, quatenus homo, jurare potuit, sicut potuit orare et vovere; eum autem de facto jurasse probabiliter existimant theologi gravissimi, et innuit Innocentius III, c. *Etsi Christus*, De Jurejur., ubi verborum S. Jacobi sensum explicans, ita habet: « Christus etiam plus legitur dixisse in Evangelio quam: *Est, est, non, non;* cum sæpissime dixerit: *Amen, dico vobis;* quod ipse, secundum Lucam, exponens, quum præmisisset: *Amen, dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua;* consequenter adjunxit: *In veritate dico vobis, quia multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israël.* » Cfr. Suarez, l. c. n. 7-12.

Angeli capaces sunt jurandi

524. *Angeli* et *Sancti* capaces sunt juramenti emittendi; eos autem de facto interdum jurare, quando scilicet cum hominibus agunt, constat Apoc. X, 5, 6: *Et Angelus, quem vidi stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum... quia tempus non erit amplius.* Cfr. cit. c. *Etsi Christus,*

et Suarez, l. c. n. 13-14. Quod vero pertinet ad dæmones, certum videtur eos saltem materialiter appellare posse ad testimonium divinum, ut nempe homines decipiant, quemadmodum etiam aliquid a Deo petere possunt. Cfr. Suarez, l. c. n. 15.

et omnes viatores,

525. Tandem de *viatoribus* nulla est difficultas, siquidem omnes, dummodo usum rationis habeant, ex natura rei, jurare possunt. Hic tamen advertendum est, a) merito dubitari utrum personæ ex se capaces reddi valeant inhabiles ad jurandum, sicut inhabiles redduntur ad vovendum; cfr. Suarez, l. c. lib. 2, c. 38, n. 12 et seqq. — Advertendum b) aliquibus, nempe episcopis, sacerdotibus, monachis, juramentum non quidem absolute interdici, sed parcius permitti; ita S. Thomas, 2.2, q. 89, a. 10: « Non indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de ea dubitatur. Hoc autem derogat dignitati personæ ut dubitetur de veritate eorum quæ dicit; et ideo personis magnæ dignitatis non convenit jurare. Propter quod dicitur... quod sacerdotes ex levi causa jurare non debent; tamen pro aliqua necessitate vel magna utilitate, licitum est eis jurare, et præcipue pro spiritualibus negotiis. » Cfr. Ch. Lupus, *App. ad Ephesinum latrocinium*, c. 2, act. 1, et *Var. Patrum Epist.* c. 28. — Advertendum c) nonnullos etiam a juramento arceri, nempe propter infamiam, vel periculum perjurii, de quibus late Castropalao, tr. 14, disp. 1, p. 3, n. 2-12.

licet non omnes licite jurent.

ARTICULUS IV.

De re quæ potest jurari.

Materia juramenti duplex.

526. Res, quæ juratur, est vel *affirmatio* a jurante facta vel *actio* aut *omissio* ab eodem jurante exsequenda: in primo casu juramentum vocatur mere *assertorium*, in secundo vocatur *promissorium;* de utroque seorsim tractabimus.

§ I.

De materia juramenti assertorii.

Materia juramenti assertorii est affirmatio facti externi vel interni;

527. In juramento assertorio postulamus ut Deus testificari velit *rem esse sicut eam affirmamus*. *Res* autem illa aliquando est a) *facti externi existentia*, v. g. juro Petrum heri huc advenisse; — b) aliquando est *facti perceptio* aut *cognitio*, v. g. juro me hoc vidisse vel audisse, juro me hoc certo novisse; — c) aliquando est *factum internum* jurantis, v. g. juro me credere infallibilitatem Romani Pontificis, juro me existimare Petrum ita egisse, juro me non mentiri, sed sincere et juxta mentem meam loqui; etc. Ex quibus intelligitur differentia valde notanda inter materiam juramenti et objectum judicii quod solum interdum est juramenti materia; sic qui jurat se existimare Petrum tale crimen commisisse, non jurat crimen a Petro revera commissum fuisse, sed jurat hanc esse suam opinionem; pariter qui jurat se non mentiri dum affirmat hoc vel illud contigisse, non jurat revera hoc vel illud contigisse, sed jurat tantum se sincere loqui.

hæc affirmatio debet esse vera,

528. Assertio, quæ juratur, debet esse *vera*, ut patet Jerem. IV, 2: *Et jurabis: Vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia*. Unde S. Augustinus, *Epist.* 126, n. 11: « Placetne tibi, ut, etiam certa morte imminente..., nomen Domini sui in fallaciam, Deum suum testem falsitati christianus adhibeat? » Et sane gravissimam Deo infert injuriam qui eum invocat ad testandum falsum, siquidem ipsius veracitatem æquivalenter negat. Cfr. Suarez, l. c. lib. 3, c. 3, n. 1-3.

529. Juratio falsi, quæ proprie *perjurium* dicitur, peccatum constituit Deo specialiter odiosum, ut constat Lev. XIX, 11; Zach. V, 4, etc.; cfr. Suarez,

l. c. n. 4 et seqq. Est autem illud peccatum ex toto genere suo mortale, in quo nempe parvitas materiæ non habetur. Cfr. Suarez, l. c. c. 4. Huc pertinet propositio 24ª ex damnatis ab Innocentio XI : « Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem. » Cfr. Viva et Cardenas, in h. p.

530. Perjurium non existit si juretur falsum quod prudenter existimatur verum : sed existit si juretur illud quod existimatur falsum, licet a parte rei verum sit ; cfr. Suarez, l. c. c. 5. Hæc doctrina, quæ jam extra controversiam posita est, non ita facilis visa est S. Augustino ; cfr. *Serm.* 180, n. 2-4, *Serm.* 207, n. 4, etc.

531. Debet etiam assertio jurata esse *certa;* contra reverentiam enim Deo debitam est quod postulemus eum testari illud de quo dubitamus utrum verum sit an falsum. Necessitas hujus certitudinis a SS Patribus sæpe inculcatur, v. g. a S. Ambrosio, *In Ps.* 118, *Serm.* 14, n. 14 : « Nemo bene jurat nisi qui potest scire quod jurat. Jurare igitur indicium scientiæ, testimonium conscientiæ est. Et bene jurat, qui ad lucernam verbi pedes suos dirigit, qui lucem in semitis suis cernit. Lux tibi præeat, si jurare disponis, id est cognitio veritatis præcedat. » Et a S. Hilario, *In Ps.* 118, *Litt.* 14, n. 6 : « Sacramentum enim omne firmatæ scientiæ res est, et jurandi religio ex veritatis cognitione suscipitur. » Imo interdum cum quadam exaggeratione exprimitur, ut apud S. Augustinum, *In Ps.* 88, n. 4, et *Serm.* 180, n. 3 : « Deus solus securus jurat, quia falli non potest. » — « Juret ergo Deus, qui jurat securus, quem nihil fallit, quem nihil latet, qui omnino fallere ignorat, quia nec falli potest. » Idem docent theologi communiter cum S. Thoma, 2.2, q. 89, a. 3, et Suarez, l. c. lib. 3, c. 4, n. 7 ; certa

ubi autem eorum nonnulli scribunt, interdum sufficere ad jurandum facti probabilitatem, hoc intelligunt de casu quo objectum juramenti sit non factum ipsum probabile, sed judicium de facti probabilitate. Cfr. v. g. Laymann, l. c. c. 4, n. 4.

552. Porro ad jurandum non requiritur certitudo absoluta et infallibilis, sed sufficit certitudo illa moralis quæ de factis contingentibus haberi potest, et quæ existit quando vir prudens et timoratus de contrario non suspicatur. Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 148. Cæterum major certitudo generatim necessaria est ad jurandum quam ad simpliciter affirmandum; cfr. Billuart, diss. 5, *De Jur.* a. 4.

et honesta.

553. Præterea, ut assertio jurari possit, debet esse *honesta*. Indecens namque est postulare ut Deus rem testificetur cujus divulgatio vel expressio aut narratio prohibetur. Juratio itaque assertionis inhonestæ peccatum constituit. Peccatum autem illud, juxta omnes, veniale tantum est si ipsa assertio sit solum venialiter mala; imo, juxta sententiam communem, veniale adhuc censetur, etiamsi assertio sit in se mortaliter mala, dummodo juramentum ipsum non se habeat ut instrumentum et medium mali. Quamvis autem hæc doctrina a plerisque tradatur, nobis videtur non carere difficultate; et in aliorum, licet pauciores sint, sententiam propendemus, qui tenent grave peccatum in casu exposito committi. Quidquid de hoc sit, juxta omnes, prædictum juramentum est mortale si assertio sit mortaliter mala, et ipsum se habeat tamquam instrumentum et medium mali; e contra nullimode peccaminosum est, si posita semel assertione culpabili, necesse sit eam juramento confirmare. Ita Suarez, l. c. lib. 3, c. 12, n. 7 et 8: « Juramentum assertorium, cui deest tantum justitia, quatenus contra religionem est, regulariter est veniale; ex circumstantiis vero interdum potest esse mortale... Est assertio communis et facilis..., quia

hic defectus non evacuat directe finem juramenti, nec facit Deum testem mendacii, sed ad summum facit testem rei pravæ et indecentis, quod per se non est gravis injuria... Sed quid si narratio ipsa sit peccatum mortale, ut si quis narret peccatum mortale infamando proximum vel complacendo in illo? Videtur enim tunc committi gravis irreverentia Dei, adducendo illum in testem turpis assertionis... Sed nihilominus, considerata præcise ratione juramenti, quæ est testificatio veritatis, videtur accidentarium illi quod ea veritas narretur peccando vel non peccando; et ideo licet totus ille actus sit peccatum mortale aliunde, nihilominus malitia quæ illi additur ratione juramenti irreligiose superadditi solum videtur venialis, quia juramentum per se non cadit in illam assertionem ut malam sed ut veram. Excipiendum tamen videtur nisi juramentum ipsum assumatur ut instrumentum peccandi, id est, nisi malitia ipsa pravæ narrationis per juramentum augeatur. Ut si quis v. g. infamet proximum contra justitiam narrando veritatem occultam, et, ut probabilior fiat injuria, juramentum adjungat. Videtur enim tum augeri graviter malitia contra religionem et irreverentia in Deum, ita ut hoc titulo necessarium sit circumstantiam illam in confessione explicare: quia nomen Dei assumitur quasi instrumentum ad faciendam injuriam gravem proximo, quod gravem injuriam Dei continet. Et propter hanc exceptionem addidi in assertione limitationem illam *regulariter*, quæ ex dictis satis declarata et probata relinquitur; et fortasse hoc solum intendit Soto. »

Ea jurari censetur assertio quæ verbis exprimitur.

534. Tandem *ea jurari intelligenda est assertio quam exprimunt verba juxta significationem quam habent ex se vel ex circumstantiis.* Ex quo principio deduci potest an et quousque liceat jurare cum *restrictione mentali* vel cum *amphibologia;* quæ tamen quæ-

stio, utpote maximi momenti, paulo fusius nunc est discutienda.

Notio restrictionis mentalis

535. Et quidem ante omnia præ oculis haberi debet notio restrictionis mentalis et amphibologiæ. *Restrictio* nihil aliud est quam *limitatio affirmationis vel negationis.* Est autem vel *expressa*, de qua nunc non agimus, vel non expressa, quæ dici solet *mentalis.* Hæc rursus est vel *interna et pure mentalis*, quæ nullo modo illi quocum loquimur apparet, vel *externa et sensibilis seu late mentalis*, quæ scilicet ex circumstantiis cognosci potest. Paulo diversa videtur descriptio restrictionis, quam tradere solent theologi; in idem tamen recidit (1). *Amphibologia* autem

(1) Ita v. g. Viva in pp. 26am et 27am, ab Innocentio XI damnatas, n. 2 et 3: « Restrictio pure mentalis habetur... quoties verba secundum se spectata, seclusis omnibus circumstantiis, significant falsum, seu aliud quam loquens habeat in mente, quamvis ut conjuncta cum eo quod loquens intra se retinet, habeant sensum verum; ut si quis dicat se vidisse Romam, intelligendo intra se, quod viderit illam in pictura; vel si dicat Petrum esse mortuum, intelligendo civiliter seu per assumptionem status religiosi, quando ex circumstantiis apparet locutionem solum esse de morte naturali, de qua loquens interrogatur. Restrictio vero non pure mentalis, seu restrictio realis et externa habetur quoties verba unum de se significatum habent, sed ex circumstantiis et adjunctis habent aliud significare, ut proinde possint secundum se esse falsa, sed quatenus simul cum circumstantiis consignificant, possint esse vera; ut si judex pro tribunali dicat Petrum esse innocentem, quem tamen privata scientia scit esse reum: circumstantiæ enim illæ significant Petrum haberi a judice innocentem juridice seu secundum allegata et probata... Ad restrictionem istam non pure mentalem reducitur usus duplicis scientiæ, videlicet communicabilis et incommunicabilis, quatenus ex circumstantiis apparet verba sumenda esse spectata tantum scientia loquentis communicabili... » Fusius, licet fortasse minus accurate Billuart, *De Mendacio*, a. 2: « Nota 1) restrictionem mentalem esse actum mentis, quo, dum loquimur, verba restringimus seu detorquemus ad aliud quam ad id quod significant; ut si petenti eleemosynam respondeam; nihil habeo, subintelligendo ad tibi dandum; vel si judici interroganti reum, an commiserit furtum, respondeat fur, non commisi, subintelligendo manu sinistra. Nota 2) recentiores plerumque distinguere restrictiones

est usus *vocis* aut *locutionis, quæ duplicem habet sensum*, sive uterque sit principalis, sive unus sit magis communis alter minus, unus litteralis alter spiritualis, etc. Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 151. Unde intelligitur, proprie loquendo, differentiam haberi inter amphibologiam et restrictionem late mentalem, quam differentiam indicat Viva, l. c.: « In rigore, æquivocatio habetur quando verba secundum se habent duplicem sensum, ut cum dicitur: Petrus

et amphibologiæ.

in pure seu stricte mentales et late mentales. Restrictio pure mentalis est, quæ ita menti interior est, ut nullatenus per verba aut circumstantias exteriores manifestetur... Late mentalis est, quæ vel ex modo interrogandi vel respondendi, vel ex usu, vel ex aliquibus circumstantiis exterioribus, sic apparet exterius, ut ab audiente possit percipi, licet forte non percipiatur defectu intelligentiæ vel advertentiæ; ut si v. g. quærenti a me, utrum non viderim patrem meum, respondeam: non vidi; quamvis sensus horum verborum præcise secundum se sit, quod nullatenus viderim patrem meum, tamen interrogatione et circumstantiis attentis, palam est sensum esse me non vidisse patrem ea visione qua illi hic et nunc eum indicare possim. Similiter, si amico viro prudenti et religioso interroganti, an Titius revera commiserit homicidium de quo est accusatus, respondeam ego confessarius: nescio, quod tamen scio ex confessione: quamvis sensus naturalis hujus vocabuli sit me nullo modo scire, sensus tamen obvius ex circumstantiis et ex usu est, me nescire ut hominem sive ad revelandum. Ubi vides verba sub restrictione late mentali prolata importare duplicem sensum: unum ex sua primaria significatione seu impositione, quem voco naturalem; alterum ex circumstantiis consignificantibus, quem voco accidentalem, ut ly nescio in præcedente casu confessarii ex sua significatione significat simpliciter nescire; ex circumstantiis significat nescire ut homo, seu ad revelandum, sicque coincidere cum æquivocis. Verum improprie hæ et similes locutiones dicuntur continere restrictiones mentis, siquidem, si non secundum se, saltem secundum modum communem loquendi et circumstantias personarum ac negotiorum significent quod intendit loquens, quamvis forte subobscure, non secus ac verba æquivoca vel figuratæ locutiones, ut ironiæ, hyperbolæ, joci, parabolæ, fabulæ, etc., in quibus non dicitur esse restrictiones mentis; unde rectius vocarentur restrictiones dictionis quam mentis. Cæterum ut non recedamus a communi modo loquendi, dicantur, per me licet, restrictiones improprie seu late mentales. »

non *est* in triclinio, quod potest esse verum si sit in triclinio, sed ibi non comedat, sumendo ly *non est* pro *non comedit*. Restrictio non pure mentalis habetur per verba quæ de se unam tantum significationem habent, sed ratione circumstantiarum habent aliam. »

536. Hisce præmissis doctrinam communiter in scholis catholicis receptam circa juramentum cum restrictione mentali vel amphibologia, sequentibus propositionibus exhibemus.

Non licet juramento firmare assertionem factam cum restrictione pure mentali;

537. *Assertio facta cum restrictione pure mentali mendacium constituit, adeoque graviter illicitum est eam jurare.* Antecedens patet ex notione mendacii, de qua alibi; cfr. S. Augustinus, *De Mendacio*, c. 3, et S. Thomas, 2.2, q. 111, a. 1; consequens autem supra demonstratum est, n. 528; cfr. S. Thomas, 2.2, q. 89, a. 7, ad 4.

538. Hinc merito damnatæ fuerunt ab Innocentio XI, propositiones 26ª et 27ª quæ sic sonant: « Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus. » — « Justa causa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censetur tunc expediens et studiosa. »

nec assertionem factam cum restrictione late mentali:

539. *Assertio cum restrictione late mentali vel cum amphibologia, facta absque sufficienti causa, illicita est; adeoque etiam illicitum est eam jurare.* Antecedens patet, quia usus promiscuus restrictionis late mentalis vel amphibologiæ nihil demum aliud est quam procuratio aut saltem irrationabilis permissio dece-

ptionis proximi; cfr. De Lugo, *De Fide*, disp 4, s. 5, n. 68; consequens etiam innititur principiis n. 533 expositis.

540. Porro prædicta assertio cum restrictione mentali est peccatum mortale quando vel graviter nocet proximo vel sub gravi prohibita est ratione boni communis, ut in contractibus et in judicio; cfr. J. De Lugo, l. c. n. 69; hinc a fortiori talem assertionem juramento firmare mortale peccatum erit; extra hos casus assertio cum restrictione mentali non videtur esse nisi leviter culpabilis; quantum autem culpabilis sit hujus assertionis juratio ex supra dictis intelligi potest. Cfr. etiam Viva, l. c. n. 17.

nisi ex sufficienti causa.

541. *Assertio ex sufficienti causa cum restrictione mentali facta licita est; adeoque licitum esse potest eam juramento firmare.* Antecedens jam in præcedentibus continetur, illudque alibi ex professo demonstratum hic supponimus; cfr. Joan. VII, 8; Marc. XIII, 32; S. Augustinus, *Contra Mendacium*, c. 10, n. 25; S. Thomas 2.2, q. 110, a. 3, ad 3; J. De Lugo, l. c. n. 69-70; S. Alphonsus, lib. 3, n. 152; consequens etiam in ante dictis habetur.

542. Porro quænam sit causa sufficiens ad jurandum cum restrictione late mentali vel amphibologia, non omnes eodem modo definiunt. Alii rigidiores postulant ut adsit « *utilitas gravis* propria vel aliena, sive vitatio gravis damni, proprii vel alieni. » Cfr. Billuart, *De Mend.* a. 2. Alii vero mitiores existimant quod ad sic jurandum (præterquam in judiciis et contractibus), non requiratur causa absolute gravis, sed sufficiat *quævis rationabilis causa*, puta ad se liberandum ab importuna et injusta interroga tione alterius. » Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 151.

543. Quidquid sit, omnes consentiunt eo majorem causam exigi, quo verba majorem præbent occasionem errandi, et quo gravior est materia

erroris. Præterea notant, causam quæ sufficeret ut quid absque peccato cum restrictione vel amphibologia asseratur, non eo ipso sufficere ut idem juretur; de qua re ita Viva, in pp. 26^am^ et 27^am^, n. 18: « Sicut contra reverentiam numini debitam est, illud invocare ad testandum verum quoties non datur necessitas,... ita contingere potest quod detur solum necessitas aliqua sufficiens ad æquivocandum, quin sufficiat ad jurandum; in quo casu jurans contra reverentiam Deo debitam juraret: unde neque id vacaret culpa saltem veniali. Exempli gratia, si quis invitatus ad bibendum daret ansam querelis nisi laudaret vini bonitatem, esto posset forte æquivocare, dicendo vinum esse bonum (bonitate transcendentali), sed non proinde haberet sufficientem causam ad superaddendum juramentum. »

Difficultates practicæ.

544. Etsi maxima sit consensio in tradendis principiis modo explicatis, non minima est dissensio in iis applicandis ad casus particulares. Difficultas provenit ex eo quod alii ut pure mentales habeant restrictiones quas alii judicant late mentales; vel ex eo quod alii causam sufficientem reputent, quam alii talem non existimant. In his quæstionibus salebrosis, et invidiæ non parum obnoxiis, ut omne imprudentiæ periculum vitetur, præ oculis habeantur resolutiones practicæ a S. Alphonso traditæ, lib. 3, n. 153-167.

545. Occasionem fusius agendi de æquivocationibus et restrictionibus mentalibus dederunt primum protestantium ea de re contra catholicos criminationes et calumniæ, deinde jansenianorum dicteria et mendacia contra casuistas, præsertim contra Sanchez et Lessium; cfr. Malderus, *De usu et abusu restrictionum mentalium;* Th. Raynaudus, *De æquivocatione et mentali restrictione,* opp. tom. 14; Taparelli, *Essai théorique de droit naturel*, not. 30, ad lib. 2, c. 4, n. 365-372. Conclusiones a nobis

propositæ communiter admittuntur a modernis theologis catholicis, cujuscumque nationis ii sint aut scholæ; cfr. v. g., inter Gallos, Gury, tom. 1, n. 444, et Gousset tom. 1, n. 1048; inter Italos, Scavini, tom. 2, n. 103; inter Germanos, Müller, lib 2, t. 2, § 88; inter Anglos et Americanos, Kenrick, tr. 3, n. 193. Quapropter hic notare liceat, non posse non videri duriora ea quæ de hac quæstione olim scripsit vir eminentissimus card. Newmann in *Apologia pro vita sua.*

§ II.

De materia juramenti promissorii.

546. Materia juramenti promissorii est *actio* vel *omissio* a jurante exsequenda; v. g. juro me debita soluturum, hoc vel illud non revelaturum, etc. Cfr. v. g. Gen. XIV, 22, XXI, 23, etc.: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. — Jura ergo per Deum, ne noceas mihi et posteris meis stirpique meæ.*

Materia juramenti promissorii est actio vel omissio exsequenda a jurante;

547. *In juramento promissorio postulatur imprimis ut Deus testificari velit præsentem jurantis intentionem rem aliquando peragendi,* et quoad hoc juramentum promissorium cum assertorio convenit, illudque continet, et consequenter easdem conditiones exigit. Cfr. supra, n. 528 et seqq. Hinc defectu veritatis peccaret qui juraret se aliquid præstiturum cujus efficiendi vel voluntatem non haberet, vel probabile impedimentum nosset.

per hoc juramentum Deus invocatur ut testis præsentis intentionis

548. *Præterea postulatur in juramento promissorio ut Deus vel testis sit exsecutionis rei juratæ vel sit jurantis quasi fidejussor ac de exsecutione rei juratæ pro jurante respondeat.* Prior loquendi modus, quo

et ut testis seu potius fidejussor pro futura exsecutione.

nempe Deus dicitur invocari tamquam *testis* futuræ exsecutionis rei juratæ, multo communior est, et licet quibusdam difficultatibus sit obnoxius, tamen solide defendi potest, quum Deo cuncta sint præsentia. Nihilominus posterior modus loquendi, quo Deus dicitur invocari tamquam *fidejussor* exsecutionis rei, magnis theologis placuit, nempe Suarez, tr. 5, lib. 1, c. 9, n. 2-4; Laymann, l. c. n. 5; Castropalao, l. c. p. 2, n. 7, nobisque præferendus videtur. Ejus fundamentum ita exponitur a Suarez, l. c.: « In ipso promissorio juramento, quatenus de præsenti veritatem loquentis requirit, Deus etiam inducitur ut testis. At vero respectu facti futuri, non potest induci ut testis, nam testimonium non datur de re nondum facta. Et quamvis apud Deum futura præsentia sint, tamen quatenus divinum testimonium per juramentum invocatur, non postulatur a Deo (ut sic dicam) testimonium de re futura, ut ipsi præsens est, sed ut est in verbo promittentis. Sic autem non cadit testimonium in illud verbum nisi quatenus capax est veritatis cum dicitur; ergo respectu facti futuri, ut confirmandum illo verbo, non invocatur Deus ut testis sed ut fidejussor, ad cujus honorem et auctoritatem pertinet ut qui juravit cum effectu, impleat quod asseruit vel promisit. »

Res jurata potest esse vel mere proposita vel promissa;

549. Porro actio vel omissio quæ juratur exsequenda, vel est *tantum proposita* vel est *promissa*. In primo casu, juramentum habetur *late promissorium*, et distinguitur in juramentum *meri propositi confirmatorium*, quo juratur res exsequenda in alterius cultum, honorem, favorem aut commodum, et in juramentum *comminatorium*, quo res juratur exsequenda in pœnam et vindictam. In altero casu juramentum est promissorium vel erga Deum, et tunc habetur *votum juratum*, vel erga hominem, et tunc habetur *pactum juratum*, vel erga Deum et ho-

minem simul, et tunc habetur votum in favorem tertii juratum. Cfr. Sanchez, *De Matr.* lib. 8, disp. 13, n. 4; Laymann, l. c. c. 4, n. 5 et 6.

550. Actio vel omissio, quæ juratur, debet esse *bona*, ut constat ex Jerem. IV, 2; Dei enim sanctitas exigit ut ipsius auctoritas non invocetur nisi ad firmandam voluntatem in justo et recto. Ita S. Augustinus, *Epist.* 125, n. 3: « Si enim certa mors intentaretur, ut aliquid illicitum et nefarium servus Dei se juraret esse facturum, mori malle quam jurare debuerat. » debet esse bona,

551. Hinc a) juramentum de actione vel omissione quæ est peccatum mortale semper etiam peccatum mortale est; cfr. Suarez, lib. 3, c. 19, n. 9 et seqq. Juramentum vero de actione vel omissione quæ est peccatum veniale, juxta non paucos, veniale tantum peccatum est; cfr. Suarez, l. c. n. 1 et seqq. At magis placet sententia aliorum, existimantium illud esse mortale; et ratio est quia gravis injuria esse videtur quod Deus adducatur tamquam fidejussor et approbator mali, etiam levissimi. Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 146; Ballerini, in nota ad n. 512. — Hinc b) juramentum de actione vel omissione quæ sit plane indifferens, vana et prorsus inutilis, de se peccatum est; sed, juxta sententiam communiter receptam, quæ tamen nobis videtur difficultatibus obnoxia, non est nisi peccatum veniale; cfr. Suarez, lib. 3, c. 18, n. 6; Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 3, c. 4, n. 31; Salmanticenses, l. c. n. 58, etc.

552. Bona autem esse debet actio vel omissio jurata non solum in se, sed formaliter *tamquam juramenti objectum*. Quædam enim materiæ tales sunt, ut, licet absque peccato exsecutioni mandari possint, tamen susceptio et existentia obligationis relate ad eas sit contraria bonis moribus: hujusmodi sunt denuntiationis omissio, pœnæ solutio, aliaque simi-

lia, ad quæ nemo potest se obligare ante delictum patratum, siquidem hæc obligatio, casu quo daretur, malefactori animum adderet ad crimen perpetrandum. Ita Suarez, lib. 2, c. 24, n. 8 et 9 : « Talis potest esse materia ut omnis obligatio sive promissionis sive juramenti illi repugnet, etiamsi talis actus alias sponte factus non sit malus... Simili modo dicebamus supra, quando est turpe et contra bonos mores naturales promittere non accusare vel non denuntiare delictum committendum, etiam juramentum de eadem materia esse omnino invalidum; quia licet facto ipso non accusare vel non denuntiare possit esse honestum, obligatio ad illud non est honesta propter licentiam peccandi quæ per occasionem alteri datur (quod tantum exempli gratia dicitur); si tamen illud verum est in obligatione promissionis, etiam est verum in obligatione juramenti, ut supra etiam declaratum est. Quotiescumque ergo materia fuerit talis ut nulla obligatio circa illam expediat vel sit consentanea bonis moribus, tunc sicut promissio de illa est mala et non obligat, ita etiam juramentum, etiamsi alias talis materia sit actio vel omissio quæ sponte et sine obligatione facta honesta sit. Si quis tamen recte consideret, semper tale juramentum revocatur ad illud quod est illicitum ex parte materiæ, quia habet pro materia illum actum ut faciendum postea ex obligatione... Quando vero materia honesta est, et illi non repugnat obligatio simpliciter sed tantum obligatio promissionis humanæ, tunc obligabit juramentum, non obstante defectu promissionis. »

imo melior vel saltem utilis,

553. Si res proposita vel promissa juretur exsequenda intuitu et in honorem Dei, debet esse de bono *meliori;* si autem juretur exsequenda intuitu et in commodum proximi, satis est si sit bona et *utilis*. Juramentum intuitu et in honorem Dei fa-

ctum de bono non meliori saltem veniale peccatum constituit; cfr. Suarez et Salmanticenses, l. c.; Sanchez, l. c. n. 30. Ad rem S. Thomas, 2.2, q. 89, a. 7, ad 2: « Si quis jurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui sancto, qui est boni propositi inspirator, non tamen peccat juramenta servando, sed multo melius facit si non servet. » Cfr. supra, ubi de voto.

554. Tandem res, quæ juratur, debet esse in *arbitrio jurantis;* jurare enim illud, quod cognoscitur vel impossibile vel necessarium, non est nisi culpabilis Dei illusio. et possibilis.

CAPUT II.

De moralitate juramenti.

555. Dicemus in primo articulo de moralitate juramenti *in genere*, in altero agemus de ejusdem moralitate *in specie.*

ARTICULUS I.

De moralitate juramenti in genere.

556. Præsentem quæstionem plenius resolvemus, si juramentum exigamus primo ad principia legis *naturalis*, secundo ad determinationes legis divinæ *positivæ.*

§ I.

De liceitate juramenti ex lege naturali.

557. *Juramentum debitis conditionibus vestitum nulla ratione repugnat principiis legis naturalis.* Etenim invocatio testimonii divini nec irreverentiam erga Juramentum legi naturali conforme est,

summam majestatem implicat, nec superstitionem sapit, nec inutilis aut vana est, sed potius insignem Providentiæ agnitionem supponit, et medium præbet efficacissimum ad bonum necessarium obtinendum. Hinc in usu fuit omnibus ætatibus et apud quascumque nationes; imo in sacris Litteris Deo attribuitur, quod profecto non fieret si in eo aliquid mali inveniretur. Cfr. supra, n. 522.

licet non sit propter se appetendum;

558. *Attamen juramentum non est de genere illorum quæ possint appeti propter se, sed est de genere eorum quæ tantum appetenda sunt tamquam media.* Nam tota ratio juramenti reposita est in defectu et imperfectione sive illius qui loquitur, quando nempe aliter probare nequit veracitatem et scientiam suam, sive illius ad quem sermo dirigitur, cum scilicet alio modo persuaderi non possit, sive aliorum, quando nimirum asseveratione omnino firma indigent.

hinc licite non emittitur nisi ex causa rationali,

559. *Hinc juramentum emitti nequit nisi ex causa rationabili et cum spe fructus:* secus enim vanum est et quasi otiosum. Et hoc a theologis significatur quando dicitur ad liceitatem juramenti requiri *judicium*. Cfr. Suarez, l. c. c. 3, n. 8. Talis causa ad jurandum sufficiens est v. g. pax confirmanda in familiis, major securitas in contractibus, etc.; non potest tamen generali regula definiri quam gravis esse debeat in singulis casibus. Ita Suarez, l. c.: « Quod si quis quærat quanta debeat esse hæc necessitas, respondendum breviter est prudenti arbitrio hoc judicandum esse, et ideo (hanc conditionem) merito *judicium* vel *discretionem* appellari; quia non potest certior regula tradi. Ad hoc autem judicium ferendum præcipue considerandus est finis juramenti...; posito autem fine honesto et sufficienti, satis erit ad honestatem juramenti quod aliqua moralis utilitas ad talem finem in eo exspectari et sperari possit, quia tunc jam cessat omnis ratio irreverentiæ. »

560. *Defectus autem judicii seu absentia causæ sufficientis ad jurandum, dummodo aliæ conditiones adsint, per se non reddit juramentum graviter peccaminosum:* est sententia communis theologorum, quam sic defendit et explicat Suarez, lib. 3, c. 12, n. 4: « Dices: fit contra divinam auctoritatem et majestatem, quando ad res vanas confirmandas suprema veritas trahitur, quantum est ex parte hominis. Nam etiam gravi homini fit non levis injuria, si ad testificandum in hujusmodi rebus vocetur; et si vocaretur rex vel pontifex, gravior esset injuria; ergo si invocetur Deus, erit gravissima injuria Respondeo fieri quidem tunc aliquo modo contra Dei auctoritatem, et ideo illud esse aliquod peccatum. Dico tamen non fieri quasi destruendo ipsam majestatem Dei in se, sicut destrueretur ejus veritas mentiendo; sed solum fit non illam tractando cum debita reverentia, quod non sufficit semper ad peccatum mortale. Sic enim orando sine attentione, contra Dei auctoritatem committitur; tamen in illo ordine levis est culpa, quia non est illa gravis materia irreverentiæ: ita ergo est in præsenti. Nec argumentum illud ab humanis sumptum probat hanc injuriam esse gravem in suo ordine, sed solum esse in altiori ordine et specie offensionis quam fit inter homines. Accedit quod per invocationem Dei, quæ per juramentum fit, non adducitur revera persona Dei ad testificandum, sicut inter homines fieri solet; sed solum invocatur et offertur, quantum ex parte hominis. »

cujus tamen absentia grave peccatum non est.

§ II.

De liceitate juramenti ex lege divina.

561. *In lege Mosaïca juramentum, nedum fuerit prohibitum, potius expresse approbatum est,* ut patet ex pluribus textibus, v. g. Deut. VI, 13, Je-

Juramentum in lege Mosaïca admissum.

rem. IV, 2: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. — Et jurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia, et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt.* Hinc usus juramenti inter Hebræos frequentissimus fuit, etiam apud viros sanctissimos; cfr. Gen. XXI, 2, XXIV, 22, XXVI, 31, XXXI, 53, etc. Attamen abusus ipsius proscriptus erat, ut patet Deut. XX, 7; Eccli XXIII, 9-14: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. — Jurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.*

In Evangelio sanctitas juramenti restituta est,

562. *In Evangelio sanctitas juramenti a Christo Domino vindicata est contra perversiones Pharisæorum.* Contendebant Pharisæi solum perjurium prohibitum esse, et juramentum per creaturas, quibusdam exceptis, nullius momenti esse; cfr. Matth. XXIII, 16-22. Ad hunc duplicem errorem corrigendum, docet Christus juramentum a malo esse, adeoque non esse adhibendum propter se, promiscue, et absque gravi causa; docet præterea non magis jurari posse per creaturas in quibus divina majestas resplendet, quam per ipsum Dei nomen; tandem innuit christianorum sinceritati maxime convenire simplicem affirmationem vel negationem. Talis est sensus verborum Domini, Matth. V, 33-37, quæ in Epist. S. Jacobi V, 12, fere referuntur: *Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis: Non jurare omnino, neque per cœlum... neque per terram.... Sit autem sermo vester: Est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est. — Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est; non, non; ut non sub judicio decidatis.* Cfr. Salmeronius et Maldonatus, *In Matth.* V, 33; Estius, *In Jac.* V, 12; item Gregorius De Valentia, disp. 5, q. 7, p. 3; Suarez, l. c. c. 2, n. 9-12.

563. *At neque a Christo Domino neque ab Apostolis proscriptus est omnis juramenti usus;* ut patet ex S. Paulo, qui et ipse juravit, 2 Cor. I, 23, quamvis esset sanctissimus, atque insignis Christi imitator, imo et scriberet sub inspiratione divina; ac præterea juramenti inter homines adhibiti rationem et finem egregie declaravit, Heb. VI, 13. sed ejus usus non est prohibitus.

564. Ab exordio Ecclesiæ constanter inculcatum est, a) fidelibus ita vivendum esse ut juramentum necessarium non haberent sed ipsis vita esset pro juramento; cfr. S. Irenæus, *Adversus hær.* lib. 4, c. 13; S. Justinus, *Apol.* 1ª, n. 16; Clemens Alex. *Strom.* lib. 5, c. 14, lib. 7, c. 8; Origenes, *In Jer.* hom. 5, n. 12; S Hilarius, *In Matth.* V, 23, 24; S. Gregorius Naz. *Carm.* lib. 1, s. 2, n. 24, v. 85; S. Basilius, *Epist.* 22, n. 1; S. Cyrillus Alex. *De adoratione in spir. et verit.* lib. 6; etc. Hoc sensu aliquando asseritur, christianis interdictum esse juramentum, et illis satis esse loqui coram Deo; cfr. Eusebius Cæs. *Præp. Evang.* lib. 13, c. 13; S. Gregorius Naz. *Contra Jul.* orat. 5, n. 123; S. Athanasius, *Apol. ad Constantium imperatorem,* n. 8; S. Basilius, *Epist.* 102, n. 1; S. Hieronymus, *In Matth.* V, 34. — Inculcatum est b) juramentum esse fugiendum, tum propter periculum perjurii, præsertim in quibusdam materiis; cfr. v. g. Clemens Alex. *Pæd.* lib. 3, c. 11; S. Basilius, *Epist.* 85; S. Ambrosius, *In Luc.* lib. 10, n. 82, *In Ps.* CXVIII, *Serm.* 14, n. 14, *Exhort. Virg.* c. 11, n. 74; S. Augustinus, *Serm.* 180, n. 4; tum propter periculum contrahendi consuetudinem male jurandi; cfr. S. Augustinus, *De Mendacio,* n. 28, *In Ps.* LXXXVIII, n. 4, et CIX, n. 17, *Epist.* 47, n. 2, et 157, n. 40, etc.; *Cap.* Theodulfi, n. 21, etc. — Inculcatum c) consuetudinem promiscue jurandi, prout in quibusdam regionibus vigebat, detestabilem esse et a cœtu christiano prorsus exstirpandam; cfr. Ab initio Ecclesiæ fideles multum deterriti sunt a male jurando,

S. Chrysostomus, *Homiliæ ad populum Antiochenum*, passim; S. Gregorius Naz. l. c. v. 165 et seqq.; Conc. Tur. III, c. 45, etc. — Inculcatum d) quasdam juramenti formulas malas esse et cavendas; cfr. Tertullianus, *Ad nationes*, lib. 1, n. 10 et n. 17, lib. 2, n. 9; Origenes, *Exhort. ad Mart.* n. 7, *In Matth. comm. series* 17, etc. — Inculcatum est e) juramentum non esse propter se appetendum, sed solum ratione necessitatis ad finem proportionatum consequendum; cfr. S. Augustinus, *De Mendacio*, n. 28 et 37, *De Sermone Domini in monte*, lib. 1, c. 17, n. 51.

nunquam tamen juramentum eis interdictum fuit.

565. At simul etiam a) communiter est vel clare suppositum vel expresse agnitum, juramentum non esse in se prohibitum, et consequenter aliquando christianis licitum esse; cfr. S. Justinus, *Dial. cum Tryph.* n. 33; Theophilus Antiochenus, *ad Autolycum*, lib. 2, n. 37; Origenes, *In Lev.* hom. 3, n. 4, *In Jer.* hom. 5, n. 12; S. Hilarius, *In Ps.* 62, n. 12, *De Trin.* lib. 5, n. 30; S. Gregorius Naz. l. c. v. 109-111; S. Gregorius Nyssenus, *In Cant.* hom. 4 et hom. 13; S. Cyrillus Alex. *De ador. in spir. et verit.* lib. 6, *In Is.* LXV, v. 16-18, *In Ps.* LXIV, v. 12; S. Augustinus, ll. cc. passim; S. Isidorus, *Sent.* lib. 2, c. 31; etc. — b) Quapropter accurate determinatæ sunt necessariæ juramenti conditiones et causæ, et ipsius obligatio indicata; cfr. S. Hieronymus, *In Jer.* lib. 1, c. 4, *In Ezech* lib. 5, c. 17. — Cæterum c) historice constat christianos quavis ætate jurasse suumque juramentum ut licitum habuisse; sic v. g. Plinius, lib. 10, *Epist.* 97: « Affirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire; carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem, seque *sacramento* non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne

adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. » Sic etiam Tertullianus, *Apol.* c. 32 : « Sed et juramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum. » Similiter quartodecimani ad Ecclesiam reversi jurant in concilio Ephesino per S. Trinitatem et per Augustorum pietatem et victoriam, et in eodem concilio S. Cyrillus juramentum postulavit a Theodoto et Acacio; cfr. Hard. tom. 4, col. 1398 et col. 1522; alia exempla supra retulimus, n. 516 Porro inter viros auctoritate præstantes qui juramentum a se emissum fatentur, citari imprimis debent S. Marcianus, apud Ruinart, S. Augustinus, *Epist.* 126, n. 9 et S. Bonifacius, apud *Acta SS.* tom. 1 Junii, pag. 462.

Licet juramenti liceitas forte per quoddam tempus a nonnullis in dubium vocari potuerit,

566. Dissimulandum tamen non est, exstitisse aliquando inter christianos, relate ad liceitatem juramenti, sive hæsitationem sive etiam errorem. Hujusmodi hæsitationis indicium reperitur in epistola Hilarii Syracusani ad S. Augustinum; imo ipse S. Augustinus, *Serm.* 180, n. 4, declarat eam quæstionem semper sibi visam esse difficilem. Inter græcos autem, omisso auctore homiliæ *De passione et cruce Domini,* n. 4, 5, 6, dubitari potest de mente, tum S. Epiphanii, *Hær.* 9, n. 6, tum S. Basilii Cæs.: cfr. *Epist.* 45, n. 2; 188, n. 10; 199, n. 17, 29; 207, n. 4. Sed præ cæteris difficultatem facit S. Joannes Chrysostomus : dum enim totus est in extirpanda pessima consuetudine jurandi, vix non proscribit omnem juramenti usum. Affirmat scilicet judæis quidem jurare licuisse, quia infirmi erant et imbecilles; at idem jam non licere christianis, qui perfectiores esse debent; cfr. *Ad populum Antiochenum,* hom. 7, n. 5; 8, n. 4; 15, n. 5; 16, n. 2; *Ad Illum.* cat. 1, n. 5; *In Gen.* hom. 15, n. 5; *In Matth.* hom. 17, n. 5, 6; *In Act. Apost.* hom. 9, n. 6; 10, n. 5; *De com-*

punctione ad Dem. lib. 1, n. 4; etc. Simili exaggeratione contendit a) vix possibile esse bene jurare; cfr. *Ad pop. Ant.* hom. 14, n. 1; — b) juramentum ex se irreverentiam erga Deum involvere; cfr. *Ad populum Ant.* hom. 7, n. 5; *Ad Ill.* cat. 1, n. 5; *In Act.* hom. 9, n. 5; — c) juramentum absolute et indeclinabiliter obligare, etiamsi fuerit de re mala; cfr. *Ad pop. Ant.* hom. 14, n. 1 et 2; quæ omnia ægre in bonam partem explicari possunt; et quamvis libenter agnoscamus multa esse concedenda fervori oratoris, tamen conjicimus fortasse minus rectam menti S. Chrysostomi inhæsisse juramenti notionem. Quidquid de hoc sit, auctoritati tanti viri debetur quod similia legantur apud Theodoretum, *In Jer.* 4, et *Græc. aff. cur. serm.* 9; Œcumenium, *In epist. S. Jac.* 5, 12; Theophilactum, *In Matth.* V, 37, et Euthymium, ibid. Addere possumus in vitis Sanctorum aliquando nonnulla legi, relate ad modum jurandi, quæ explicatione indigent; cfr. v. g. *Acta SS.* tom. I Jan. p. 266, tom. ult. Maii, p. 271, etc.

a multo tempore extra controversiam posita est et ab Ecclesia definita.

567. Cæterum a multo jam tempore res ad liquidum in Ecclesia perducta est et extra controversiam posita; ita ut illi, qui usum juramenti vel absolute impugnarunt vel indebite restrinxerunt, censura notati fuerint. Tales exstiterunt *Apostolici* illi contra quos agit S. Bernardus, *In Cant.* serm. 65, n. 2; et *Boni homines,* damnati in concilio Lumbariensi, anno 1176; tales etiam *Waldenses*, ut comperitur ex professione fidei ipsis ad Ecclesiam reducibus præscripta ab Innocentio III, anno 1210: « Non condamnamus juramentum; imo credimus puro corde, quod cum veritate et judicio et justitia licitum sit jurare. » Hujusmodi etiam fuerunt *Fraticelli* a Joanne XXII damnati, n. 3, qui asserebant « in nullum eventum fore jurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui et pœna teneri,

quos contigerit juramenti religione constringi. » Eumdem errorem, saltem ex parte, renovavit *Wicleff*, ut patet ex ipsius propositione 43ª : « Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia. » Hinc inter articulos de quibus suspecti de hæresi Wicleffiana interrogari debent, 12ᵘˢ est : « Utrum credat et asserat quod in nullo casu sit licitum jurare. » Similia recentius effutiverunt *Anabaptistæ* et *Quackeri*.

568. Quum autem *Janseniani* quidam praxim Ecclesiæ in juramentis exigendis visi sint improbare, a Sede Apostolica statim castigati sunt. Huc pertinet propositio Quesnelli 101ª : « Nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. » Cfr. Viva, in h. p. Huc pertinet etiam propositio Pistoriensium in bulla *Auctorem fidei*, sub n. 75, damnata hisce verbis : « Doctrina quæ perhibet, beatis temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis divini Præceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus homine christiano indignus; insuper continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse; indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ curia ecclesiastica, jurisprudentiæ feudalis (ut ait) normam secuta, in investituris et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit; statuitque, adeo implorandam a sæculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali; — falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris eccle-

siastici læsiva, disciplinæ per canones inductæ et probatæ subversiva. »

569. Solent hic theologi singillatim explicare præcipuas conditiones ad honestatem juramenti requisitas, nempe *judicium*, *veritatem* et *justitiam:* quæ conditiones vocantur juramenti *comites*, phrasi a S. Hieronymo accepta, *In Jer.* IV: « Animadvertendum quod juramentum hos habeat comites, veritatem, judicium, atque justitiam: si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. » Hanc materiam nos satis tractavimus in præcedentibus, n. 527-554 et n. 559-60, ordine paululum diverso, quo arbitramur melius et consuli brevitati, et prospici necessitatibus expositionis claræ et scientificæ.

ARTICULUS II.

De moralitate juramenti in specie.

Juramentum est actus cultus

570. *Juramentum ex se est actus cultus;* licet enim non omnis appellatio ad testem implicet agnitionem inferioritatis in eo qui appellat, et excellentiæ in eo ad quem appellatur, talem nihilominus agnitionem implicat specialis illa testimonii invocatio quæ dicitur juramentum; siquidem non juratur nisi per majorem; cfr. supra, n. 514 et 520. Hinc Tertullianus, *De Idolol.* c. 20*:* « Quis, per quos dejerat, non honorat? »

latriæ.

571. *Est juramentum proprie dictum actus cultus latriæ, juramentum vero improprie dictum actus cultus duliæ;* cfr. supra n. 506, 515, 519. Hinc juramentum vocatum est *sacramentum*, et passim sermo est de *religione* juramenti, etc.; cfr. c. *Debitores*, c. *Tua nos*, c. *Si vero*, De Jurej. Huic autem veritati non obstat quod juramentum non sit propter se appetibile, et quod motivum inducens exercitium hujus actus non sit cultus divinus; nam

« licet cultus Dei secundum se et per se appetibilis sit, tamen actus qui assumuntur ut materia cultus non semper sunt per se appetibiles, sed tantum in aliqua necessitate vel supposita convenienti materia rerum »; — nec magis obstat quod juramentum ordinetur ad finem aliquem humanum; nam si deferendo Deo cultum et honorem, obtineri potest aliquis effectus vel commoditas temporalis, hæc sane licite intenditur; — nec tandem obstat quod jurari possit absque intentione Deum colendi; inde enim unum solummodo sequitur, nempe in tali casu operantem non colere Deum, non tamen sequitur opus ipsum ex se et ex objecto suo non habere honestatem ad religionem pertinentem; cfr. Suarez, l. c. l. 1, c. 4, n. 6-15. (1)

Omnia juramenta assertoria sunt ejusdem speciei moralis; alia tamen aliis graviora;

572. *Omnia juramenta, in quantum per ea Deus invocatur ut testis, sunt ejusdem speciei moralis.* Alia tamen aliis graviora esse possunt. Sic gravius reputatur juramentum quo Deus invocatur explicite quam illud quo invocatur tantum implicite; cfr.

(1) Vix alicubi de indole religiosa juramenti tam multa impie, indocte et illogice scripta reperire est quam in opere F. Laurent, cui titulus *Principes de droit civil*, tom. 20, n. 222-225. Animus non est hic refellere incohærentes hujus viri declamationes; placet tamen verba allegare quibus mentem clarius significat. « La liberté religieuse, telle que notre Constitution (belge) l'entend, avec la séparation de l'Église et de l'État, a pour conséquence logique la *sécularisation* de tous les actes qui *jadis* étaient *essentiellement* religieux : tel est le mariage. Notre Constitution fait plus que le séculariser, elle subordonne le mariage religieux au mariage civil; si le mariage, qui est un sacrement, n'est plus aux yeux de la loi qu'un contrat, à plus forte raison en doit-il être ainsi de tous les actes qui ont un caractère civil tout ensemble et religieux; ils cessent d'être des actes religieux et ne sont plus que des actes civils: tel est le serment. De même que le mariage, le serment n'est plus qu'un acte civil. Est-ce à dire que le serment, réduit à une simple affirmation, ne soit plus un serment? Ce sera encore un acte religieux dans le vrai sens du mot, puisque ce sera un acte dicté par la conscience et sanctionné par la conscience. »

S. Thomas, 2.2, q. 89, a. 10, ad 2; Suarez, l. c. lib. 1, c. 5, n. 12-14; Castropalao, tr. 14, disp. 1, p. 2, n. 2, etc.; similiter gravius reputatur juramentum solemne quam juramentum simplex; cfr. Suarez, l. c. c. 12, n. 6-7. Imo moralitati juramento propriæ addi potest alia ratio sive cultus (puta quando in juramento solemni reverentia exhibetur rebus sacris, evangeliis, reliquiis), sive alterius virtutis (prout fortasse contingit in juramento exsecratorio); cfr. Suarez, l. c. c. 12, n. 10-11, et Castropalao, l. c. n. 4.

disputatur an juramentum promissorium specie differat ab assertorio.

573. *An autem juramenta in quibus Deus tantum invocatur ut testis, specie differant a juramentis in quibus Deus etiam invocatur ut fidejussor,* (supposita scilicet hac interpretatione juramenti promissorii) *non omnino liquet.* Communior quidem sententia est, prædicta juramenta ejusdem esse speciei moralis; contrarium tamen non destituitur gravibus rationibus, quas sic urget Suarez, l. c. c. 9, n. 2-4: « Fundamentum est, quia in juramento assertorio invocatur Deus tantum ut testis veritatis, in promissorio autem, ut tale est, ut fidejussor promissionis, seu verbi dati: hæ autem rationes formales longe diversæ sunt et morales obligationes diversarum rationum inducuntur, ergo et juramenta moraliter diversa. Consequentia videtur clara et minor etiam videtur nota ex rebus humanis, in quibus longe aliud munus est fidejussoris et testis, et longe etiam diversa utriusque obligatio... Confirmatur et declaratur: nam sicut in Deo sunt attributa diversarum rationum, veritas in dicendo et immutabilitas in consilio et proposito voluntatis suæ, sic ex parte hominis videntur esse invocationes et cultus diversarum rationum, implorare testimonium Dei ad veritatem dicti confirmandam, quod pertinet ad Deum ut est prima veritas in dicendo, et ad reverentiam quæ sub tali ratione illi debetur, vel implorare auctoritatem Dei et quasi facere illam præsentem, u

præbeat participationem quamdam (ut sic rem explicem) suæ immobilitatis proposito et dicto hominis de se mutabili, ut, propter reverentiam tanto fidejussori debitam, fiat constans in promissis. »

Ecclesiæ est de juramento leges statuere,

574. *Porro juramentum, cum sit actus religiosus et sacer, pertinet, saltem inter christianos, ad auctoritatem spiritualem.* Ecclesiæ nempe est juramenti *formulas* determinare, *solemnitates* præscribere, *conditiones speciales* ex parte temporis, loci, personarum exigere, *causas* et *materiam* assignare, *præceptum* imponere, etc. Quomodo autem Ecclesia sua potestate usa sit, videri potest *Decreti* p. 2, c. 22; *Decretal.* lib. 2, tit. 24; *Sext. Decr.* lib. 2, tit 4; *Clem.* lib. 2, tit. 9; cfr. etiam S. Basilius, *Epist.* 85; Conc. Aquisgranense, anni 789, n. 63; Coloniense, anni 1536, p. 13, c 13; Moguntinum, anni 1549, c. 87, etc.; quapropter auctoritas civilis seu temporalis nihil relate ad juramenta christianorum statuere valet, nisi dependenter ab Ecclesia.

juramentorum causas cognoscere,

575. *Hinc etiam causæ juramentorum ad forum ecclesiasticum deferri debent.* Hoc principium sæpius inculcatum est a SS. Pontificibus; ita v. g. Innocentius III, Duci Caringiæ, *Decretal.* lib. 1, tit. 6, c. 34: « Idem etiam contra proprium juramentum, super quo nec consilium a Sede Apostolica requisivit, ambitionis vitio regnum sibi usurpare præsumpsit; cum super illo juramento prius Romana Ecclesia consuli debuisset. Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si juramentum illud dicatur illicitum, cum nihilominus super eo nos prius consulere debuisset, quam contra ipsum propria temeritate venire... Utrum vero dictum juramentum sit licitum vel illicitum, et ideo servandum, an non servandum exstiterit, nemo sanæ mentis ignorat ad nostrum judicium pertinere. » Idem prælatis per Franciam constitutis, *Decretal.* lib. 2, tit. 1, c. 15: « Postremo, cum inter reges ipsos reformata fuerint pacis fœ-

dera, et utrinque præstito proprio juramento firmata: quæ tamen usque ad tempus prætaxatum servata non fuerint, numquid non poterimus de juramenti religione cognoscere, quod ad judicium Ecclesiæ non est dubium pertinere, ut rupta pacis fœdera reformentur? » Et Bonifacius VIII, *Sexti Decret.* lib. 2, tit. 2, c. 3 : « Cum C. Laicus (pro quo solvisti certam pecuniæ quantitatem in qua pro eo te fidejussorio nomine obligaveras) te servare recuset indemnem, contra juramentum a se præstitum temere veniendo, ipsum coram ecclesiastico judice (ad cujus forum ratione juramenti causæ hujusmodi cognitio noscitur pertinere) de jure poteris convenire; ut ipsum monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, quod te super prædictis (ut tenetur) servet indemnem, prævia ratione compellat. » (1)

juramenta perversa punire.

576 *Similiter juramenti peccaminosi punitio proprio jure ad Ecclesiam spectat :* sequitur ex principiis supra expositis. Quænam autem pœnæ juramento peccaminoso, et nominatim perjurio, inflictæ fuerint, legi potest apud Suarez, l. c. lib. 3, c. 20; Castropalao, l. c. p. 11; Devoti, *Inst. can.* lib. 4,

(1) Inde etiam Ecclesiæ hostes calumniandi occasionem arripiunt; sic v. g. Laurent, l. c. n. 226 : « L'ambition des gens d'église avait jadis rendu commun l'usage du serment dans les contrats; ils prétendaient que le juge ecclésiastique avait le droit de connaître des contestations sur l'exécution des contrats qui étaient confirmés par serment. Ils fondaient cette prétention sur la nature du serment; le serment étant un acte de religion, le refus d'exécuter une obligation confirmée par serment était considéré comme une violation de la religion; par suite, la religion paraissait intéressée dans les contestations sur l'exécution des engagements garantis par un serment, ce qui les rendait de la compétence des gens d'église. C'est pourquoi les notaires, qui étaient gens d'église, ne manquaient pas d'insérer dans les contrats qu'ils passaient, la clause du serment promissoire, afin d'assurer aux juges ecclésiastiques la connaissance des procès auxquels ils donnaient lieu. »

tit. 12. Exstiterunt tamen ea de re inter auctoritatem spiritualem et auctoritatem civilem varia concordata sive expressa sive tacita, vi quorum perjurii crimen mixti fori erat.

CAPUT III.

De vi et effectu juramenti.

Juramento assertorio fides dictis conciliatur,

577. Juramentum, in quantum est invocatio testimonii divini pro affirmatione, efficaciam habet *plenam fidem dictis conciliandi;* expressis verbis id tradit Apostolus, Heb. VI, 16-17 : *Et omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum.* Cfr. Theodoretus et Theophylactus, in h. l.; S. Optatus, *De Schism. Donat.* lib. 2, c. 22; S. Hieronymus, *In Ezech.* lib. 4, c. 16; S. Hilarius, *In Psalm.* CXVIII, litt. 14, n. 6; supra, n. 506.

578. *Hæc efficacia oritur immediate ex juramento ipso seu ex invocatione divini testimonii, non autem ex facto attestationis divinæ;* talis enim attestatio realis plerumque non datur, saltem visibiliter, quamvis dici possit quod, vi invocationis, Deus per quamdam fictionem censeatur ut testis produci et testari, ita ut moraliter habeatur perinde ac si testimonium dedisset. Cfr. S. Thomas, 2.2, q. 89, a. 1; Soto, *De Justitia,* lib. 8, q. 1, a. 1; Suarez, l. c. lib. 1, c. 6, qui tali modo loquendi favere videntur. Quidquid sit, prædicta juramenti efficacia tota fundatur in conscientia jurantis, quatenus nullus præsumitur tantæ impietatis esse atque audaciæ ut ad Deum omniscium et summe veracem appellare velit pro eo quod vel non certo novit, vel scit esse falsum. Ex quo sequitur, usum juramenti minus utilem minusque opportunum evadere statim

ac Dei timor ejusque cognitio practica apud populum minuitur. De hoc principio quædam lectu dignissima habet Plato, *De Legibus*, lib. 12. Cfr. Greg. De Valentia, disp. 6, q. 7, p. 1.

promissorio autem obligatio inducitur et actus confirmantur.

579. In quantum autem est vel invocatio divini testimonii vel postulatio divinæ fidejussionis pro rei exsecutione, juramentum præterea producit duplicem *effectum*, unum *intrinsecum* nempe specialem *exsecutionis obligationem*, alterum *extrinsecum*, nempe actus quocum jungitur, *confirmationem* aut *convaliditionem*. Seorsim de utroque agemus.

ARTICULUS I.

De effectu intrinseco juramenti promissorii.

580. Effectus intrinsecus juramenti promissorii est obligatio exsequendi illud quod juratum est: agemus in præsenti de hujus obligationis existentia, qualitate, et quantitate; de conditionibus ad eam requisitis; et postea de ipsius cessatione.

§ I.

De existentia, qualitate et quantitate obligationis ex juramento.

Ex juramento promissorio oritur obligatio

581. *Certum de fide est juramento induci obligationem præstandi illud quod juratum est.* Hoc in sacris Litteris passim vel aperte supponitur, vel expresse significatur; cfr. v. g. Gen. XXIV, 3, 8, XLVII, 31, L, 5, 6; Num. XXX, 3; Jos. VI, 22, IX, 15-19; I Reg. XIV, 24-26, XXX, 15; Eccli. XXIII, 13; Heb. VI, 17: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit. — Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit.* Idem inculcant SS. Patres, inter quos

legi possunt v. g. S. Basilius M. *Epist.* 188, n. 10, *Epist.* 217, n. 82, et S. Hieronymus, *In Ezech.* lib. 5, c. 17 : « Qui contemnit juramentum, illum despicit per quem juravit. » Huc præterea pertinent multi textus juris, v. g. c. *Debitores*, c. *Querela*, c. *Tua nos*, De Jurejur. Ratio autem est, quia cum in juramento promissorio Deus adducatur vel in testem rei futuræ vel quasi in fidejussorem illius exsecutionis, manifesto incumbit juranti ut, quantum in se est, efficiat ne Deus habeatur testis falsi et fidejussor vanus; cfr. S. Thomas, 2.2, q. 89, a. 7; Suarez, l. c. lib. 2, c. 1.

religionis

582. *Hæc obligatio proprie est religionis et reverentiæ erga Deum, atque ex omni juramento debite emisso sequitur tamquam effectus ejus necessarius.* Talem esse veram indolem obligationis ex juramento, optime declaravit Greg. De Valentia, l. c. p. 4: « Circa modum quo obligat juramentum, illud advertendum est, juramento non ita obligari aliquem, ac si juramentum sit privata lex, sicut est votum. Non enim est lex, sed invocatio divini testimonii, quod longe aliud est. Obligatur igitur quis juramento, ideo quia hoc ipso quod jurat, præcepto naturali religionis tenetur ad aliquid. » Porro prædicta obligatio aliquando sola est, aliquando autem conjuncta cum alia obligatione sive fidelitatis erga Deum, sive fidelitatis aut justitiæ erga hominem, prout scilicet juramentum est vel per se stans, pro objecto habens merum propositum, vel stricte promissorium, pro objecto habens votum, promissionem aut pactum. Cfr. supra, n. 549, et Suarez, l. c. c. 4.

probabilius ex toto genere gravis.

583. *Apud omnes certum est obligationem juramenti esse ex genere suo gravem;* hoc exigit reverentia Deo debita, simulque finis et efficacia juramenti. *At multum controvertitur utrum hæc obligatio sit, necne, gravis ex toto genere suo, ita ut levitatem materiæ non admittat.* Obligationem non esse

ex toto genere suo gravem docuerunt Dom. Soto, *De Justitia*, lib. 8, q. 1, a. 7; Arragon, in 2.2, q. 89, a. 3; Suarez, l. c. lib. 3, c. 16, aliique non pauci; e contra obligationem esse gravem ex toto genere suo propugnaverunt Caietanus, 2.2, q. 89, a. 7; Toletus, *Inst. Sacerd.* lib. 4, c. 22, n. 1; Greg. De Valentia, l. c. p. 3; Lessius, lib. 2, c. 42, dub. 5, n. 23, etc. Arbitramur Soti et Arragonii rationes satis apte solutas fuisse a Gregorio De Valentia; hujus autem et Lessii argumentis non fuisse plene responsum a Suarez. Et sane quod in juramento promissorio Deus adducatur tamquam testis rei futuræ vel quod adducatur tamquam fidejussor, ut voluit Suarez, parum refert; nam non minus repugnat reverentiæ Deo debitæ quod efficiatur fidejussor vanus quam quod efficiatur testis mendax; sicut enim unum quasi destruit ejus scientiam et veracitatem, ita alterum destruit ejus immutabilitatem et constantiam. Inter hæc autem non habetur nisi differentia quædam materialis. Reponit quidem Suarez, l. c. n. 12, « invocari Deum in juramento promissorio ut testem præsentis promissionis, et *dantem auctoritatem futuræ executioni*, » quod n. 13 declarat, « exemplo adducto ab humanis; sic enim inducitur præsentia regis, non propter præscientiam sed propter auctoritatem; » unde concludit non invocari Deum per tale juramentum « sub ratione præscientis futura vel affirmantis illa, sed sub ratione *assistentis* et testificantis præsentia sua, et potentis judicare de futuris. » At hæc explicatio non perfecte cohærere videtur cum iis quæ doctor eximius tradit, lib. 1, c. 9 et 10; ea autem admissa, dicendum esset jurare rem aliquam fere idem esse ac statuere vel promittere coram Deo; quod vix concedi potest. Ut hanc difficultatem evadant, nonnulli aliam theoriam proponunt; dicunt scilicet quod in juramento promissorio

Deus non adducatur ut testis rei futuræ, neque ut fidejussor pro ejus exsecutione, sed quod « jurans Deo *suam fidem obstringat*, eique obligetur. » Cfr. D'Annibale, *Summula*, tom. 2, n. 26. Verum, si ita res se habet, sequitur non posse dari juramentum per se stans, seu quod non sit stricte promissorium: hoc autem merito negatur. Itaque multum propensi sumus in sententiam Valentiæ, cui etiam recentissime adhæsit Perrone, *De Virt. theol.* n. 305. Cæterum advertere adhuc liceat, momenta hujus sententiæ modo valde imperfecto indicari apud S. Alphonsum, lib. 3, n. 173.

Comparatio obligationis ex juramento cum obligatione voti.

584. Ex dictis aliquousque solvi poterit controversia inter theologos agitata, *utrum scilicet obligatio juramenti promissorii gravior sit obligatione voti*, an e contra. Graviorem esse obligationem voti docuit S. Thomas, 2.2, q. 89, a. 8, cujus tamen argumenta sufficientia visa non sunt Mich. Medinæ, *De Continentia sacerd.* lib. 5, c. 22 et c. 23, et Greg. De Valentia, l. c. p. 4, § 1; Angelici tamen doctrinam multis defendit Suarez, l. c. lib. 2, c. 3.

§ II.

De conditionibus ad obligationem ex juramento requisitis.

585. Conditiones, de quibus agendum est, respiciunt tum *actum* jurandi et *modum* quo juratur, tum juramenti *materiam* ejusque *terminum*.

Obligatio non oritur nisi ex juramento deliberate facto.

586. *Et quidem imprimis obligatio non oritur nisi ex juramento deliberate emisso;* cfr. supra, n. 313, ubi de voto, et rursus, n. 513. Huic deliberationi obstat motus passionis considerationem impediens, hominemque vehementer ad jurandum alliciens; item ignorantia et error circa juramenti essentiam, rei juratæ substantiam, jurationis causam finalem; cfr. supra, n. 319-322, et Suarez, l. c. c. 11. Ratio

est, quia in his casibus juramentum, saltem perfectum, non existit.

Ad existentiam obligationis non requiritur voluntas adimplendi juramentum, nec intentio sese obligandi;

587. *Ad existentiam obligationis ex juramento non requiritur in jurante voluntas exsequendi rem juratam:* ita omnes. *Nec magis necessaria est intentio sese obligandi;* adeoque ignorantia hujus obligationis non impedit quin revera contrahatur, ut optime demonstrat Suarez, l. c. lib. 2, c. 7, n. 18. Etenim « si actus, qui est causa obligationis, absolute intenditur ac fit, necessitate naturali sequitur obligatio, sive homo illam ignoret, sive non; quia non sequitur ex eo quod ipsa est in se voluntaria, sed præcise ex vi causæ. »

imo ei non obstat voluntas se non obligandi.

Imo existentiæ obligationis per se non obstat voluntas positiva se non obligandi; hanc quidem assertionem non pauci rejiciunt, inter quos eminet Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 3, c. 10, n. 7 et seqq.; eam tamen absque dubio veram esse arbitramur. Et ratio est, ut egregie arguit Suarez, l. c. lib. 2, c. 7, n. 12, « quia licet in potestate hominis sit jurare vel non jurare, non est tamen in potestate hominis ex juramento præstito non obligari; ergo, qui vult jurare, quantumvis nolit obligari, necessario obligatur. Consequentia est evidens: quia qui potest adhibere causam, et non potest effectum ejus impedire, si vult applicare causam, et cum effectu applicat, necessario vult effectum, etiamsi maxime nolit: ut qui vult applicare ignem domui, voluntarie quidem ponit causam, sed effectus necessario sequitur, independenter a voluntate ejus; ita ergo erit in præsenti, stante veritate antecedentis. Antecedens ergo explicatur et probatur ex doctrina supra tradita de duplici obligatione juratæ promissionis ad hominem et ad Deum: inter quas hæc potest notari differentia, quod obligatio promissionis est per se et directe intenta, imo est quasi primum objectum voluntatis promittendi... Obligatio autem juramenti non est directe intenta, quia per

juramentum nihil homo affert Deo, sed potius obligat ipsum Deum (ut sic dicam) ut suæ assertionis vel promissionis sit testis aut quasi fidejussor: et inde (non jam ex voluntate sua sed ex naturali lege) obligatur homo ad verum faciendum testimonium Dei. Declaratur optime humano exempio; nam si quis vocavit hominem ut esset fidejussor suæ promissionis, eo ipso obligatur fidejussori, nec per voluntatem contrariam potest talis obligatio impediri; ita ergo est cum proportione in præsenti. » Cfr. ibid. n. 16 et n. 17. Aliunde auctoritates quæ opponuntur, nempe c. *Humanæ aures*, et duplex textus S. Thomæ, in 3, dist. 39, q 1, a. 3, ad 3, et 2.2, q. 89, a. 7, ad 4, ad præsentem quæstionem nihil faciunt; argumenta autem quæ passim apud auctores contrariæ sententiæ legi possunt, fere omnia innituntur vel confusioni *elementi essentialis* juramenti cum *effectu necessario*, vel confusioni intentionis jurandi cum intentione sese obligandi. Optime rursus Suarez, l. c. n. 15: « Moderni qui illas (duas intentiones) clarius distinguunt, fere omnes nostram sententiam sequuntur; et si qui dissentiunt, statim recedunt ab hypothesi, dicentes intentionem non se obligandi destruere intentionem jurandi, et fictam illam reddere, quia jam non manet nisi intentio proferendi exterius verba juramenti, non vero solide ac vere jurandi. Sed immerito retrocedunt ab hypothesi quæstionis et negant illam: tum quia juramentum est simpliciter prius obligatione, et non includit illam in sua intrinseca ratione, sed omnino habet illam ut effectum resultantem: unde nec voluntas jurandi includit in objecto suo obligationem, sed solum invocationem divini testimonii, quæ omnino prior et distincta est ab obligatione; tum etiam quia non solum metaphysice sed etiam moraliter hæc sunt separabilia. » Et iterum n. 17: « Illa duo objecta, jurare scilicet et obligari, sunt reipsa distincta; et

ideo nolitio posterioris non destruit formaliter et per se volitionem prioris Quin potius, si unus ex his actibus destruit efficaciam alterius, potius dicendum est, voluntatem jurandi destruere voluntatem non se obligandi, et facere ut non sit absoluta et efficax voluntas, sed inefficax desiderium et conditionata voluntas non se obligandi, si esset possibile; vel, si sit propositum efficax, magis resolvitur in propositum non implendi.... Et ratio est, quia intentio jurandi est prior, et supponitur esse in eodem instanti; unde non potest evacuari a voluntate posteriori, sed potius impediet illam. Et revera, quando homo cognoscit et advertit esse connexionem necessariam inter causam illam et hunc effectum, simulque considerat se non posse voluntate sua impedire emanationem talis effectus a tali causa, tunc impossibile est habere simul utramque voluntatem absolutam et efficacem. Et absolute loquendo in potestate hominis est alterutram illarum voluntatum habere efficacem vel inefficacem; et ideo conscientia ejus consulenda est, ut si certo sciat absolute voluisse jurare, sibi persuadeat alteram voluntatem non se obligandi non fuisse voluntatem sed velleitatem, vel non fuisse de non se obligando, sed de non implendo. Et in dubio semper ita credo esse præsumendum, tum in favorem juramenti, tum quia per se est verisimilius et naturali legi magis consentaneum. Quando autem homo esset certus se habuisse voluntatem absolutam non contrahendi obligationem juramenti, et non ignorasse neque considerasse connexionem necessariam obligationis cum juramento, tunc credere potest non habuisse intentionem jurandi vere, sed tantum ficte et externe, et consequenter ab obligatione excusari. »

Obligatio juramenti non videtur pendere a sola

588. *Obligatio juramenti non videtur commensurari soli intentioni jurandi, sed probabiliter respondet etiam voluntati proferendi formulam juratoriam, adeoque*

sese extendit ad ea omnia quæ verba tum ex se tum ex circumstantiis significant, dummodo talis significatio sit juranti nota. Propositionem nostram sequentibus explicamus. a) *Qui juravit cum restrictione late mentali, per se ad illud solum tenetur quod exprimere voluit et realiter expressit, non vero ad illud quod alter incaute intellexit:* patet ex ipsa notione restrictionis late mentalis, supra n. 535 et n. 539-544 expositæ. Difficultatem nihilominus alicui fortasse movebunt verba nimis generalia S. Augustini, *Epist.* 125, n. 4: « Illud sane rectissime dici non ambigo, non secundum verba jurantis, sed secundum exspectationem illius cui juratur, quam novit ille qui jurat, fidem jurationis impleri..... Unde perjuri sunt qui, servatis verbis, exspectationem eorum quibus juratum est, deceperunt, et perjuri non sunt qui etiam verbis non servatis, illud quod ab eis cum jurarent exspectatum est, impleverunt. » Diximus autem sic jurantem *per se* non teneri ultra realem verborum sensum; quia fortasse aliquando *per accidens* ad aliquid teneri poterit, ratione damni causati. — b) Plures et gravissimi doctores tradunt eum, qui juravit cum restrictione pure mentali, teneri ratione juramenti ad ea sola quæ jurare intendit; ad ea vero, quæ de facto voluntarie expressit, teneri solum indirecte ratione scandali, damni, honoris divini apud audientes læsi: ita Soto, *De Justitia*, lib. 8, q. 1, a 7; Greg. De Valentia, l. c. p. 4, § 3, secundo quær.; Suarez, l. c. lib. 2, c. 8, n. 5; Lessius, l. c. dub. 8, n. 44; Castropalao, l. c. disp. 2, p. 2, n. 3, etc. Verum hæc doctrina nobis non videtur satis fundata; adeoque propugnamus *eum, qui juravit cum restrictione pure mentali, teneri ratione juramenti ad ea omnia quæ realiter expressit, non vero ad ea solum quæ jurare intendit.* Existimamus sententiam nostram haberi in textu S. Au-

voluntate jurandi eique soli commensurari;

licet enim juramentum emissum cum restrictione late mentali non obliget nisi ad ea quæ intenta sunt et realiter expressa,

tamen juramentum emissum cum restrictione pure mentali obligat ad ea quæ realiter expressa sunt,

non vero solum ad ea quæ sunt intenta.

gustini mox citato, et clare reperiri apud S. Isidorum, *Sent.* lib. 2, c. 31 : « Quacumque arte verborum quisque jurat, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. » Cujus loci explicatio sufficiens non datur a Suarez, cæterisque auctoribus supra citatis. Consonare videtur S. Thomas, 2.2, q. 89, a. 7, ad 4, quamvis paulo obscurius loquatur in 3, dist. 39, q. 1, a. 3, ad 3; en Angelici verba: « Quando non est eadem jurantis intentio, et ejus cui jurat, si hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus cui juramentum præstatur. Unde Isidorus dicit: Quacumque arte verborum, etc. Et quod hoc intelligatur de doloso juramento patet per id quod subditur: Dupliciter reus fit qui et nomen Dei in vanum assumit, et proximum dolo capit. Si autem jurans dolum non adhiberet, obligatur secundum intentionem jurantis. Unde Gregorius dicit, 27 Mor.: Humanæ aures talia verba nostra judicant qualia foris sonant, divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. » Cfr. Sylvius, in 2. 2. q. 89, a. 7, quær. 3. Præterea existimamus sententiam nostram magis conformem esse veræ indoli juramenti, in quo elementum externum tanti est momenti, ut, juxta plures, absque eo juramentum non sit completum; cfr. supra, n. 511. Quapropter vel nulla in casu, quem examinamus, obligatio admittenda est, vel extendenda videtur ad ea omnia quæ verbis exprimuntur. Objiciet forte aliquis, exinde sequi quod etiam juramentum *fictum* per se obliget; at hæc consequentia merito negari potest; et si fateri cogeremur eam esse legitimam, absque ulla difficultate ipsum consequens teneremus; cfr. supra, n. 513.

589. *Cæterum existentia obligationis ex juramento semper pendet ab eventu conditionum sub quibus actio vel omissio jurata est;* hoc principium in præsenti

non evolvimus, quia satis est applicare quæ supra diximus de voto, n. 324-328 et 383-391.

590. *Oritur obligatio ex juramento etiam per injuriam extorto, nempe vi, metu aut dolo;* ita S. Thomas, 2. 2. q. 89, a. 7, ad 3 : « Dicendum quod in juramento quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit, et talis obligatio tollitur per coactionem : quia ille qui vim intulit, hoc meretur ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit; et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel prælato denuntiare non obstante quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum : esset enim contra justitiam publicam. Romani autem Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes. » Eodem modo loquuntur Caietanus et Arragon, in h. l.; Soto, *De Justitia*, lib. 8, q. 1, a. 7; Sanchez, *De Matr.* lib. 4, disp. 20, n. 3-5; Greg. De Valentia, l. c. p. 4. § 3; Lessius, lib. 2, c. 42, dub. 6, n. 26; Suarez, l. c. lib. 2, c. 9, 10; Castropalao, l. c. p. 3 et 4, et alii fere communiter. Exprimitur hæc doctrina in pluribus juris textibus, v. g. *Decretal.* lib. 1, tit. 40, c. 4, *Ad audientiam,* lib. 2, tit. 24, c. 8, *Si vero,* c. 15, *Verum,* etc.; nec quidquam reapse oppositum legitur eodem tit. 24, c. 2, *Pervenit,* c. 28, *Cum contingat,* aut *Sext. Decretal.* lib. 1, tit. 18, c. 2, *Quamvis pactum.* Objici forte posset quod divinæ fidejussionis invocatio injuste extorta a Deo non admittatur, et censeri debeat nulla, ita ut contra reverentiam Deo debitam non sit rem

Probabilius obligat juramentum vi, metu aut dolo extortum.

tali modo juratam non exsequi; sed hoc satis non est ut a doctrina communi recedamus. Cfr. supra, n. 318.

Obligationem non inducit juramentum de re mala

591. *Nullam obligationem inducit juramentum de actione vel omissione mala;* repugnat enim ut aliquis peccare teneatur; nec ullius valoris esse potest invocatio divinæ fidejussionis pro re inhonesta. Ita docent SS. Patres communiter, v. g. Origenes, *In Lev.* hom. 3, n. 4, *In Matth.* tom. 10, n. 22; auctor *Quæstionum ad Ant. ducem*, quæst. 130; S. Basilius, *Epist.* 199 n. 29; Concilium Nicænum II, act. 4, apud Hard. tom. 4, col. 207. Sufficiat retulisse S. Isidori verba, *Sent.* lib. 2, c. 31: « Non est conservandum juramentum quo malum incaute promittitur. » Et reg. 38 juris in *Sexto:* « Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. » Plura in *Decr.* II, c. 22, q. 4, et *Decretal.* lib. 2, tit. 24, c. 18, *Quia personam.* Jam supra n. 566, advertimus, quædam difficiliora de hac quæstione legi apud S. Joannem Chrysostomum, quæ tamen theologi conantur in bonam partem explicare; cfr. Suarez, l. c. c. 14 et 15. Nonnulla etiam satis singularia habet Gratianus, *Decr.* II, causa 22, q. 4, in fine. Cæterum non uno in loco practicos errores apud populum christianum exstitisse circa istam materiam pluribus documentis constat. Ita v. g. S. Bernardus, *Epist.* 219, n. 3: « Nam probro ducitur, sicut optime nostis, apud Francigenas juramentum solvere, quamlibet male publice juratum sit, quamvis nemo sapiens dubitet illicita juramenta non esse tenenda. »

undecumque malitia oriatur et qualiscumque ea sit;

592. *Porro hic nihil refert utrum actio vel omissio jurata sit graviter an leviter mala; item an sit mala in se an vero mala quia juranti prohibita sive præcepto divino, sive præcepto humano ecclesiastico aut civili, sive etiam proprio facto, nempe priore voto, juramento, promissione.* Hæc speciali demonstratione non indigent,

et legi possunt late declarata apud Suarez, l. c. c. 18, 19, 20; Castropalao, l. c. disp. 2, p. 7, § 6 et p. 8, etc. At ut doctrina proposita prudenter applicetur, sedulo advertendum est, *aliud esse quod materia aliqua sit prohibita, aliud quod per legem prohibeatur vel irritetur contractus aut promissio circa eam materiam:* si prohibita sit ipsa materia, juramentum de ea exsequenda nullam inducet obligationem; si autem prohibeatur tantum contractus aut promissio circa eam materiam, nullam quidem obligationem inducet juramentum de tali contractu aut promissione facienda, sed obligationem inducere nihilominus *poterit* juramentum de ipsa materia exsequenda. Huc pertinent *Decretal.* lib. 2, tit. 24, c. 28, *Cum contingat,* et *Sext. Decretal.* lib. 1, tit. 18, c. 2, *Quamvis pactum,* lib. 2, tit. 11, c. 2, *Licet mulieres,* etc. Rem multis explicat Suarez, l. c. c. 21-23; eam jam breviter sed egregie expresserat, ibid. c. 20, n. 6 : « Duobus modis potest juramentum esse contra leges civiles obligantes in conscientia. Primo, quia juramentum verificandum est per actum ipsum prohibitum per leges civiles; et tunc juramentum non potest obligare... Secundo, solum quia ipse actus, cui conjungitur juramentum, quando fit, est prohibitus per legem, actus vero postea necessarius ad verificandum juramentum, non est contrarius legibus. Ut, si lex prohibeat promissionem non revocandi testamentum, vel instituendi talem hæredem, non tamen prohibeat actum instituendi vel non revocandi, juramentum promissorium de tali actu contra leges est in fieri, non vero erit in observari, et ideo obligare poterit, etiamsi leges illæ in conscientia obligent. » Rursus idem principium enucleat, l. c. c. 24, n. 6-9: « Dico recte contingere posse juramentum additum tali promissioni, esse obligatorium respectu actus honesti promissi, etiamsi promissio ipsa ex aliis capitibus illicita sit... Et probatur: quia illud juramentum

non habet pro objecto promissionem ipsam, sed rem promissam, quæ duo accurate sunt distinguenda ad judicandum de valore juramenti. Proprie enim tunc juramentum habet pro objecto promissionem, quando quis jurat promittere; quod juramentum obligat ad promittendum, non ad faciendum quod promissum fuerit; ut, si juro vovere castitatem intra annum, nondum vovi nec teneor servare castitatem ex vi juramenti, sed vovere illam intra præscriptum tempus; postquam autem vovero castitatem, tenebor illam servare ex vi voti, non ex vi prioris juramenti. Si autem vovendo castitatem, jurem servare votum, tunc tenebor ad castitatem servandam non tantùm ex vi voti, sed etiam ex vi juramenti; et ideo dico, hoc juramentum non habere pro objecto ipsum votum, sed actum promissum per votum, quia servare votum non est promittere sed exsequi promissum. Igitur quoties promissio mala est, juramentum faciendi talem promissionem irritum erit, quia est de actu malo tamquam de objecto. Non loquimur autem de hoc juramento, sed de juramento servandi promissionem, quod juramentum habet pro objecto actum promissum, seu executionem ejus; ergo si actus est honestus et servari potest sine animæ præjudicio, juramentum obligabit... At vero quando promissio non solum est prohibita, sed etiam irrita, tunc magis dubia esse potest obligatio juramenti de tali promissione servanda: nihilominus tamen, si irritatio est de sola promissione, et non cadit in actum promissum prohibendo illum in conscientia, adhuc juramentum poterit obligare, non ex vi promissionis, sed ex vi assertionis de futuro actu juramento confirmatæ... Et hoc probat aperte juramentum additum promissioni de solvendis usuris: nam illa promissio est irrita et potest esse mala, vel ob circumstantias, vel ob extrinsecam prohibitionem, et nihilominus juramentum obli-

gat..... Unde tandem intelligitur cur in assertione non dixerim universaliter juramentum additum tali promissioni semper obligare, sed solum indefinite *posse* obligare; quia talis potest esse materia ut omnis obligatio sive promissionis, sive juramenti illi repugnet, etiamsi talis actus alias sponte factus non sit malus. » Cfr. supra, n. 552.

nec juramentum de re prorsus indifferenti.

593. *Nec ulla obligatio oritur ex juramento de re undequaque indifferenti, qua tali, quæ nempe non vergat in honorem Dei vel in utilitatem proximi:* ut si nullo honesto fine, sed vel ex levitate vel ex indignatione, jures te hodie non ambulaturum, etc. Ratio est, quia Deus censeri nequit fidejussionem acceptare pro exsecutione nugarum. Ita Suarez, l. c. c. 16, n. 1 et 2: « Probatur autem breviter, quia imprimis actus de se indifferens, quotiescumque propter se tantum fit sine ulla relatione ad honestum finem, est peccatum veniale, juxta probabiliorem sententiam; ergo jurare actum indifferentem, ut sic, idem est ac jurare quoddam peccatum veniale; ergo tale juramentum non obligat. Dices: contraria sententia, quod actus indifferens in individuo non sit peccatum, probabilis est; ergo saltem secundum illam illud juramentum obligabit. Respondeo, quidquid sit de antecedenti (quod mihi dubium est saltem loquendo de probabilitate practica), negando consequentiam: quia ut juramentum non obliget, satis est quod sit probabilius illum operandi modum esse peccaminosum... Unde ulterius addo, juramentum non solum non obligare ad actum indifferentem secundum se spectatum quia malus est, sed etiam quia bonus non est sic factus in individuo, etiamsi fingamus illa duo esse in individuo separabilia, quod non credimus, quia eo ipso talis actus otiosus est, quod in actu humano et morali sufficit ad aliqualem malitiam, ut in verbis otiosis constat. Tamen, admissa etiam illa separatione, saltem ille

actus sic factus est inutilis tam operanti quam aliis...» Cfr. quæ supra fusius scripsimus, n. 361-368.

Non obligat juramentum de re exsequenda intuitu honoris divini, nisi hæc sit melior,

594. *Juramentum confirmatorium promissionis Deo factæ, aut per se stans solius Dei intuitu præstitum, obligationem non inducit nisi sit de bono meliori.* Hæc est sententia theologorum communis, ad cujus intelligentiam faciunt ea quæ superius habentur, n. 369 et seqq. Ratio autem est ea quam in præcedentibus jam sæpius adduximus. Cfr. Suarez, lib. 2, c. 12, n. 4-8 et 11-13.

at juramentum de re exsequenda in favorem proximi obligat etiamsi hæc sit minus bona; dummodo sit utilis.

595. *At juramentum confirmatorium promissionis factæ homini, aut per se stans emissum in utilitatem alicujus, sive hominis, sive Ecclesiæ, sive communitatis, obligationem inducit, etiamsi sit de materia minus bona.* Hæc assertio etiam satis communiter recipitur, et multis confirmatur a Suarez, l. c. n. 14-17 et 19-24. Et sane eo ipso quod actio vel omissio supponatur tertio utilis, est etiam ex hac ratione Deo grata, et consequenter nihil prohibet quominus pro ea sponsor habeatur.

596. Ex pæcedentibus definiri potest quousque obligationem pariant juramenta *non ludendi, nec fidejubendi, nec emendi auctiori pretio nec vendendi minori, non accusandi nec denuntiandi delinquentes, item omittendi opera supererogatoria, etc.;* de quibus legatur Castropalao, l. c. p. 7, § 1-3. Hinc nominatim etiam resolvitur eum, qui puellæ juravit se illam in matrimonium ducturum, ad matrimonium istud teneri, nec posse sacros ordines suscipere. An nihilominus religionem ingredi posset, casu saltem quo non juraverit ex titulo oneroso, v. g. propter puellæ defiorationem, examinant theologi et canonistæ ad *Decretal.* lib. 4, t. 1, c. 16, *Commissum;* cfr. præ cæteris Suarez, l. c. lib. 2, c. 13, n. 2-12. Iisdem principiis innixus Navarrus, lib. 5, *Cons.* 4 de reg. ad 2, respondit, alumnos collegii Anglorum Romæ qui juramentum præstant se absolutis studiis in An-

gliam ituros fidei catholicæ propagandæ causa, non posse sine dispensatione religionem ingredi, in qua juramentum adimplere nequeant; quandoquidem eorum juramentum editum fuit in utilitatem ecclesiæ anglicanæ. Cfr. Laymann, l. c. c. 6, n. 6.

Non obligat juramentum per falsos deos.

597. *Tandem per se et directe obligationem non parit invocatio testimonii idolorum:* idolis enim reverentia non debetur. Si qua ergo ex tali invocatione obligatio habetur, tota est *per accidens* et *indirecte*, nempe ratione conscientiæ erroneæ vel propter damnum secutum; cfr. Suarez, l. c. c. 5. Optime etiam Castropalao, tr. 14, d. 1, p. 1, n. 4: « Dices: ethnici falsos deos invocant, ut eorum dictis auctoritatem præstent; ergo juramentum non est sola veri Dei invocatio; et confirmatur ex textu in c. *Movet te*, 22, q. 1, ubi Augustinus affirmat violantem juramentum factum per falsos deos, perjurum esse et graviter peccare. Respondeo invocationem falsorum deorum non esse vere et proprie juramentum, sed in ethnicorum existimatione: existimant enim divino testimonio veritatem confirmare, cum tamen non confirment: quod satis est ut perjuri censeantur et graviter peccent si juramentum violent, sicuti graviter peccat violans præceptum et votum quod credit habere, cum tamen non habeat. Et sic est explicandus textus in dicto cap. *Movet*, et textus in c. *Ecce*, 22, q. 5, casu quo lapis ille per quem ibi juratur idolum sit. — Sed urgebis: si falsorum deorum invocatio verum juramentum non est, nullam ex religione obligationem habebis illud observandi; consequens autem videtur falsum, quia hac via tollitur humana communicatio et contractuum firmitas. Respondeo verum esse tale juramentum nullam contractibus firmitatem concedere: quod enim nihil est, nec proprietatem nec firmitatem habere potest. Unde si ex se irriti sunt et nulli, ex vi talis juramenti, cum nullum sit, fir-

mari non possunt. Quapropter si ethnicus suum errorem cognosceret, ille juramento, quatenus tale est, non tenebitur; et a fortiori non teneretur christianus sic jurans; non enim ex virtute religionis teneri potest juramento, quod neque juramentum est, sed potius vero juramento illiusque cultui et religioni contrarium. Tenebitur tamen stare promissis ex fidelitate, quia hæc non amittit suam firmitatem ob juramentum adjectum. »

§ III.

De interpretatione et adimpletione obligationis ex juramento.

598. *Sensus juramenti judicatur ex natura actus cui adjungitur;* illud nempe censetur jurari quod promittitur vel de quo contrahitur, et sub iisdem conditionibus ac limitationibus. Sic intelligendum est principium vulgatissimum quod *juramentum sequatur naturam promissionis vel contractus;* sequitur nempe hanc naturam quoad *materiæ extensionem*, minime vero quoad *obligationis existentiam;* fieri enim potest ut juramentum obliget, quamvis promissio aut contractus, cui adjungitur, non valeat; cfr supra, n. 592. Rem præclare explicavit Suarez, l. c. c. 32, n. 5 et 6: « Aliud est quærere quid juretur, aliud vero quomodo juramentum ad id obliget; nam primum spectat ad materiam, secundum ad effectum juramenti. Sensus ergo juramenti est, quod talis res sub tali vel tali conditione, limitatione, aut extensione jurata intelligatur; et ideo clarum est hunc sensum maxime sumendum esse ex natura actus jurati, prout per talia verba vel signa expressum est; et hoc probant jura et exempla in principio adducta, et ratio etiam facta, quia juramentum est quasi accessorium ad assertionem juratam, et ideo sequitur sensum ejus. Et juxta hanc intelligentiam illius principii,

non solum procedit quoad primordialem naturam actus, quasi solo naturæ jure spectati, sed etiam secundum naturam quam de facto a jure vel consuetudine sortitur, quia etiam censetur quis contrahere modo juridico vel consueto, et ita etiam censetur jurare. Præterea obligatio juramenti pendet suo modo ex materia, quia debet esse possibilis et licita, et quoad hoc sequitur juramentum naturam actus, quia non obligat ad impossibile vel illicitum. Supposita vero capacitate actus per se, inducit suam obligationem quasi independenter ab aliis conditionibus actus, scilicet quod de se sit validus vel obligatorius, etc. »

Obligatio juramenti est strictæ interpretationis

599. *Præterea juramentum, quoad ejus obligationem, stricte est interpretandum, quantum nempe materia ejus et verba pacti vel promissionis permiserint.* Sequitur ex regula generali *odiosa esse restringenda*, et habetur in *Decretal.* lib. 2, tit. 24, c. 21 *Ad audientiam*, ubi Innocentius III archiepiscopo Neapol. scribit : « Nos juramentum tuum benignius interpretari volentes, etc. ; » cfr. Suarez, l. c. n. 7; Castropalao, l. c. disp. 2, p. 14; Laymann, l. c. c. 9. Huc etiam referri possunt multa ex iis quæ supra scripsimus, ubi de voto, n. 403-409.

et personalis.

600. *Juramentum adimpleri debet per ipsum jurantem, ita ut absque actu voluntatis ejus obligationi non satisfiat;* cfr. supra, n. 410-411. Cæterum hæc obligatio omnino personalis est, et, qua talis, non transit ad hæredes jurantis, adeoque *per solum jurantem adimpleri debet* juramentum. Hoc alterum principium sic exponitur a Laymann, l. c. c. 10, n. 3 et 4 : a) « Obligatio juramenti propria ex virtute religionis, omnino personalis est solumque jurantem afficit, et ad hæredem sive successorem ejus non transit. » — b) « Si juramentum non sit confirmatorium promissionis sed per se stans, nulla omnino ex eo obligatio ad hæredem transit : propterea quod hujusmodi

juramentum unam simplicem religionis obligationem continet, quæ pure personalis est. » — c) « Sin vero defunctus promissionem homini factam et acceptatam, aut votum Deo editum juramento firmarit, tunc quia duplicem obligationem contraxit, religionis et justitiæ, extincta per mortem ejus obligatione priore, posterior ad hæredem transit, quippe qui omnia onera seu obligationes reales secundum vires hæreditatis aditæ in se suscipit. » Cfr. supra, n. 394.

601. Porro hic inquiri posset quandonam juramentum sit adimplendum, — an adimpleri debeat in propria specie an vero per æquivalens possit adimpleri, — an in juramento adimplendo locus sit compensationi, etc. Iis tamen quæstionibus non immorabimur, quia earum solutio facile deduci potest tum ex regulis modo expositis, tum ex iis quæ variis in locis de voto scripsimus; cfr. Suarez, l. c. c. 35-37.

§ IV.

De cessatione obligationis ex juramento.

In omni juramento promissorio subintelliguntur conditiones, quæ si deficiant, juramentum obligare desinit:

602. *In juramento promissorio non asseritur rem absolute et in omni casu exsequendam esse, sed asseritur eam exsequendam esse sub certis conditionibus quæ prudenter subintelligi debent et semper subintellectæ censentur.* Tales conditiones sunt: si potuero, vel: si res in eodem statu permanserint; — si ei, in cujus favorem cedit res jurata, placuerit, vel: nisi ipse remiserit; — salvo jure superioris; — nisi prælatus aliud disposuerit; etc. Cfr. *Decretal.* lib. 2, tit. 24, c. 10 *Querela*, c. 16 *Veniens*, c. 17 *Brevi*, c. 19 *Venientes*, c. 25 *Quemadmodum*, c. 31 *Petitio*, etc. Hinc statim ac prædictæ conditiones deficiunt, obligatio cessat; nec dici potest per non adimpletionem juramenti fieri ut Deus adductus fuerit tamquam testis falsus vel fidejussor vanus; nam revera non

est adductus in testimonium vel fidejussionem rei exsequendæ in his vel illis circumstantiis; quippe juramentum non est nisi remedium adversus inconstantiam, mutabilitatem, levitatem aut malitiam promittentis aut proponentis, adeoque jurans intendit tantum persuadere fore ut per ipsum non stet quominus res promissa vel proposita executioni mandetur.

cessare autem potest obligatio juramenti ab intrinseco

603. Ex his patet, obligationem juramenti imprimis cessare ab intrinseco, a) *quando finis rei juratæ totaliter cessat;* — b) *quando res jurata fit juramento inepta, vel etiam ita mutatur ut non amplius sit moraliter eadem*, prout supra diximus, ubi de voto; cfr. etiam Suarez, l. c. lib. 2, c. 10, n 10 et seqq.; — c) *quando persona in cujus favorem juratum est, moritur vel amittit illud ratione cujus juramentum ei præstitum fuit:* sic si Petro obedientiam juravi quia meus est rex, juramento non obligor casu quo Petrus regia dignitate legitime privetur; e contra, si obedientiam juravi pontifici, qua tali, juramento obligor non solum erga pontificem nunc regnantem, sed etiam erga successores ejus.

vel ab extrinseco.

604. Ab extrinseco autem cessare potest juramenti obligatio pluribus modis, nempe: *condonatione* seu remissione, *relaxatione*, *irritatione*, *dispensatione* et *commutatione*. Duo priores modi proprii sunt juramento, tres posteriores communes sunt juramento ac voto, licet fortasse non eadem ratione locum habeant in uno quam in altero. De singulis successive dicemus.

605. Prius tamen solvi debet difficultas alicujus momenti, nempe an causis supra explicatis tolli posset obligatio si quis jurasset se rem absolute executurum esse et noluisset ullam in suo juramento subintelligi conditionem. Optime respondet Suarez, l. c. c. 34, n. 9: « Si intendat excludere omnes conditiones..., esse temerariam in-

tentionem et nullius momenti; quia non potest ipse excludere a juramento ea quæ sunt de intrinseca ratione ejus ut obligare possit; qualia sunt: esse de re licita et Deo placita et possibili; nec etiam potest facere quin ab alio habente superius jus pendeat, quia non potest alium privare jure suo. Et ita, non obstante illa temeraria voluntate, juramentum obligabit cum conditionibus necessariis ad honestatem ejus Si vero solum quis intenderet excludere omnes conditiones particulares, maxime concernentes suam utilitatem propriam, tunc absolute obligaretur juxta talem intentionem, quia quoad hoc validum et licitum est juramentum. »

I. De juramenti condonatione.

Condonatione seu renuntiatione rei juratæ

606. *Condonatio in præsenti intelligitur renuntiatio rei juratæ facta ab eo in cujus favorem hæc res cedit.* Licet autem condonatio, quando agitur de juramento stricte promissorio, concipi possit tamquam remissio obligationis, tamen quando agitur de juramento per se stante, concipi debet tamquam repugnantia ad exsecutionem. Cfr. Suarez, l. c. lib. 2, c. 39, n. 6.

cessare potest obligatio juramenti;

607. *Porro condonatione cessare obligationem juramenti* communiter a theologis traditur et facile demonstrari potest; siquidem juramentum promissorium intrinsece includit conditionem: si alter, cui fit promissio, fuerit contentus; quia nemini invito beneficium confertur; ergo si ille, cui fit promissio, illam remiserit, eo ipso non obligat juramentum. Cfr. Suarez, l. c. n. 1.

condonare valet solus ille in cujus favorem res jurata cedit directe et primario;

608. *Fieri potest condonatio ab eo in cujus favorem res jurata cedit directe et primario.* Perinde autem est quod res jurata sit tantum proposita vel quod sit simul promissa; et, si est promissa, quod sit promissa condonanti an alii, Deo vel ho-

mini: v. g. juravi et Deo promisi dare eleemosynam pauperi tali: liber maneo ab obligatione si ille pauper non vult donum meum; similiter « si quis promittat et juret Petro dare filiæ ejus centum in dotem, et illa nolit ea recipere, liber ab obligatione manet, nec tenebitur dare Petro; quia licet ei promiserit, non tamen promisit dare ei sed filiæ, et ibi involvitur ut conditio voluntas filiæ. » Suarez, l. c. n. 2, 3, 6.

609. *At condonatio fieri nequit ab eo in cujus utilitatem res jurata cedit tantum indirecte et secundario:* v. g. si juravi me oraturum pro conversione Pauli intuitu boni Ecclesiæ, obligationem Paulus remittere non valet. Nec fieri potest condonatio ab eo *in cujus præsentia res* jurata est, vel ab eo ad *cujus petitionem aut instantiam* res jurata est, vel ab eo in *cujus gratiam* seu ad cujus captandam benevolentiam res est jurata. Cfr. Suarez, l. c. n. 5.

610. Advertendum est, condonationem fieri posse vel *sponte* vel ex *necessitate;* ex necessitate autem fit quando ille, in cujus favorem res jurata est, ad ei renuntiandum cogitur. *Ratio* cum cogendi est si juramentum in sui favorem extorserit injuste vi, metu incusso, dolo et fraude, ut habetur *Decretal.* lib. 2, tit. 24, c. 1 *Mandamus.* Cogendi vero *potestas* principaliter est penes judicem ecclesiasticum; an etiam sit penes judicem sæcularem aliquousque dubitari potest; ita Suarez, l. c. n. 14: « Vera et communis sententia est, judicem laïcum habere ad hoc potestatem, et licite posse ab eo postulari, ut cogat talem creditorem ad remittendum, quando ille alias laïcus est, et materia etiam promissionis mere laïca et temporalis. »

hic tamen ad condonandum aliquando legitime cogitur.

II. De juramenti relaxatione.

611. *Relaxatio hic intelligitur remissio beneficii ex juramento, facta, non per modum renuntiationis ab eo*

Relaxatio est remissio beneficii ex jura-

mento, facta a superiore illius in cujus favorem cedit res jurata;

in cujus utilitatem cedit res jurata, sed per modum privationis a legitima auctoritate a qua pendet ille in cujus favorem res jurata cedit. Igitur relaxatio stricte sumpta concipi nequit tamquam actus potestatis super juramentum ipsum exercitæ, sed concipi debet tamquam actus potestatis exercitæ super eum cui juratum est. Cfr. Suarez, l. c. c. 38, n. 2; Castropalao, l. c. disp. 3, p. 6, n. 6.

per eam tollitur obligatio juramenti.

612. *Talem relaxationem posse a legitima auctoritate concedi, dubitandum non est.* Sicut enim subditus potest aliquando privari jure acquisito, ita privari potest beneficio juramenti alterius; et sicut legitima auctoritas valet subditum cogere ad renuntiandum beneficio juramenti, ita valet pro subdito renuntiare, quasi supplendo ejus consensum. Cfr. Suarez, l. c. c. 41, n. 4.

Causa relaxandi est bonum commune,

613. Jam vero causa relaxandi juramentum est imprimis *bonum commune*, quod præferendum est bono privato; potest autem propter bonum commune relaxari juramentum, etiamsi nulla iniquitas vel turpitudo fuerit in eo in cujus utilitatem res jurata cedit. Notat tamen Suarez, l. c. n. 4, hanc causam boni communis rarissimam esse.

crimen puniendum,

614. Altera causa relaxandi juramentum est *crimen* ab eo, cui juratum est, patratum, etiamsi illud crimen cum juramento ejusque emissione connexionem non habeat; hujusmodi crimen est hæresis, apostasia, schisma. Huc pertinet *Decret.* II, c. 15, q. 6, c. 5 *Juratos*. Cfr. Suarez, l. c. n. 8; Castropalao, l. c. p. 3, n. 4.

injustitia in contractu jurato,

615. Tertia relaxandi causa est *injustitia* et *læsio gravis* in contractu jurato commissa; talis enim injustitia per auctoritatem publicam resarciri potest; resarcitur autem plene per juramenti relaxationem. Plura tamen in hac re præ oculis habenda sunt quæ explicantur a Castropalao, l. c. p. 4.

iniquitas in

616. Potissima vero relaxandi causa est *iniqui-*

tas qua juramentum ab altero obtentum est, v. g. dolus, fraus, metus, etc. Est doctrina certa et communis, quæ in præcedentibus satis explicata est, et clare habetur *Decretal.* lib. 2, tit. 24, c. 8 *Si vero*, c. 15 *Verum*, c. 28 *Cum contingat*, etc. ipso juramento.

617. *Potestas* relaxandi juramenta est penes *Summum Pontificem* relate ad omnes fideles, et penes *episcopos* relate ad fideles diœcesanos in quorum favorem juramenta sunt præstita; cfr. Suarez, l. c. c. 41, n. 5; Castropalao, l. c. p. 3, n. 5 et p. 6, n. 1-3. Disputatur autem utrum similis potestas etiam aliquo modo sit penes *auctoritatem temporalem;* Suarez, l. c. n. 14-16, perpensis rationibus utriusque partis, existimat realem dissentionem inter theologos circa hanc quæstionem non haberi, ac mentem suam ita aperit: « Possumus loqui de relaxatione juramenti per modum dispensationis et absolutionis....., vel possumus loqui de relaxatione juramenti, quæ est per modum condonationis factæ ex parte hominis..... Priori modo censeo proprium esse spiritualis potestatis a juramenti vinculo absolvere vel in illo dispensare... Posteriori autem modo verum est, posse potestatem sæcularem intra suos limites et in materia mere temporali, et quoad personas laïcas relaxare juramentum faciendo condonationem debiti eminentiori modo quam fieri possit per privatam personam ad quam illud pertinet. » Cfr. De Lugo, *De Justitia*, disp. 22, s. 8, n. 237-240. Potestas relaxandi competit Ecclesiæ, et forte etiam principi temporali.

III. De juramenti irritatione.

618. *Irritatio est quasi actus destructio;* fit autem vel directe, dissolvendo principium actus, vel indirecte, auferendo ejus materiam, adeoque supponit non potestatem in eum cui juratum, sed auctoritatem dominativam sive in voluntatem jurantis, Duplex irritatio, directa et indirecta.

sive in ejus res et actiones; cfr. supra, n. 428-429, ubi de voto.

Juramenta probabiliter irritari nequeunt directe;

619. *Incertum est utrum juramenta irritari possint directe;* locum non esse irritationi directæ juramenti propugnant Greg. De Valentia, l. c. p. 4 et Suarez, l. c. c. 38, n. 12, qui etiam differentiam indicat inter juramentum et votum: « nam votum consistit in ipsa promissione efficaci ad obligandum, et ita substantia voti pendet ex voluntate se obligandi, quæ voluntas potest irritari tam antecedenter quam consequenter... Juramentum autem est aliquid prius, a quo naturaliter sequitur obligatio; requirit autem materiam capacem et acceptionem ejus in cujus gratiam fit, et ideo solum ex his capitibus potest irritari, vel relaxari. » Oppositum tamen non pauci sustinent cum Castropalao, l. c. disp. 2, p. 13: hi autem juramento applicant ea omnia quæ de irritatione directa voti statuuntur; cfr. supra, n. 430-440.

irritari possunt indirecte;

620. *Certum est juramenta irritari posse indirecte*, quando nempe versantur circa materiam quæ alterius dominio vel administrationi subjacet: ratio est quia juramentum obligare nequit in præjudicium tertii. Cæterum huc transferri debent ea quæ de voti irritatione indirecta superius, n. 441-448 dicta sunt.

difficultas de juramentis minorum relate ad tutores.

621. Est tamen difficultas aliqua specialis relate ad juramenta *minorum*, utrum nempe indirecte irritari possint a tutoribus. Rem explicat Suarez, l. c. c. 38, n. 7-9: « Respondeo imprimis juramenta minorum, quæ votum includunt vel sapiunt naturam voti, irritari posse a tutoribus, eo modo quo vota..... Deinde assero etiam minorum juramenta, quæ versantur circa contractus humanos vel promissiones hominibus factas, posse a tutoribus irritari, quando contractus ipsi invalidi sunt non obstante juramento..... Ulterius addo juramenta pu-

berum quibus confirmantur contractus, non posse irritari a tutoribus. Probatur quia .. talia juramenta sunt omnino firma et rata; item per illos contractus acquiritur jus tertio, quod tutor auferre non potest et consequenter nec fundamentum ejus, quod est juramentum. Et ratio a priori est, quia potestas irritandi juramentum potest a lege civili pendere, quatenus subjectio minoris et dependentia voluntatis ejus a tutore potest per legem minui vel augeri... De juramentis autem impuberum, quibus suos contractus confirmant, dissentiunt inter se... auctores. Quidam enim putant posse talia juramenta irritari a tutoribus... At vero Sancius oppositum sentit, supponendo unum principium, scilicet contractus istorum pupillorum factos sine auctoritate tutorum, non esse omnino irritos, quoad obligationem naturalem; ex quo infert, si confirmentur juramento, non posse tutores talia juramenta irritare, quia, cum acquiratur jus tertio, non habet locum irritatio tutoris. Mihi vero prior sententia placet..... » Cfr. J. De Lugo, *De Justitia*, disp. 22, s. 8, n. 213-216. Cæterum de confirmatione contractus per juramentum mox dicetur.

IV. De juramenti dispensatione.

Dispensatio est actus jurisdictionis in jurantem, quo ipse ab exsecutione rei juratæ eximitur.

622. *Dispensatio* juramenti non videtur esse solum renuntiatio, nomine Dei ejusque auctoritate facta, rei quæ jurata est exsequenda intuitu divini honoris, sed est *actus quo aliquis a rei juratæ exsecutione eximitur,* et qui idcirco jurisdictionem in jurantem supponit. Dispensatione autem non efficitur ut veritas juramento desit, seu ut Deus adhibitus fuerit in testem falsi seu in fidejussorem vanum; nam casus dispensationis est ab initio exceptus.

Dispensandi potestas Ec-

623. *Competere Ecclesiæ ipsique soli potestatem dispensandi in juramentis,* omnino certum est atque

clesiæ competit, ex constanti traditione et usu practico apertum. Cæterum maxime conveniebat, propter honorem divinum et bonum animarum, ut a Christo Domino talis potestas constitueretur; cfr. supra, n. 450.

relate ad omnia juramenta.

624. Potest autem ab Ecclesia dispensari in *omnibus* fidelium juramentis, nisi hæc sint confirmatoria vel promissionis humanæ vel contractus cum altero initi, atque ideirco per ea fuerit tertio jus acquisitum. Cfr. supra, n. 451-458.

In juramentis dispensare possunt qui habent potestatem dispensandi in votis, non solum si hæc sit ordinaria

625. *Potestate dispensandi in juramentis gaudent qui habent potestatem ordinariam dispensandi in votis; an vero qui delegatam potestatem habent dispensandi in votis eo ipso habeant potestatem delegatam dispensandi in juramentis, controvertitur.* Nonnulli propugnant sententiam negativam: innituntur tum *in natura rerum*, quia obligatio juramenti diversa est ab obligatione voti, tum *in stylo curiæ*, quia speciale privilegium conceditur ad relaxanda juramenta præter illud quod habetur ad dispensandum in votis; cfr. Lessius, lib. 2. c. 42, dub. 12, n. 60-62. At hæ rationes non videntur validæ; nam licet obligatio juramenti sit formaliter diversa ab obligatione voti, tamen utriusque obligationis fere idem objectum est, et ordinarie eadem est causa utramque tollendi. Præterea a longo jam tempore per bullas conceditur facultas dispensandi in votis etiam juratis; jam vero qui dispensare valet in votis juratis seu in votis et juramentis simul junctis, dispensare etiam valet in juramentis per se stantibus. Hinc sententia affirmativa merito pluribus placuit;

sed etiam si sit delegata.

cfr., inter antiquiores, Suarez, tr. 6, lib. 6, c. 14; Sanchez, *De Matr.* lib. 8, disp. 2, n. 16-18 et *De Præc. Dec.* lib. 4, c. 53, n. 6-9; inter recentiores autem Loiseaux, *Traité canonique et pratique du Jubilé*, c. 6, a. 2, s. 1, § 3, 2me point, n. 12-14, etc. Porro Suarez, l. c. n. 6, scribit: « Hæc (affirmativa) est sententia communis, et sine dubio

potest in praxi observari. » S. Alphonsus vero lib. 3, n. 190, quamvis fateatur sententiam affirmativam esse « non minus probabilem », quam est sententia negativa, concludit tamen hanc negativam esse « tenendam », id est in praxi sequendam, quia « obligatio juramenti, cum sit certa et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam. » At, in præsenti, quæstio non est utrum obligatio juramenti censeri possit extincta per dispensationem tantum probabiliter validam, sed utrum in juramentis dispensari possit cum jurisdictione tantum probabili, quæ duo valde diversa sunt. Cfr. Loiseaux, op. cit. c. 3, n. 20, et supra, n. 460 et seqq.

626. *Disputatur etiam utrum reservata sint juramenta quæ versantur circa materias de quibus votum est reservatum.* Nonnulli tenuerunt ea juramenta reservata non esse: ita præ cæteris Sanchez, *De Matr.* lib. 8, disp. 13 et *De Præc. Dec.* lib. 3, c. 19, n. 6; S. Alphonsus, lib. 3, n. 159. At, inquit Suarez, tr. 5, lib. 2, c. 40, n. 8, « ego non audeo illi adhærere sententiæ nec consulerem usum ejus in praxi. » Quæ Suarezii doctrina et magis fundata videtur et communius admissa; cfr. Cajetanus, 2.2, q. 89, a. 9; Soto, *De Justitia,* lib. 8, q. 1, a. 9; Greg. De Valentia, l. c.; Arragonius, in 2.2, q. 89, a 9, Dico quarto; Sayrus, *Clavis Regia*, lib. 5, c. 8, n. 9; Laymann, l. c. c. 11, n. 4; Lessius, l. c. dub. 12, n. 58; Toletus, *Inst. Sacerd.* lib. 4, c. 23, n. 2; Sylvius 2.2, q. 89, a 9, concl. 2; etc.

Probabilius reservata sunt juramenta quæversantur circa res de quibus votum est reservatum.

V. De juramenti commutatione.

627. *Commutatio proprie dicta est quædam imperfecta et semiplena dispensatio;* adeoque ipsi applicanda sunt principia modo exposita, nec-

Commutatio est semiplena dispensatio vel semiplena

relaxatio et condonatio.

non ea qua superius scripsimus relate ad votum, n. 488-496. Sumitur etiam commutatio pro semiplena et imperfecta condonatione aut relaxatione, de qua nulla occurrit difficultas specialis. Cfr. Suarez, l. c. c. 36, n. 5.

628. Quæri tantum debet an, facta commutatione, jurans maneat obligatus in virtute juramenti. Nonnulli existimaverunt post commutationem non remanere veram juramenti obligationem; at Suarez, l. c. n. 8, censet « quoties commutatur juramentum sive ex consensu partium, sive auctoritate superioris, id, in quod fit commutatio, cadere sub obligatione juramenti. » Et ratio est « quia alias non esset commutatio sed extinctio prioris juramenti et nova promissio seu pactio simplex et nuda. »

ARTICULUS II.

De effectu extrinseco juramenti promissorii.

Effectus juramenti extrinsecus est confirmatio contractus.

629. Extrinsecum dicimus effectum quem juramentum non producit ex vi sua naturali, sed *ex vi aliunde ei adveniente*, attributa scilicet a competente auctoritate. Hujusmodi effectus, qui ex juramento promissorio non sequitur necessario et ab eo separari potest, præcipue est actus (nempe contractus, pacti, promissionis) quocum juramentum jungitur, *convalidatio* vel *confirmatio*.

Juramentum vario modo se habere potest ad contractum;

630. Ad talem effectum rite intelligendum, advertatur juramentum vario modo se habere posse ad contractum vel promissionem. *Imprimis fieri potest ut pactum vel contractus sit juramenti materia;* v. g. juro me tibi venditurum, donaturum, etc.; *et vicissim potest fieri ut juramentum sit promissionis materia*, v. g. promitto me juramentum cras emissurum; manifestum autem est in his locum non esse confirmationi. *Deinde fieri potest ut contractus et*

juramentum circa eamdem materiam versentur; in hoc autem casu vel duo isti actus *nullam connexionem* inter se habent, v. g. promitto Petro eleemosynam, et postea ad promissionem non amplius attendens juro me eleemosynam illi facturum; et tunc juramentum promissionem non confirmat; — vel duo actus sunt *inter se dependentes*, ita ut unus sit alteri subordinatus, v. g. latroni qui mihi metum incutit, promitto centum francos, et juro me obligationem meam adimpleturum, in quantum existit; nec tunc juramentum promissionem confirmat; — vel tandem duo actus, *licet connexionem inter se habeant, sunt tamen in se absoluti*, v. g. promitto pauperi alicui eleemosynam et simul eidem juro me eleemosynam ipsi elargiturum; dono alicui pecuniam, et juro me eum ut verum hujus pecuniæ dominum deinceps habiturum, etc.; et tunc quæritur quousque juramentum confirmet promissionem, donationem, contractum.

ipse vero contractus variæ firmitatis est.

631. Porro actus, cui juramentum validum ita connexum est, potest esse vel undequaque *validus*, vel *validus naturaliter* invalidus autem civiliter, vel validus et infirmus seu *rescindilis*, vel *invalidus*. Infirmus autem et invalidus est aut *ex jure naturali* et divino, aut *ex solo jure humano*, sive *ecclesiastico* sive *civili*. Si sit infirmus et invalidus ex jure humano, ejus invaliditas aliquando statuta est *in bonum commune*, aliquando *in pœnam contrahentis*, aliquando *in ejus tutelam et defensionem*.

Contractus intelligi potest juramento confirmari improprie vel proprie, æquivalenter vel formaliter.

632. Multiplici autem ratione intelligi potest *actus juramento confirmari;* primum, *improprie*, quatenus ille, qui secus vel unico titulo vel etiam nullo titulo obligaretur, ratione juramenti titulo religionis obligatur; de hujusmodi confirmatione nobis sermo esse non debet; deinde *proprie*, idque sive *æquivalenter*, quatenus juramento efficitur ut actus producat effectus quos produceret si esset validus, sive etiam

formaliter, quatenus juramentum actui confert vim ipsi naturalem et nativam. Hujusmodi vero confirmatio inde oritur quod auctoritas, per quam actus infirmitas est statuta vel a qua saltem pendet actus, virtutem infirmandi tollit pro casu quo actui junctum sit juramentum.

Juramento non confirmatur proprie contractus jure naturæ invalidus;

633. Hinc facile perspicitur fieri non posse ut juramento confirmentur contractus qui invalidi vel infirmi sunt jure naturali aut divino; cfr. J. De Lugo, *De Justitia*, disp. 22, s. 8, n. 293. Nec convenit ut juramento confirmentur actus qui infirmi vel invalidi jure humano redditi sunt in bonum commune aut in odium et pœnam contrahentis. At non repugnat ut juramento confirmentur actus qui effecti sunt invalidi vel infirmi in favorem contrahentis; ex una enim parte supponi debet eum, qui contractui juramentum adjecit, processisse cum majore cautione vel etiam suo privilegio renuntiasse; ex altera vero parte æquum est reverentiæ juramenti consuli, ne temere fiat, et facile contemnatur; cfr. De Lugo, cit. n. 203.

nec contractus jure positivo irritus in bonum commune aut in odium contrahentis;

an autem juramento proprie confirmentur contractus jure humano irriti in bonum contrahentis, controvertitur:

634. An autem, *de facto*, juramento confirmentur contractus jure humano irriti vel infirmi in bonum contrahentis, magna est controversia: alii existimant nullum actum juramento proprie confirmari; — alii opinantur juramento confirmari solos actus validos naturaliter civiliter autem invalidos; — propugnant alii juramento confirmari actus infirmos non tamen convalidari irritos; — alii tenent et confirmari juramento actus infirmos et convalidari irritos; — demum alii propugnant quosdam contractus sive invalidos sive infirmos confirmari, cæteros non confirmari; cfr. Molina, *De Justitia*, tr. 2, disp. 149; Suarez, l. c. lib. 2, c. 26-30; Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 3, c. 12; Laymann, l. c. c. 8; Lessius, lib. 2. c. 17, dub. 7; J. De Lugo, l. c.; Giribaldi, tr. 7, c. 2, dub 4; Reiffenstuel, in *Decretal.* lib. 2, t. 24,

§ 4, n. 118; Schmalzgrüber, ibid. n. 83; Ferraris, v° Juramentum, § 1; Danes, *De Virt. Card.* tit. 22, § 6; Collet, *De Contr.* p. 1, c. 4, a 2; Wirceburgenses, *De Contr.* c. 1, a 5; Martinet, *Theol. Mor.* lib. 2, a. 13, § 6; etc.

sententia affirmativa communior est.

635. Quod ad nos attinet, sequentia proponimus. a) *Difficile negari potest, olim statuto auctoritatis sæcularis juramento attributam fuisse vim confirmandi quosdam contractus civiles jure positivo irritos vel infirmos in bonum contrahentis;* constat ex authentica *sacramenta puberum,* cod. *Si adversus venditionem*: « Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur. » — b) *Pariter difficile negari potest, eamdem vim confirmandi quosdam contractus civiles, irritos vel infirmos, juramento attributam fuisse statuto auctoritatis spiritualis;* constat ex *Decretal.* lib. 2, tit. 24, c. 28 *Cum contingat, Sext. Decretal.* lib. 1, tit. 18, c. 2 *Quamvis pactum,* et lib. 2. tit. 11, c. 2 *Licet mulieres,* quo ultimo loco ita legitur: « Licet mulieres, quæ alienationibus dotium et donationum propter nuptias consentiunt, non contravenire proprio juramento firmantes, servare juramentum hujusmodi non vi nec dolo præstitum de jure canonico teneantur; quia tamen quidam judices sæculares contra præfatas alienationes audiunt, quamvis constet legitime de hujusmodi juramento, nos animarum periculis obviare volentes, eosdem judices ad servandum hoc jus canonicum, per locorum ordinarios censura ecclesiastica decernimus compellendos. » — c) *Hinc merito olim communior imo et communissima erat sententia affirmans contractus, jure positivo infirmos in bonum contrahentis, juramento confirmari;* quam sententiam inde probat J. De Lugo, l. c. n. 202, « quia ii omnes (contractus) in se validi sunt et solum rescindi possunt quatenus lex dat actionem contrahenti ad illius rescissionem pe-

tendam. Quando ergo lex negat ejusmodi actionem, prout negat adhibito juramento, manebunt omnino firmi et irrevocabiles, ablato juris remedio quo revocari et rescindi poterant. Porro jura, posito juramento, negare ejusmodi actionem, constare videtur ex juribus supra allegatis. Primo, quia si juramentum illud obligaret solum ex religione et non ex justitia, ex illo non nasceretur actio in foro externo adversus jurantem, præsertim in foro civili... Cum ergo leges civiles et canonicæ præcipiant judicibus ut ea pacta observari faciant, plus volunt significare quam obligationem ex mera religione. Secundo, quia eadem jura præscribunt, non esse audiendum qui contra ejusmodi juramentum petit contractus rescissionem : ergo negant actionem quam antea concedebant ad rescindendum contractum; quomodo enim vel qualem actionem retinere censetur ille, qui a judice nullo modo auditur, quando petit? Cum ergo tota rescindibilitas contractus oriretur ex actione illa ad petendam rescissionem, consequens est ut, negata in judicio hac actione, eo ipso tollatur infirmitas, quam contractus habebat. » — d) Verum hodie in plerisque regionibus nullum juramentum ab auctoritate sæculari vim recipit confirmandi contractus civiles jure positivo infirmos; an autem retineat juramentum vim quam ab auctoritate spirituali habebat prædictos contractus confirmandi, forte dubitari potest, quum adeo mutatæ fuerint rerum circumstantiæ. — e) Quod demum pertinet ad contractus qui a sola auctoritate spirituali pendent, v. g. sponsalia, consulantur canonistæ et theologi, v. g. Sanchez, *De Matr.* lib. 1, disp. 51, n. 21 et seqq.

656. Advertatur pro coronide, legibus quarumdam gentium aliquando cautum fuisse non ut juramentum confirmaret contractus infirmos, sed e contra ut contractus de se validi propter adjectum juramentum

irriti essent; cfr. Covarruvias, in c. *Quamvis pactum*, § 3, n. 261. De qua re ita J. De Lugo, l. c. n. 247: « Major difficultas esse potest an ejusmodi leges, quibus princeps sæcularis irritat contractum tunc solum quando apponitur juramentum, sint contra immunitatem ecclesiasticam, atque adeo ex hoc saltem capite sint invalidæ. Aliqui enim ita judicant, quia totum id fit ne ratione juramenti appositi causæ illæ et contractus sint mixti fori, et possint trahi ad forum ecclesiasticum cum diminutione jurisdictionis et fori sæcularis. Quare licet ea lex Castellæ supra citata testetur, id non esse contra immunitatem ecclesiasticam, idque post diligentem inquisitionem ita judicatum esse, adhuc de hoc dubitat Suarez, c. 38, n. 15, et ut legis Lusitanæ valorem defendat Fagundez... recurrit ad consensum Pontificis, quo legem illam factam esse fama constat; quare eas leges iniquas esse absolute docet Diana... Alii tamen multi eas defendere conantur; quia juste potuit princeps sæcularis prohibere, ne aliquis alterius superioris jurisdictionem prorogaret, et locum daret expensis extraordinariis, quæ in litibus coram ecclesiastico judice fiunt. Ita docent Molina, disp. 149... Ego, licet dubitem, quando lex id faceret ad impediendum ne causæ de iis contractibus ratione juramenti traherentur ad forum ecclesiasticum, puto tamen non esse contra immunitatem ecclssiasticam, si alio fine et ratione justa id statueretur, v. g. ne detur ansa faciendi contractus injustos, et ne difficilior reddatur eorum dissolutio vel cognitio, propter religionem et metum violandi juramentum adhibitum. Sicut enim propter inconvenientia, quæ oriri possent ex eo quod detur fidejussor in contractibus, posset lex civilis id prohibere reddendo irritum contractum in quo adhiberetur fidejussor ad ejus securitatem, ne scilicet cogatur contrahens aliquando solvere quod non debet nec potest, ne fidejussori nocumentum

oriatur: ita quando ex appositione juramenti incommoda nascerentur observandi contractus injustos, propter religionem et reverentiam juramenti, posset lex prohibere ne ultra obligationem ipsius contractus adhiberetur Deus tamquam testis vel fidejussor ad majorem contractus securitatem, eoque juramento adhibito contractum eo ipso irritum reddere. » Hæc tamen explicatio nobis non satisfacit, adeoque potius adhæremus Suarezio et Dianæ; cfr. supra, n. 574, 575.

CAPUT IV.

De quibusdam juramentis in specie.

637. Animus est nonnulla advertere tum theologice tum etiam historice circa juramenta *doctrinalia*, *politica* et *judiciaria*: inde enim principia superius exposita penitius intelligentur, et eorum applicatio facilior evadet.

ARTICULUS I.

De juramentis doctrinalibus.

Juramentum doctrinale

638. *Doctrinale* dicimus juramentum quod versatur circa *dogmata*, *sententias*, *opiniones*, verbo, circa res ad ordinem intellectualem pertinentes.

potest esse mere assertorium,

639. Hujusmodi juramentum interdum mere *assertorium* est; potest autem esse vel assertorium *veritatis rei in se*, vel assertorium *adhæsionis* veritati datæ: raro locus esse potest priori, quia, ut notat S. Thomas, 2. 2, q. 89, a. 1, « confirmatio in scibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ sunt infallibiliter vera »; at posterius sæpe contingit, ut cum quis jurat se hoc vel illud fide tenere, etc.

sed frequentius est promissorium:

640. Juramentum doctrinale est etiam frequenter *promissorium*; eo autem promittitur vel *adhæsio* alicui

sententiæ vel ejusdem sententiæ *traditio, prædicatio, defensio.* Jam vero, a) ex principiis supra expositis, ea sola *adhæsio* jurari potest quæ sit *rationabilis* et *prudens*, *bona* et quidem *contradictione melior* vel saltem *tertio utilis. Prudens* autem et *rationabilis* est adhæsio, si detur sententiæ quæ vel omnino *certa* est vel saltem ex omni parte *magis fundata* apparet; — *bona* est et *contradictione melior,* si sit *imposita* aut *commendata* ab Ecclesia, ut cum agitur de veritatibus fidei, de veritatibus catholicis, etc.; vel, in supposito quod libera maneat, si *magis pia* sit et *tuta,* ut cum agitur de iis quæ favent honori Beatæ Virginis, auctoritati Summi Pontificis, etc. Cfr. *De Virtutibus theol.* n. 22-27, 72-73, 175 et seqq., 207 et seqq.; — tandem *tertio utilis* est, si conferat ad unitatem et concordiam animorum, ad pacem in communitate, ad ædificationem, etc. Porro b) quæ dicimus de juratione *adhæsionis* alicui sententiæ, valent pro juratione *traditionis*, *prædicationis* et *defensionis* ejusdem sententiæ, nisi quod non repugnet jurari traditionem doctrinæ quæ juranti minus fundata appareat, dummodo tamen vere et solide fundata sit. Vix autem notandum venit, juramenti doctrinalis obligationem cessare statim ac doctrina jurata falsa ostenditur, vel ita labefactatur ut prudenter retineri aut doceri amplius nequeat.

hujusmodi sunt juramenta retinendi ac propugnandi fidem catholicam,

641. Inter juramenta doctrinalia primum locum tenent *fidei professiones* a pluribus Pontificibus præscriptæ. Sic v. g. in ea quæ anno 1385 ab Urbano VI redeuntibus ad Ecclesiæ unitatem imposita est: « Et me omnia præmissa tam circa fidei veritatem quam circa ejusdem Ecclesiæ Romanæ primatum, et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam et perseverantiam servaturum, præstito corporaliter juramento, promitto et confirmo: sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei evangelia. » Cfr. *Bull. Rom.* edit. Taur. tom. 1, p. 594. —

Pariter in formula tum Pii IV, tum Gregorii XIII pro Græcis: « Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri ac prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei evangelia. » — Accessit formula Alexandri VII in Const. *Regiminis Apostolici*: « Ego N. constitutioni Apostolicæ Innocentii X, datæ die 31 Maii 1653, et constitutioni Alexandri VII, datæ 16 Oct. 1656, Summorum Pontificum, me subjicio, et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus,* excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, et ita juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei evangelia. » — Huc tandem referri potest celebre juramentum Universitatis Lovaniensis, ann. 1545, a Pio IV approbatum et laudatum: « Juro me ex animo detestari universa dogmata Martini Lutheri, et aliorum quorumlibet hæreticorum, quatenus doctrinis veteris et catholicæ ac romanæ Ecclesiæ adversantur, et sequi velle ac Retinere fidem veterem Ecclesiæ prætactæ sub obedientia unius summi pastoris Pontificis. » Cfr. *De Virt. theol.* n. 197; Roskovàny, *Romanus Pontifex*, tom. 2, m. 726, 727, et m. 853; Moroni, *Dizionario,* v' *Professione di Fede,* et alibi passim, etc.

tuendi immaculatam Virginis conceptionem,

642. Omnibus etiam nota sunt juramenta *Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. tenendæ et defendendæ, eo tempore emissa quo de hac quæstione maxime disputabatur. Ita v. g. statuit facultas Parisiensis, anno 1496: « In ejus piissimæ doctri-

næ..... defensionem ac propugnationem speciali sacramento conjuravimus nosque devovimus: statuentes ut nemo deinceps sacro huic collegio adscribatur nisi se hujus religiosæ doctrinæ assertorem strenuumque propugnatorem semper pro viribus futurum simili juramento profiteatur. » — Item universitas Moguntina, anno 1501, decrevit « neminem in theologia promovendum deinceps, nisi juret quod nunquam velit favere opinioni contrariæ in aliquo. » — Et universitas Valentina : « Ego... juro quod, quatenus per Sedem Apostolicam licebit, tenebo, defendam, prædicabo atque docebo, B. V. Dei genitricem Mariam, præveniente Spiritus sancti gratia, absque ulla peccati originalis labe fuisse conceptam. » — Simili fere modo universitates Hispalensis, Ossunensis, Salmanticensis, Complutensis, Vallisoletana, Cæsaraugustana, Compostellana, Granatensis, Baezana, Limensis, etc., nec non prorex Neapolitanus cum concilio, militia et universitate hujus urbis, rex Portugalliæ cum regni proceribus, et Ordo Seraphicus, etc. — Magis explicite adhuc civitas Cusentina, anno 1656: « Promittimus et juramus.... et votum juramento confirmamus, testificandi hanc veritatem sanguine et vita, et curandi ut idem a reliquis fiat. » Cfr. Roskovàny, *Beata Virgo in suo conceptu immaculata*, tom. 1, m. 184, 186, 195, tom. 2, m. 217-225, 227, 265, 272, etc.; Mendo, *De Jure academico*, Appendix, § unicus, n. 1-8; Velasquez, *De Maria immaculate concepta*, lib 4, diss. 8, ann. 1 et 2; Benedictus Pereyra, *Academia*, lib. 4, n. 536; S. Alphonsus, lib. 7, n. 263, etc. Hinc autem a simili ratiocinari possumus de juramento tenendi et defendendi infallibilitatem Summi Pontificis emisso ante definitionem hujus dogmatis.

adhærendi doctrinæ S. Thomæ.

645. Præterea legitime etiam emissa sunt juramenta tenendi et defendendi doctrinam S. Thomæ. Sic v. g. jurabant professores in universitate Sal-

manticensi: « Juro in quotidianis lectionibus, quas in academia vel cathedræ moderator vel voluntarius professor legero, me docturum atque lecturum in theologia scholastica doctrinam S. Augustini et conclusiones D. Thomæ, quas in *Summa* theologiæ docet, ubi horum Sanctorum mens aperta fuerit; ubi vero anceps et dubia, nihil docturum neque lecturum, quod eorum doctrinæ adversari senserim; sed quod juxta meum sensum vel eorum, qui discipuli SS. Augustini et Thomæ communiter censentur, tantorum Patrum doctrinæ magis conforme judicaverim; excipio opinionem de immaculatæ Virginis conceptione, et ea quæ jure ecclesiastico immutata sunt, vel postea immutabuntur, et quæ, cum olim controversa essent, jam constitutionibus Apostolicis definita sunt. Et si quando cathedram Scoti vel Durandi moderabor, quamvis ad id teneri nolo, licere tamen mihi volo, pro eo tantum tempore, probabiles eorum Doctorum opiniones sequi absque perjurii crimine. » Cum hoc juramento conferri potest statutum Fratrum Prædicatorum, Const. dist. 2, c. 14, litt. c., et Decret. ann. 1656, necnon statutum Ord. Carmelitarum, aliorumque, apud Bancel, *Moralis D. Thomæ*, intr. Cfr. Benedictus Pereyra, *Academia*, lib. 8, n. 1362-1363, ubi examinat quæstionem « pulchram et minime trivialem » nempe, « an expediat pro tradenda doctrina quod tam lectores quam auditores, proindeque universa schola, certi alicujus Doctoris sequantur doctrinam, seu (ut aiunt) jurent in verba magistri? »

644. Imo alicubi interdum a promovendis ad gradus academicos postulatum est juramentum retinendi doctrinas universitatis; cfr. *Vind. Alph.* tom. 1, p. LXXXIII, edit. 2; at de valore talis juramenti plerumque merito dubitabitur. Demum, quoad magnam partem, doctrinale est celeberrimum Elisabe-

thæ et Jacobi, regis Angliæ, juramentum, de quo tamen infra tantum agemus.

ARTICULUS II.

De juramento politico.

645. *Politicum* vocamus juramentum quod versatur circa materiam *jurisdictionis*, et respicit tum *auctoritatis exercitium*, quando nempe præstatur a prælatis, tum *superioritatis agnitionem, obedientiam, legum observantiam*, quando præstatur a subditis. Est autem vel *ecclesiasticum*, si pertineat ad ordinem spiritualem, vel *civile*, si pertineat ad ordinem temporalem; utrumque potest esse vel mere assertorium vel promissorium, et præstari sive a personis ecclesiasticis sive a personis sæcularibus.

Juramentum politicum pro objecto habet vel potestatis exercitium vel superioritatis recognitionem atque obedientiam et legum observantiam;

646. Haud leves difficultates existere possunt circa liceitatem juramenti politici quando præstandum est vel *superiori qui non est legitimus*, vel de *legibus quæ non sunt justæ*.

647. Et quidem si agatur de superiore illegitimo, videndum est utrum juranda postuletur mera *subjectio passiva* erga talem superiorem, seu *non rebellio* adversus ipsum, an vero postuletur juranda *recognitio superioritatis* tamquam legitimæ vel *adhæsio positiva* superiori, seu ejus *assistentia* et *defensio:* prius juramentum licitum esse poterit, ubi posterius omnino erit illicitum: hujus enim materia mala est, illius bona.

ut determinetur quousque sit licitum, sedulo distinguendum est inter subjectionem passivam erga superiorem et positivam ei adhæsionem,

648. Similiter si agatur de legibus et mandatis injustis, distinguendum est inter illarum *exsecutionem passivam*, quæ licita est et licite juratur, et earumdem *executionem activam*, quæ utpote illicita jurari nequit; exemplum est in *Placeto regio* quod fideles et ipsi prælati aliquando subire coguntur.

inter passivam exsecutionem legum et earum exsecutionem activam,

649. Cæterum quoad ipsas leges, plura semper

inter leges ipsas et cir-

cumstantias pro quibus leges latæ sunt,

accurate sunt attendenda ne deplorandæ confusioni locus detur. Imprimis scilicet videndum est an *leges ipsæ* sint in se malæ, an vero malæ tantum sint *circumstantiæ* quarum intuitu leges conditæ sunt, et imperfectus sit *rerum status* per tales leges stabilitus: sic v. g. quamvis minime approbari possit falsorum cultuum libertas, tamen leges, quibus talis libertas conceditur, aliquando sapientes sunt et omni approbatione dignæ, si nempe sint *necessariæ* ad majus malum spirituale præcavendum. —

inter leges malas moraliter et leges imperfectas;

Deinde videndum est utrum leges sint *malæ moraliter*, an vero sint tantum *malæ juridice* vel *œconomice*, nimirum minus reipublicæ utiles, minus tempori et genti convenientes, etc.; licet enim exsecutio activa legum moraliter malarum generatim sit prohibita, nihilominus permissa est imo et imposita exsecutio activa legum quæ tantum juridice aut œconomice malæ sunt. — Præterea videndum est *propter quod objectum* leges sint moraliter malæ. Possunt enim esse malæ, vel quia *malum* v. g. erroris prædicationem *indebite permittunt* aut etiam *tuentur* nec coerceri sinunt; vel quia *indebite restringunt bonum*, v. g. exercitium cultus catholici, administrationem sacramentorum, etc.; vel quia *malum præcipiunt*, v. g. revelationem criminis in confessione auditi; vel quia *jura lædunt*, v. g. ecclesias et monasteria bonis acquisitis spoliando aut ab acquirendis impediendo; vel quia *campum alienum invadunt*, v. g. decernendo de causis ad vinculum matrimonii pertinentibus. — Tandem videndum est utrum leges illæ sint *oppositæ legi naturali aut divinæ*, an vero sint *oppositæ legi superiori humanæ vel humanis juribus;* in primo enim casu nunquam observari poterunt, in altero casu aliquando observari poterunt et forte jurari, si nempe explicite vel saltem implicite interveniat illius, cujus interest, tolerantia, remissio aut condonatio. Cfr. *De Virt. theol.* n. 557-565.

et præterea inspiciendum est undenam proveniat legum malitia.

Cæterum, ut jam alibi advertimus, non eo ipso quod lex aliqua observari absque peccato valeat, statim licite juratur ejusdem legis observatio: major enim causa requiritur ad jurandum quam ad agendum.

650. Ea principi obedientia, eaque legum custodia censetur jurari quæ communiter admittitur; adeoque jurans non adstingitur nisi ad ea quæ sunt in usu et prout sunt in usu. Aliunde juramentum politicum præstandum in sensu exigentis, ita ut in eo nulla licita sit amphibologia, nulla licita restrictio sive pure sive late mentalis. Hinc si necessaria sit restrictio, ea expresse apponenda est et significanda ei cui juratur, vel saltem requiritur ut ab omnibus subintellecta supponatur, propter antecedentem declarationem illius cujus interest. Huc pertinent verba Pii VI in suo *Brevi* ad archiepiscopum Nazianzenum, diei 30 Jan. 1799: « Quamvis enim juramenti verba intelligi debeant ab eo, qui jurat, in sensu illius, qui illud exigit, qualemcumque verbalem declarationem emiserint dicti professores (collegii Romani) coram magistratu ad juramentum eorum recipiendum delegato, non potuit mutari illius substantia; et sicut solus legislator, et non merus magistratus ad materialem legis exsecutionem delegatus, potest esse competens ejusdem interpres, ita, licet verbali professorum declarationi apparenter annuerit magistratus, hoc minime sufficit, ut verbis juramenti detur interpretatio diversa ab ea significatione quam pure et naturaliter pronuntiata continent. » Cfr. etiam responsio S. Pœnitentiariæ, diei 1 Dec. 1866, aliaque documenta infra alleganda.

Juramentum politicum præstandum est in sensu exigentis.

651. Obligatio juramenti politici non est absoluta, sed cessare potest causis supra explicatis. Nimirum a) interdum cessat propter *mutationem in rebus* ipsis, quando fidelitas aut obedientia evadit nimis difficilis, moraliter impossibilis, mala vel inutilis. — b) In-

Obligatio juramenti politici ex vario capite cessare potest.

terdum cessat propter *mutationem in personis*, quando hæ amittunt dignitatem ratione cujus ipsis juratum est; amittere autem possunt dignitatem vel *ablatione* directa, si ejus collatio et conservatio a superiore pendeat; vel *privatione*, si persona ipsa a superiore pendeat qui eam spoliatione talis boni propter crimen puniat; vel *deficientia conditionum* sub quibus obtenta est, vel *ineptitudine* superveniente. Huc pertinent *Decretal.* lib. 1, tit. 6, c. 34 *Venerabilem*, *Sexti Decretal.* lib. 1, tit. 8, c. 2 *Ad Apostolicæ dignitatis*, lib. 2, tit. 14, c. 2 *Grandi*, *Clement.* lib. 2, tit. 11, c. 2 *Pastoralis cura*, item bullæ *Quia Fridericus*, Gregorii IX, *Regnans in excelsis*, S. Pii V, etc. Cfr. Stapleton, *Principiorum fidei doctrinalium relectio*, contr. 3, q. 3; Suarez, *Defensio fidei*, lib. 3, c. 21 et seqq.; Becanus, *Contr. Angl.* c. 3; Bianchi *Della potesta indiretta della Chiesa*, lib. 1, etc. — c) Interdum cessat per *irritationem*, quando obedientia ab eo qui potestatem habet, prohibetur. — d) Interdum cessat per *relaxationem*, quando ille, in cujus favorem juratum est, beneficio juramenti privatur, sive dignitatem retineat, sive non; cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 3, lib. 2, c. 41, n. 8-10. — Tandem e) interdum cessat per proprie dictam *dispensationem*.

Quæstiones de juramento politico non temere solvendæ.

652. Antequam celebriores quosdam casus particulares expendamus, monendum est quæstiones practicas de juramenti politici liceitate, obligatione, etc., si quæ occurrant, non esse temere resolvendas judicio privato, sed remittendas esse ad superiores ecclesiasticos. Præterquam quod enim hujusmodi quæstiones soleant esse valde implicatæ, experientia constat eas occasionem dedisse controversiis et perniciosissimis dissentionibus inter catholicos.

§ I.

De juramentis politicis ecclesiasticis.

653. Inter juramenta politica ecclesiastica ponendum est illud quod a *Summo Pontifice* in primo post electionem consistorio emittitur circa observantiam quarumdam constitutionum Apostolicarum; harum præcipuæ sunt bullæ S. Pii V *Admonet nos,* Alexandri VII *Inter cæteras*, Innocentii XII *Romanum decet Pontificem;* cfr. Moroni, *Dizionario,* v° *Consistorio.* Cæterum de hoc juramento nulla est difficultas. Juramenta ecclesiastica Summi Pontificis,

654. Nec difficultas habetur de juramento quod a S. R. E. *Cardinalibus,* quum promoventur, emitti debet relate ad observantiam quarumdam constitutionum et decretorum consistorialium. Constitutiones jurandæ sunt: *Admonet nos* S. Pii V, *Romanus Pontifex* Sixti V, *Quæ ab hac S. Sede* Innocentii IX, *Ad Romani* Clementis VIII, *Romanum decet* Gregorii XV, *Ad Romani* Urbani VIII, *Militantis Ecclesiæ* Innocentii X, *Inter cæteras* Alexandri VII, *Romanum decet Pontificem* Innocentii XII. — Decreta vero consistorialia juranda sunt *Sanctissimus Dominus* Clementis VII, *Cognitus* Urbani VII, *Probe* Alexandri VII. Cfr. collectio jussu Benedicti XIV, anno 1755, Romæ edita, cui titulus: *Constitutiones Apostolicæ et decreta consistorialia quæ jurantur, ac formula juramenti præstari solita a S. R. E. Cardinalibus dum ad cardinalatum promoventur;* Moroni, *Dizionario,* v° *Professione di fede.* cardinalium,

655. Celebre est juramentum obedientiæ et fidelitatis quod *Episcopi,* occasione consecrationis suæ, Romano Pontifici nuncupant. Quæstionibus scilicet acriter agitatis materiam dedit *formula* hujus juramenti, sive prout patriarchæ Aquileiensi præscriptà est a S. Gregorio VII et legitur *Decretal.* lib. 2, tit. 24, c. 4 *Ego, N.;* sive prout nunc ab omnibus antistitibus episcoporum,

emittitur, et legitur in *Pontificali*, ubi de consecratione. Omissis criminationibus aut cavillationibus de *vassallitica*, ut aiunt, subjectione episcopis erga Pontificem postulata, quæ videri possunt apud Van Espen, *Jus eccl.* p. 1, tit 15, c. 2, notum est maxime displicuisse articulum de *persequendis hæreticis, schismaticis et rebellibus Summo Pontifici*, ita sonantem: « Hæreticos, schismaticos et rebelles eidem Domino nostro vel successoribus prædictis pro posse persequar et impugnabo. » Jam vero quamvis iste articulus nullo justo motivo sive religionis sive caritatis reprehendi possit, Sedes tamen Apostolica semel atque iterum pronam se exhibuit ad illum mutandum vel omittendum. Signanter dum episcopi Hiberniæ Pio VI scripsissent se in perplexitatem sæpius adduci quod hæreticos persequi jurisjurandi sacramento obstringantur, Summus Pontifex, edita de genuino verborum horum sensu declaratione, ultro admisit ut verba ista a prædictis episcopis relinquerentur; cfr. Roskovàny, *Rom. Pontifex*, tom. 6, m. 1541. Novissime autem sic juravit Armenius Ciliciæ patriarcha: « Hæreticorum, schismaticorum, et rebellium Sanctitati Vestræ Vestrisque successoribus errores, conatus ac machinationes pro posse impugnabo: illorumque conversioni sedulam operam impendam. » Cfr. *Acta S. Sedis*, tom. 3, p. 548-549. Plura de juramento episcoporum habent Bianchi, op. cit. lib. 3, c. 3, § 1; Roskovàny, *De primatu Romani Pontificis*, § 136-154; Moroni, *Dizionario*, v° *Professione di Fede*, etc.

beneficiariorum,

656. Varia juramenta emittuntur a *beneficiatis* de defendendis bonis et juribus sui beneficii, a *membris communitatum* de servandis statutis, a *religiosis* de perseverantia, etc., de quibus adiri possunt Sanchez, *De Præc. Dec.* lib. 3, c. 14; Castropalao, disp. 2, p. 14; Mendo, *De Jure academico*, lib. 2, n. 110 et seqq.; Salmanticenses, c. 2, p. 7, n. 77

et seqq.; Giribaldi, *De Jur.* c. 3, dub. 4; S. Alphonsus, lib. 3, n. 180 et 255, etc.

657. Speciale juramentum a Summis Pontificibus Clemente XI et Benedicto XIV impositum est *missionariis* ad Sinas, cujus tenor habetur in const. Benedicti XIV *Ex quo singulari;* simile etiam juramentum a Clemente XII et Benedicto XIV præscriptum est missionariis, et episcopis regnorum Madurensis, Mayssurensis et Carnatensis Indiarum Orientalium, cujus formula reperitur in constitutione Benedicti XIV *Omnium sollicitudinum,* anni 1744. Quam gravia quibusdam illa juramenta visa fuerint, apparet ex monumentis a J. Bertrand relatis in opere: *Mémoires historiques sur les missions des Ordres religieux,* pag. 452 et 456. missionariorum,

658. Jam antea mentionem fecimus juramenti quod emittere tenentur *alumni collegiorum Pontificiorum* missionibus destinati; hujus tenoris est: « Ego, N., Filius N., diœcesis — vel vicariatus N. — spondeo et juro, quod, postquam ad sacros ordines promotus fuero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia aut S. Congregationis *De Prop. Fide,* ingrediar neque in earum aliqua professionem emittam. Voveo pariter et juro quod in hac diœcesi — aut vicariatu vel in missione cui S. Sedi vel S. Congregationi *De Prop. Fide* me destinare placuerit, — perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam sub omnimoda directione ac jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam; quod etiam præstabo, si cum prædictæ Sedis Apostolicæ licentia, religionem, societatem aut congregationem regularem ingressus fuero et in earum aliqua professionem emisero. Item voveo et juro, me prædictum juramentum et ejus obligationem intelligere et observaturum. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei evangelia. » alumnorum collegiorum Pontificiorum

regum et imperatorum.

659. Ad ecclesiastica referri debent juramenta fidelitatis ab *imperatoribus* et *regibus* Romano Pontifici præstita, de quibus agitur *Clement.* lib. 2, tit. 9, c. un. *Romani Pontifices.* Sic v. g. Otto IV: « Ego Otto, Dei gratia Romanorum rex et semper Augustus, tibi Domino meo Innocentio Papæ tuisque successoribus et Ecclesiæ Romanæ spondeo, polliceor, promitto, et juro: quod omnes possessiones, honores et jura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam et servabo..... Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ et successoribus tuis omnem obedientiam et honorificentiam exhibebo, quam devoti et catholici imperatores consueverunt Sedi Apostolicæ exhibere. ... » Eodem fere modo prius juraverat Fridericus I Eugenio III, et postea jurarunt Willelmus Innocentio IV, Ruperti regis nuncii Bonifacio IX, etc. Cfr. Roskovàny, *Romanus Pontifex*, tom. 5, m. 65, m. 75 et 76, m. 88, m. 121; etc. Ipse etiam Henricus IV, rex Galliarum, quando ab hæresi absolutionem obtinuit, juramentum hisce verbis emisit: « Protestor ac juro coram Deo omnipotente, vivere me velle et mori in religione Catholica, Apostolica, Romana, eamdemque protegere ac defendere adversus omnes, periculo sanguinis et vitæ meæ; renuntiare omnibus hæresibus contrariis doctrinæ S. Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ. » Alia plura legi possunt apud Bianchi, op. cit. lib. 2, § 12; Albitium, *De Inconstantia in fide*, p. 1, c. 26; Moroni, *Dizionario*, v° *Coronazione*.

§ II.

De juramentis politicis civilibus.

Juramenta civilia emittere

660. Juramentum politicum civile apud omnes fere gentes emitti solet tum ab ipso principe, tum

a variis ministris et officialibus gubernii. Imo a sæculo septimo mos incœpit, qui deinceps communis factus est, illud exigendi etiam ab episcopis et quibusdam clericis. Cfr. Roskovàny, *De Primatu Romani Pontificis*, § 156. Non defuerunt qui hoc juramentum civile episcoporum impugnarent, præsertim cum ipsi obstare videatur *Decretal.* lib. 2, tit. 24, c. 30 *Nimis;* at eorum rationes non persuadent; et aliunde prædictum juramentum aperte toleratum est ab Ecclesia, quin etiam admissum in solemnibus ejus conventionibus cum guberniis. Sic v. g., vi articuli 6 concordati Gallici, ab episcopis præstandum est sequens juramentum: « Ego juro et promitto ad sancta Dei evangelia, obedientiam et fidelitatem gubernio per constitutionem Gallicanæ reipublicæ statuto. Item promitto me nullam communicationem habiturum, nulli concilio interfuturum, nullam suspectam unionem neque intra neque extra conservaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat; et si, tam in diœcesi mea quam alibi, noverim aliquid in status damnum tractari, gubernio manifestabo. » De juramento autem, quod olim regi Galliarum ab episcopis regni fiebat, agunt *Conférences d'Angers*, tom. 18, pag. 336. Cfr. Roskovàny, *De Primatu Romani Pontificis*, § 157.

possunt personæ etiam ecclesiasticæ.

661. Si quæ ergo difficultates habeantur relate ad juramenta civilia, eæ non tam a personis, quæ jurant, oriuntur quam a materia, quæ juratur. Percurremus autem nunc breviter præcipua juramenta politica quæ a duobus vel tribus sæculis apud varias gentes christianas controversiis locum dederunt.

I. De juramentis anglicis.

662. Imprimis aperte iniquum erat sic dictum juramentum primatus (suprématie) catholicis Angliæ impositum ab Henrico VIII et Elisabetha, et postea

Juramentum primatus ab Henrico VIII, Elisabetha, et

Jacobo impositum, aperte iniquum.

a Jacobo I, qui etiam priori formulæ, potius doctrinam respicienti, particulam addidit magis politicam. Ita videlicet exprimebatur juramentum Elisabethæ : « Ego A. B. prorsus testificor, et declaro in conscientia mea, reginam esse solam supremam gubernatricem et istius regni Angliæ et aliorum omnium suæ Majestatis dominiorum et regionum, non minus in omnibus spiritualibus atque ecclesiasticis rebus vel causis, quam temporalibus; et quod nemo externus princeps, persona, prælatus, status, vel potentatus, aut facto aut jure habet aliquam jurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam, vel auctoritatem ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno. Ideoque plane renuntio et repudio omnes externas jurisdictiones, potestates, superioritates atque auctoritates. » Particula autem a Jacobo adjecta hæc est: « Ego A. B. etc... Et promitto, me deinceps fidem et veram obedientiam Regiæ Majestati, ejusque hæredibus ac legitimis successoribus præstiturum, et pro virili mea adjuturum ac propugnaturum omnes jurisdictiones, privilegia, præeminentias et auctoritates Regiæ Majestati, hæredibus suis, ac successoribus concessas vel debitas, sive imperiali hujus regni coronæ unitas, et annexas. Ita me Deus adjuvet, etc. »

Juramentum fidelitatis a Jacobo impositum

663. Celebrius est juramentum fidelitatis (allégeance) ab eodem rege Jacobo, occasione sic dictæ conjurationis sulphureæ impositum. Illud integrum hic referimus: « Ego A. B. vere et sincere agnosco, profiteor, testificor et declaro in conscientia mea, coram Deo et mundo, quod supremus Dominus noster rex Jacobus, supremus et verus est rex hujus regni, et omnium aliorum Majestatis suæ dominiorum et terrarum; et quod Papa nec per se ipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, vel per ulla media cum quibuscumque aliis, aliquam potestatem nec auctoritatem habeat e

regem deponendi, vel aliquorum Majestatis suæ dominiorum vel regnorum disponendi, vel alicui principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas invadere, auctoritatem concedendi, vel ullos subditorum suorum ab eorum suæ Majestatis obedientia et subjectione exonerandi, aut ullis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum Majestatis suæ personæ, statui, vel aliquibus suis subditis infra sua dominia afferendi. — Item juro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione, vel sententia excommunicationis, aut deprivationis facta vel concessa, aut facienda vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel per quamcumque auctoritatem derivatam, aut derivari prætensam ab illo, seu a Sede sua, contra dictum regem, hæredes suos, vel quantacumque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia, fidelitatem tamen, et veram obedientiam suæ Majestati, hæredibus, et successoribus suis præstabo, ipsumque et ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes, et attentata quæcumque, quæ contra personam illius, vel illorum, eorumque coronam et dignitatem, ratione vel colore alicujus sententiæ, vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam, omnemque operam impendam revelare, et Majestati suæ, hæredibus et successoribus suis, manifestum facere omnes proditiones, et proditorias conspirationes, quæ contra ilium, aut aliquos illorum ad notitiam vel auditum meum pervenerint. — Præterea juro, quod ex corde abhorreo, detestor, et abjuro, tamquam impiam et hæreticam, hanc doctrinam et propositionem, quod principes per Papam excommunicati vel deprivati possint per suos subditos vel alios quoscumque deponi, et occidi. — Et ulterius credo, et in conscientia mea resolvor, quod nec Papa, nec alius quiscumque potestatem habet, me ab hoc juramento, aut aliqua ejus parte absolvendi.

Quod juramentum agnosco, recta ac plena auctoritate, esse mihi legitime ministratum, omnibusque indulgentiis, ac dispensationibus in contrarium renuntio. Hæcque omnia plane, sincere agnosco, et juro juxta expressa verba per me hic prolata, et juxta planum ac communem sensum et intellectum eorumdem verborum, absque ulla æquivocatione, aut mentali evasione vel secreta reservatione quacumque. Hancque recognitionem et agnitionem facio cordialiter, voluntarie et vere in vera fide christiani viri. Sic me Deus adjuvet. »

ab Ecclesia damnatum.

664. Juramentum istud a Paulo V, in suo celeberrimo *brevi* ad catholicos Angliæ, 10 kal. Oct. 1606, hisce verbis reprobatum est: « Non potestis absque evidentissima gravissimaque divini honoris injuria obligare vos juramento, quod... maximo cum cordis nostri dolore audivimus propositum vobis fuisse præstandum infrascripti tenoris, videlicet: Ego A. B. etc. Quæ cum ita sint, vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet quod hujusmodi juramentum, salva fide catholica et salute animarum vestrarum, præstari non potest, cum multa contineat quæ fidei et saluti aperte adversantur. Propterea admonemus vos ut ab hoc atque similibus juramentis præstandis omnino caveatis. » Has litteras nonnulli ausi sunt dicere voluntate Pontificis scriptas non esse, sed « aliorum instinctu atque industria. » Idcirco Paulus V, altero *brevi* 10 kal. Oct. 1607, significavit « eas non solum motu ipsius proprio et ex certa scientia, verum etiam post longam et gravem deliberationem, de omnibus, quæ in illis continentur, adhibitam, fuisse scriptas. » Utrumque breve integrum refertur apud Suarez, *Defensio fidei*, lib. 6, proœm.

665. Porro cum catholicus Angliæ archipresbyter, Georgius Blackwellus, prædicti juramenti liceitatem propugnasset, eum in doctissima epistola reprehendit card. Bellarminus. Brevibus autem Pauli V

et epistolæ Bellarmini Jacobus rex apologiam opposuit anglice, latine et gallice editam, cui titulus erat: *Triplici nodo triplex cuneus.* Hanc apologiam statim confutavit Bellarminus, sub nomine Matthæi Torti; Jacobus vero iterum apologiam suam edidit eique *præfationem monitoriam* adjecit, in qua principes et respublicas hortabatur ut se ab Ecclesia Romana separarent. Absque mora scripta est a Bellarmino *Apologia pro responsione sua ad librum Jacobi, M. Britanniæ regis, in qua refellitur præfatio monitoria regis ejusdem;* ipsam autem subsecuta est Jacobi regis *Responsio ad apologiam Bellarmini.* Præter Bellarminum, juramentum anglicanum impugnaverunt Suarez, *Defensio fidei*, lib. 6; *Becanus*, tum in aliis opusculis tum in *Controversia anglicana;* Gretserus, in *Commentario exegetico;* card. Du Perron, *Réplique à la réponse du roi de la Grande Bretagne*, etc. Illud autem, præter protestantes, defenderunt nonnulli pseudo-politici, quibus postea suffragata est facultas theologica Parisiensis in aliqua *Consultatione* a S. Sede damnata. Ipse etiam Bossuet de hac re minus accurate locutus est in *Defensione declarationis*, p. 2, lib. 8, c. 12; idcirco castigari debuit a Bianchi in laudato opere *Della potesta indiretta della Chiesa*, lib. 6, § 11. Plura scripta circa hanc questionem indicantur apud Roskovàny, *Romanus Pontifex*, tom. 2, pag. 878-898.

666. Conformiter ad Sedis Apostolicæ decreta, sequens declaratio a clero diœcesis Armacanæ anno 1614 emissa est: « Non possumus absque evidentissima gravissimaque divini honoris injuria obligare nos juramento, quod vocant, de primatu regis ecclesiastico, sive illud secundum nuperam illam formulam sub nomine et auctoritate Jacobi regis nostri conceptam, quæ vulgo nuncupatur *Oath of allegiance*, sive secundum anteriorem formulam Henricianam... quæ sub principibus Eduardo, Elisabetha successive re-

gnantibus perseveravit, diciturque *Oath of supremacy;* quod salva fide catholica et salute animarum præstari non potest, cum utrumque multa contineat quæ fidei et saluti adversentur. » Brevia autem Pauli V confirmavit Clemens VIII, litteris 30 Maii 1626 ad catholicos Angliæ datis: « Quod si eousque vis progrediatur, aiebat Pontifex, ut vos ad noxium illud et illicitum Anglicanæ fidelitatis juramentum adigat: mementote orationem vestram ab universo Angelorum spectantium consessu audiri; et adhæreat lingua faucibus vestris priusquam auctoritatem beati Petri ea jurisjurandi formula imminutam detis. Non enim ibi id solum agitur ut fides regi conservetur, sed ut sacrum universæ Ecclesiæ sceptrum eripiatur Vicariis Dei omnipotentis. » Cfr. Roskovàny, *Independentia potestatis ecclesiasticæ*, tom. 5, m. 967, 968.

Hæreticum juramentum testationis.

667. Porro sub rege Carolo II, nova lege cautum est, ut nemo ad aliquod munus publicum admitteretur, quin prius utrumque juramentum primatus et fidelitatis emiserit, et præterea fuerit testificatus se transsubstantiationem non admittere. Istud est famosum juramentum *Testationis* (serment du *Test*), ab omnibus habitum tamquam evidenter hæreticum, cujus formula recitatur a Bossuet, *Histoire des variations*, liv. 14, c 122; cfr. etiam Lingard, *Histoire d'Angleterre*, c. 4; Moreri, v° *Test.;* etc.

Nova juramenti formula anno 1788 a quibusdam catholicis proposita,

668. Circa finem sæculi elapsi, anno scilicet 1788, nonnulli Angliæ presbyteri ac multi laïci in comitiis adunati, novam proposuerunt juramenti formulam valde similem illi quæ anno 1778 a gubernio admissa fuerat, formulæ Jacobi pro catholicis substituenda. Sic autem concepta erat: « Ego N. sincere polliceor ac juro me suæ Majestati N. fidelem fore; agnosco etiam, profiteor, certum facio atque declaro vere ac sincere in conscientia mea, coram Deo et hominibus, nostrum supremum Dominum N., esse legitimum et verum regem tum hujus regni

tum aliorum dominiorum quæ ab eo dependent; solemniter ac sincere declaro, nullum ex progenitis ab eo qui, vivente adhuc jam defuncto rege Jacobo II, sese veluti Walliæ principem exhibuit, et qui post ipsius decessum assumpsit sibi titulum ac qualitatem regis Angliæ, sub denominatione Jacobi III, vel regis Scotiæ, sub nomine Jacobi VIII, ullum jus habere ad sceptrum hujus regni ac dominiorum, quæ ab eo dependent; ipsis omnem fidelitatem atque obedientiam recuso, abnego atque abjuro; juro me fidem ac fidelitatem servaturum suæ Majestati N., eamque me totis viribus tuiturum adversus omnem conspirationem atque machinationem, quæ contra ejus personam, coronam, ac dignitatem attentarentur; nihilque intentatum relicturum ut detegantur atque innotescant suæ Majestati suisque successoribus omnis proditio ac conspiratio, quæ ad meam notitiam pervenirent. Promitto me fideliter ac plene velle tueri, fulcire ac defendere, quantum in me est, successionem coronæ adversus progenitos ex dicto Jacobo, et adversus aliam quamlibet personam: quæ quidem successio articulo quodam cui titulus: « Articulus pro ulteriori limitatione coronæ, et ut magis in tuto sint subjectorum jura » est immobiliter limitata ad principissam Sophiam electricem ac ducissam dotariam Hannoveranam et ad ipsius hæredes legitimos protestantes. — Juro etiam me abhorrere ab ea damnabili doctrina atque assertione, eamque detestari et abjurare toto corde meo velut impiam atque hæreticam, qua propugnatur, principes excommunicatos a Papa aut Sedis Romanæ auctoritate, posse deponi aut trucidari a suis subditis aut ab alio quocumque. — Protestor, declaro ac juro solemniter, me firmiter ac sincere opinari, credere ac persuasum habere, neque a Papa, neque ab ullo prælato vel sacerdote, neque ulla potestate ecclesiastica qualicumque posse subditos hujus regni a sua fidelitate erga dictam Majestatem suam absolvi; nulli etiam ecclesiæ

extraneæ, nulli prælato, nulli sacerdoti ac potestati ecclesiasticæ cuilibet inesse aut inesse posse in hoc regno jurisdictionem ullam aut auctoritatem quæ afficere aut lædere valeat independentiam, supremam potestatem, leges, constitutionem ac regimen ipsius, sicut et jura, libertatem, personas aut proprietates incolarum dicti regni; neminem posse a suis peccatis absolvi, aut nullum peccatum posse remitti pro arbitrio cujuslibet, sive sit Papa, sive sit sacerdos, sed præteritarum offensarum dolorem ac propositum eas in posterum devitandi, simulque satisfactionem erga Deum esse, amota omni dispensatione, requisita ut peccatorum venia obtineatur; non licere fidem cuicumque promissam violare, aut ipsum injuria afficere, aut hostiliter aggredi, eo quod, aut sub eo prætextu quod ipse sit hæreticus, aut infidelis; neque Papam, neque ullum prælatum, aut sacerdotem neque concilium, neque ullam potestatem ecclesiasticam quamcumque, posse ullo tempore ab obligationibus hujus sacramenti, aut alterius cujuscumque dispensare aut absolvere. Declaro etiam in mea conscientia, me solemniter jurare, nullam a me agnosci in Papa infallibilitatem.. »

sed a superioribus ecclesiasticis rejecta.

669. Admissum quidem est hoc juramentum a gubernio civili, at reprobatum est ac prohibitum a vicariis Apostolicis Angliæ in duplici epistola encyclica, nempe 21 Oct. 1789 et 19 Jan. 1790, vehementer ex altera parte reclamantibus juramenti auctoribus. Cfr. Roskovàny, *Romanus Pontifex*, tom. 3, n. 1027-1032; Picot, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*, ad ann. 1778, et rursus ad ann. 1791.

Alia formula a gubernio acceptata, ab episcopis tolerata, non tamen admissa a S. Sede.

670. Mox tamen spes affulsit melioris conditionis; alia scilicet juramenti formula, præcedenti mitior, sufficiens reputata est a gubernio civili. Ita se habebat: « Ego N. præsentibus hisce declaro, me religionem catholico-romanam profiteri. — Declaro sincere et juro me fidelem fore et veram alligantiam

servaturum esse suæ Majestati regi Georgio III; me velle totis viribus eam defendere adversus omnem conspirationem et machinationes quascumque, quæ attentari possent contra ejus personam; me nihil omissurum ut detegantur et ad notitiam suæ Majestatis ejusque hæredum ac successorum perveniant omnis proditio ac perfida conspiratio, quæ in ejus vel illorum detrimentum fieri possent. Promitto me fideliter velle manutenere, tueri ac defendere, quantum in me est, successionem coronæ.....; abnego absolute et abjuro omnem obedientiam atque alligantiam cuicumque, a quo reclamaretur, aut sibi attribueretur jus ad coronam hujus regni. — Juro me rejicere ac detestari, tamquam minime christianam et impiam, illam doctrinam qua assereretur licitum esse qualescumque personas interficere sub eo prætextu quod sint hæreticæ vel infideles; sicut et illud principium minime christianum atque impium, neminem teneri ad servandam hæreticis atque infidelibus fidem juramento firmatam. Declaro insuper non esse meæ fidei articulum, neque renuntiare, rejicere et abjurare opinionem illam qua asseritur, principes a Summo Pontifice, a concilio, auctoritate Sedis Romanæ, aut alia quacumque auctoritate excommunicatos posse deponi, aut etiam trucidari a suis subditis aut ab aliis quibuscumque; promitto me nolle unquam propugnare ullam opinionem similem, vel favere ulli opinioni contrariæ omnibus quæ in hac præsenti declaratione sunt expressa. Declaro me non credere, Papam Romanum aut alium principem extraneum, habere aut habere posse ullam jurisdictionem, auctoritatem, superioritatem, præeminentiam temporalem aut civilem directe aut indirecte in hoc regno; et coram Deo profiteor, certifico ac declaro me hanc edere declarationem, et quamlibet ipsius partem in sensu claro et naturaliter obvio, quem præ se ferunt hujus sacramenti verba, sine ullo subterfugio, æquivocatione aut mentali restrictione qua-

licumque, et absque eo quod existat ulla dispensatio jam a Papa aut Sedis Romanæ auctoritate aut ab alia qualibet persona concessa, nullatenusque menti meæ inesse, me coram Deo et hominibus posse liberari aut absolvi ab hac declaratione, aut qualibet ipsius parte, etiamsi ab episcopo Romano aut alia qualibet persona vel auctoritate qualicumque dispensaretur, aut ea cassaretur, aut ab eis eam esse nullam nulliusque valoris declararetur. » Cfr. Roskovàny, *Romanus Pontifex*, tom. 3, m. 1030-1032.

Formulæ tres a summo Pontifice propositæ.

671. Facile intelligitur hujusmodi juramentum, licet Angliæ prælatis tolerabile visum fuerit, minime a Sede Apostolica probari potuisse. Hinc anno 1815, card. Præfectus Cong. de Prop. Fide ad vicarium Apostolicum Londinensem scripsit, Pontificem, in ordine ad obtinendum decretum emancipationis, illam ex sequentibus juramenti formulis, quæ gubernio magis placeret, præstare permissurum. Prima: « Ego juro et promitto obedientiam et fidelitatem regiæ Majestati; item promitto me nullam communicationem habiturum, nulli concilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra conservaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat, et si tam in diœcesi mea quam alibi noverim aliquid in status damnum tractari, gubernio manifestabo. » — Altera: « Ego juro et promitto me fidelem et ex integro subjectum et obedientem regiæ Majestati servaturum, nulloque modo hujus regni pacem et tranquillitatem turbaturum, nec ulli personæ opem et auxilium præbiturum, quæ sive directe sive indirecte Majestati suæ ac præsenti Angliæ gubernio contraria sit. » — Tertia: « Ego juro et promitto obedientiam ac veram fidelitatem acceptissimo Domino nostro, quem pro posse defendam adversus omnes conjurationes, ausus sive attentata cujuscumque generis contra ejus personam, coronam et dignitatem, quæ si noverim moliri contra eum, et ipsos eidem

regiæ Majestati communicabo. Insuper fideliter juro et promitto pariter pro posse conservare, tueri atque defendere successionem coronæ in familia Majestatis suæ contra quascumque personas, sive intra sive extra regnum, quæ ostentet vel prætendat jus ad coronam hujus regni. » Cfr. Roskovàny, *Independentia potestatis ecclesiasticæ*, tom. 6, m. 1121.

II. De juramentis gallicis.

672. Inde a tristissima rerum perturbatione sæculi elapsi in Galliis non pauca civibus et etiam clericis imposita sunt juramenta quæ magnam difficultatem fecerunt; horum catalogum fere integrum ordine chronologico refert Dalloz, *Jurisprudence générale*, v° *Serment;* item auctor doctissimi opusculi, *La Santa Sede e i moderni giuramenti politici.*

673. Primum, quod postulatum est, juramentum hujus erat tenoris: « Je jure d'être fidèle à la nation, à la loi et au roi, de maintenir de tout mon pouvoir la constitution. » Illud emiserunt episcopi et sacerdotes qui comitiis generalibus intererant, sive pure et simpliciter, sive, a mense Julio 1790, cum restrictione ad sola temporalia. Primum juramentum civicum.

674. Mox prodiit famosa constitutio civilis cleri, cujus tit. 2, art. 21, ita se habebat: « Avant que la cérémonie de la consécration commence, l'élu prêtera, en présence des officiers municipaux, du peuple et du clergé, le serment solennel de veiller avec soin sur les fidèles du diocèse qui lui est confié, d'être fidèle à la nation, à la loi et au roi, et de maintenir de tout son pouvoir la constitution décretée par l'assemblée nationale et acceptée par le roi. » Idem art. 58, præscribebatur relate ad parochos. Jam vero Pius VI, die 13 Apr. 1791, solemni judicio definivit civilem cleri constitutionem « ex principiis Juramentum fidelitatis civili constitutioni cleri

a Pio VI proscriptum.

coalescere ab hæresi profectis, adeoque in pluribus decretis hæreticam esse, et catholico dogmati adversantem, in aliis vero sacrilegam, schismaticam, jura primatus et Ecclesiæ evertentem, disciplinæ cum veteri tum novæ contrariam, non alio denique consilio excogitatam atque vulgatam, nisi ad catholicam religionem prorsus abolendam. » Hinc declaravit licitum non esse hujusmodi constitutioni juramento adhærere, simulque edixit ut... « cuncti militiæ ecclesiasticæ adscripti, sive sæculares sive regulares, qui civicum juramentum pure et simpliciter, prout a conventu nationali præscriptum fuit, emiserunt, errorum omnium venenatum fontem et originem, catholicæque Gallicanæ ecclesiæ mœroris præcipuam causam, nisi intra quadraginta dies ab hac die numerandos hujusmodi juramentum retractaverint, a cujuscumque ordinis officio sint suspensi..... » Cfr. Roskovàny, *Independentia potestatis ecclesiasticæ*, tom. 1, m. 271, tom. 9, m. 1945, 1946; Sciont, *Histoire de la constitution civile du clergé*, c. 9 et seqq.; cit. opusc. *La Santa Sede*, § 3 et 4.

Juramentum æqualitatis et libertatis.

675. Porro lege lata 10 Aug. 1792, nova hæc juramenti formula imposita est: « Je jure d'être fidèle à la nation, et de maintenir la liberté et l'égalité ou de mourir en la défendant. » S. Sedes abstinuit a definitiva sententia proferenda circa hoc juramentum, sed viros laïcos et ecclesiasticos, qui illud præstiterant, monuit ut consulerent suæ conscientiæ, *cum in dubio jurare non liceat*. Cfr. Roskovàny, op. cit., tom. 9, m. 1923, 1943, 1945, 1948; De Bausset, *Exposé des principes sur le serment de liberté et d'égalité*; cit. opusc. *La Santa Sede*, § 5, ubi multa documenta referuntur.

Declaratio submissionis et recognitio primatus populi.

676. Anno 1795, die 28 Sept. (7 Vend., an 4), juramento substituta est *declaratio* ab iis omnibus qui ministerium aliquod ecclesiasticum exercere vellent, emittenda hisce verbis: « Je reconnais que

l'universalité des citoyens français est le souverain, et je promets soumission et obéissance aux lois de la république. » De sensu et liceitate hujus recognitionis et promissionis, non parum disputatum fuit; nullum tamen judicium a Sede Apostolica emanatum est; cfr. pro utraque parte, *Réflexions sur la déclaration exigée des ministres du culte par la loi du 7 Vendémiaire; — Réponse d'un Belge à un de ses amis sur la déclaration et la promesse*, etc.; — *Mémoire pour faire accélérer la révocation de quelques extraits de la loi du 7 Vendémiaire;* cit. opusc. *La Santa Sede*, § 6-8.

Juramentum odii erga regimen monarchicum et anarchiam

677. Successit (19 Fruct., an. 5) tristissimum juramentum odii, hisce conceptum verbis: « Je jure haine à la royauté et à l'anarchie, attachement et fidélité à la république et à la constitution de l'an 3. » Exortis circa liceitatem hujus juramenti acerrimis dissidiis, Pius VI Congregationi Cardinalium pro expediendis negotiis ad Gallicanæ ecclesiæ crisin spectantibus « demandavit ut rem maturo examini subjiceret, quidque circa illam agendum statuendumque arbitraretur, ad se referret. Sine mora jusso paruere cardinales, ac perpensis, quæ pro et contra stabant, rationibus, ad unum omnes judicarunt juramentum odii regiæ potestatis divinæ legi repugnare. Cum autem jam in eo essent ut Pontifici suam sententiam aperirent, ecce lacrymabilis illa in almam Urbem obruit catastrophe, quæ negotiorum omnium filum abrupit, et dictæ congregationis membra dissipavit. Attamen, ne quæstio tanti momenti, circa quam dubia brevi exoritura esse pronum erat prævidere, in ambiguo maneret, reverendissimus Dominus de Petro, episcopus Isaurensis, qui congregationis secretarius fuerat, sanctissimo Domino nostro in Tusciam jamjam profecturo renuntiavit, quænam Cardinalium circa prædictum juramentum mens ac sententia fuerit, eumque ro-

a Pio VI reprobatum.

gavit, ut quid de eo tenendum esset, suæ vocis oraculo decerneret. Petito Pontifex annuit, edixitque juramentum hujusmodi prorsus illicitum esse, jubens insimul prælaudato Isaurensi episcopo, quem, suscepturus exilium, suum in Urbe vicarium instituebat, ut hoc S. Sedis judicium occasione nata propalaret. Nec diu defuit jussi exsequendi opportunitas. Reverendissimus quippe Grassensis episcopus haud multo post tria circa juramentum odii dubia Sanctitati Suæ proposuit, ad quem juxta sensum Pontificis sibi exploratum, ipso Pontifice jubente... respondit. » Ita nuntius Coloniensis ad episcopum Lexoviensem, 29 Ap. 1799.

678. Porro prædicta *responsa* sic se habent : « — Ab Apostolica Sede declaratum fuisse non licere præfatum juramentum emittere. — Eos qui tale juramentum emiserunt ad illud retractandum teneri, simulque ad scandalum reparandum meliori modo quo fieri poterit, pro tempore locorumque opportunitate. — Nullam hucusque censuram ab Apostolica Sede latam fuisse adversus eos qui hujusmodi juramentum emiserunt. » Huc etiam pertinent *breve* ad archiepiscopum Mechliniensem, 30 Jul. 1798, et duplex aliud ad pro-vice gerentem Romæ archiepiscopum Nazianzenum, 16 et 30 Jan. 1799, item hujus *instructiones* et *retractatio*, necnon Pii VII *litteræ* nuntio ad Rhenum, atque *edictum* card. Caprara, anni 1802, in quo a juratis exigebatur ut « judicia Sedis Apostolicæ, ea qua par est reverentia, opinioni suæ præferentes », subscriberent formulæ « qua propriam submissionem ipsius Sanctæ Sedis judiciis profiterentur, præsertim vero in iis quibus prædictum juramentum odii in regiam potestatem damnatum fuit. »

679. Quamvis autem Pontifex juramentum, prout jacebat, damnaverit, sequentem nihilominus formulam admisit, in priori suo brevi ad archiepisco-

pum Nazianzenum: « Ego juro me partem non habiturum in quacumque conjuratione, conspiratione et seditione pro restituenda monarchia, et contra rempublicam, quæ nunc imperat; odium anarchiæ; fidelitatem atque adhæsionem reipublicæ et constitutioni, salva de cætero religione catholica. » Cfr. Roskovàny, *Romanus Pontifex*, tom. 5, m. 1072-1080, *De Independentia*, tom. 9, m. 1954-1963, tom. 10, m. 2006-2010.

680. Plurima, præsertim in Belgio, prodierunt opuscula circa juramenti odii *sensum*, *moralitatem*, ac *positivam ejus prohibitionem* a Summo Pontifice factam; hujusmodi sunt: *Explanatio formulæ jurisjurandi de odio in regiam potestatem. — Le véritable sens du serment de haine à la royauté. — Éclaircissements sur le serment de haine à la royauté. — L'évidence de la vérité. — Coup-d'œil sur une brochure ayant pour titre: L'évidence de la vérité. — La question du serment traitée mathématiquement. — Instruction importante. — Réflexions pacifiques et catholiques sur l'Instruction importante. — Recueil de pièces justificatives du sens doctrinal du serment. — Réflexions sur le décret de Rome et la décision de quelques évêques. — De la condamnation du serment de haine à la royauté*, etc. Cfr. etiam *Précis de ce qui s'est passé dans la Belgique relativement au serment*, et cit. opusc., *La Santa Sede*, § 9.

Juramentum non instaurandi monarchiam

681. Jam autem lege 30 Julii 1799, nova formula præscripta est: « Je jure fidélité à la république et à la constitution de l'an 3. Je jure de m'opposer de tout mon pouvoir au rétablissement de la royauté en France et à celui de toute espèce de tyrannie. » Et rursus alia 16 Nov. ejusdem anni: « Je jure d'être fidèle à la république une et indivisible, fondée sur l'égalité, la liberté et le régime représentatif. » Die vero 11 Jan. 1800, abolito omni juramento, postulata est mera promissio

et promissio fidelitatiserga constitutionem.

fidelitatis: « Je promets d'être fidèle à la constitution. » Non solum juramenta sed ipsam promissionem alii reprobarunt, approbantibus aliis; Sedes autem Apostolica a definitiva sententia abstinuit, ut patet ex *Rescripto* C. Caprara, ann. 1802 : « Cum a SSmo Dno Nro Pio Papa VII nullum editum sit judicium circa promissionem fidelitatis constitutioni : qui illam præstiterunt aut existimantes, aut dubitantes se delinquere, consulant conscientiæ suæ, idipsum in sacramentali confessione exponentes. Cæteri autem non sunt inquietandi. Nullus vero ex iis qui promissionem emiserunt, lege ulla quoquo modo tenetur, nondum emisso judicio Sanctitatis Suæ, ad peragendam hujusmodi promissionis retractationem; nullus ob eamdem præstitam censura aliqua aut pœna ecclesiastica mulctandus est, et si forte mulctatus fuerit, ab iis continuo liberandus est. » Cfr. Roskovàny, *Independentia potestatis ecclesiasticæ*, tom. 7, m. 1456, tom. 9, m. 1964, tom. 10, m. 1999; item *Rapport général des contestations relatives à la promesse de fidélité à la constitution*, ubi alia scripta indicantur; cit. opusc, *La Santa Sede*, § 10-11.

Juramentum subditis summi Pontificis impositum a Napoleone.

682. Occasione usurpationis status pontificii a Napoleone perpetratæ anno 1808, emissa est *Instructio* S. Sedis ad episcopos super juramento fidelitatis invasoribus præstando. In ea edicitur « non esse licitum, si gubernium intrusum id unquam deposceret, eidem præstare quodcumque juramentum fidelitatis, obedientiæ aut adhæsionis, terminis irrestrictis et positivam fidelitatem approbationemque comprehendentibus expressum : cum illud juramentum complicitatis cum novo gubernio in sacrilega usurpatione foret, studendo eam confirmare et quodammodo legitimam reddere; — juramentum infidelitatis et feloniæ adversus legitimum principem, opponendo se protestationibus et reclamationibus per Summum Pontificem nomine suo et nomine Ecclesiæ contra tam

notoriam injustitiam factis; — juramentum gravis scandali, favendo facto, quod nonnisi in periculum fidei et in perniciem animarum vergere potest; — juramentum, quod undequaque injustum, iniquum et sacrilegum est. » Deinde declaratur, gubernio juramentum, prætextu propriæ securitatis et publicæ quietis, postulanti satisfieri posse « per formulam ad passivam fidelitatem et obedientiam, videlicet ad submissionem et oppositionis evitationem, restrictam, quæ publicam securitatem et tranquillitatem (quam civibus propter majora incommoda et scandala quæ passim oriri sueverunt, factionibus seditionibusque perturbare non licet) sartam tectamque præstando, neque justitiæ neque religioni præjudicium adfert. Quapropter Sua Sanctitas, volendo quod possibile est, semper tamen reclamando jura Ecclesiæ Romanæ et gloriosi Principis Apostolorum, atque solemniter declarando: hanc permissionem nunquam ad instar abdicationis aut cessionis principatus vel jurium eidem obvenientium sumendam esse, præfatis subditis suis tum ecclesiasticis tum sæcularibus, indulget ut juramentum, si illud absque gravi periculo declinare non possent, sequentibus terminis præstent: Promitto et juro, me non habiturum partem in quacumque conjuratione, factione aut seditione contra actuale gubernium, atque eidem submissum et obedientem futurum in omnibus quæ legibus divinis et Ecclesiæ non adversantur. » Cfr. Roskovàny, *Romanus Pontifex*, tom. 9, m. 1028, 1027; cit. opusc, *La Santa Sede*, § 13.

Juramentum fidelitatis regi et constitutioni a Ludovico XVIII

683. Juramentum a rege Ludovico XVIII impositum hujus erat tenoris: « Je jure fidélité au roi, obéissance à la charte constitutionnelle, et aux lois du royaume. » Quum autem in præfata constitutione nonnulla haberentur quæ cum principiis catholicis minus cohærerent, maxime circa libertatem cultuum, juramenti præstatio difficultates experta est. Hæ ta-

men difficultates submotæ sunt quum, die 15 Julii 1817, rex solemniter declaravit « jusjurandum illud quo constitutioni regnique legibus obedientiam subditi pollicentur, nihil aliud spectare, nisi ea quæ, *ad civilem ordinem pertinent*, eoque jurejurando *nullatenus ad quidpiam obligari eos posse, quod Dei Ecclesiæque legibus adversetur.* » Ita Pius VII, in *Allocutione* diei 28 Jul. 1817. Cfr. Em. Dechamps, *Les catholiques libérauæ*, pag. 18-20.

et a Ludovico Philippo præscriptum.

684. Mutato gubernio, anno 1830, aliqui dubitaverunt num liceret sequens juramentum emittere: « Je jure fidélité au roi des Français, obéissance à la charte constitutionnelle et aux lois du royaume. » Interrogatus autem a nonnullis Galliarum episcopis, respondit Pius VIII, 29 Sept. 1830: « Hæc sane juramenti formula haud nova in Galliis est. Memineris autem, V. F., vel ab eo tempore quo Ludovicus XVIII regnare cœpit, non defuisse qui illam ita indefinite, uti expressa est, adhibere recusaverint; et Pius VII, glor. mem. prædecessor noster, eam non habuit pro licita nisi postquam idem rex Ludovicus XVIII formulam ipsam ea ratione exposuit qua omnis ab illa non recti sensus suspicio amoveretur. Eo nimirum pertinuit solemnis declaratio quam regius legatus ipsius regis nomine fecit die 15 Julii 1817, quæque statim in publicum prodiit tum Romanis tum Gallicis typis impressa. Cum vero nihil sit ex quo declaratio tum edita ad sensum juramenti explicandum nunc revocata censeri debeat, hinc fideles qui antea, propter memoratam declarationem, formula illa licite utebantur, hodie pariter poterunt eadem formula juramentum præstare novo regi Francorum, qui scilicet ad præsens, tranquillatis rebus, Galliæ regnum tenet. » Cfr. Roskovàny, *Independentia potestatis ecclesiasticæ*, tom. 2, m. 331.

III. De juramentis belgicis.

685. Tumultus politici simul et religiosi quibus provinciæ Belgicæ, sæculo XVI, diu agitatæ sunt, difficilibus etiam juramentis locum dederunt.

Juratio Pacificationis Gandavensis.

686. Imprimis plerisque visum est licite iniri posse, imo et juramento firmari, celeberrimam *Pacificationem Gandavensem*, de qua exstat judicium episcoporum et abbatum Belgii, nec non facultatum theologicæ et juridicæ Universitatis Lovaniensis; cfr. *Bulletins de la commission royale d'histoire*, 1re série, tom. 14; *Annuaire de l'Université de Louvain*, 1848. Dubia tamen a nonnullis ea de re mota sunt, ut patet ex Molano, *De fide hæreticis servanda*, lib. 5, c. 20.

687. Paulo post compositum est juramentum quo cives pollicerentur, se non solum Pacificationem Gandavensem cum declaratione subsecuta observaturos, sed etiam « obtemperaturos Archiduci Mathiæ, supremo Belgii præfecto, eumque fortunis ac sanguine defensuros, donec alius a Rege atque Ordinibus crearetur; cum Joanne autem Austriaco, uti cum hoste, acturos. » Cfr. Strada, *De bello Belgico*, lib. 9, ad ann. 1578; item Mich. Baii *Epistola Ambrosio Lootsio Abbati Parcensi, de Statuum inferioris Germaniæ unione*, ejusdemque dissertatio *De juramento quod jussu Ordinum inferioris Germaniæ a Clericis et Monachis exigitur.*

Illicitum juramentum Antverpiense.

688. Anno autem 1582 fœderati Antverpiæ sequens juramentum præstandum constituerunt: « Ego N. juro quod regem Hispaniarum nec reverebor nec agnoscam tamquam meum principem aut supremum dominum; sed quod ego ab eo discessi, habens me ab omni officio et obligatione liberum, quibus olim ipsi veluti supremo domino Provinciæ quocumque modo devinctus fui. Ego insuper promitto ac juro, quod illustris princeps Franciscus, filius Franciæ...., pro meo legi-

timo principe ac domino fideliter habetur ac inauguratur, et quod ipsi omne auxilium et subsidium, pro posse meo, dabo contra memoratum regem Hispaniarum, et omnes ei adhærentes, nemine excepto ex hostibus suæ Altitudinis et patriæ; præterea, quod omnia præstabo quæ boni ac fideles incolæ ac inquilini Brabantiæ præstare debent suo legitimo domino, juxta lætum adventum; ac insuper ego juro ac promitto me huic urbi Antverpiæ bonum et fidelem esse, ac quod ipsam juvabo et defendam, sub obedientia prædicti nostri clementis domini. Sic Deus omnipotens me adjuvet. » Hujusmodi juramentum illicitum esse, tunc temporis ostenderunt M. Baius, in *Epistola ad Petrum Castillo,* et J. Lensæus, in *Brevi per conclusiones aliquot deductione, qua demonstratur eorum crimen qui novo et fictitio Brabantiæ duci juramentum præstant obedientiæ et auxilii adversus Hispaniarum regem et ei adhærentes.* Cfr. etiam Molanus, *De fide et juramento quæ a tyranno exiguntur,* c. 10 et seqq.

689. Ab hoc tempore usque ad finem sæculi elapsi exstiterunt quidem juramenta specialia de quibus nonnullæ questiones motæ sunt, v. g. juramenta de non fraudato publico vectigali, de non oblata pecunia ad officium capessendum: cfr. Van Espen, *Jus eccl. univ.* p. 3, tit. 4 et tit. 9, cum mon. 2 et 8, ubi referuntur resolutiones doctorum Lovaniensium; at nullum novimus juramentum fidelitatis, quod ea ætate controversiis locum dederit. De iis autem quæ contigerunt occasione invasionis Gallicæ, supra n. 676-680 egimus; nec est cur illa nunc repetamus.

Juramentum fidelitatis legi fundamentali

690. Porro vi articuli 84 *Legis fundamentalis* novi regni Hollando-Belgici, anno 1814 constituti, a membris Statuum generalium sequens præstandum erat juramentum: « Je jure d'observer et de maintenir la loi fondamentale du royaume, et qu'en aucune

occasion ou sous aucun prétexte quelconque je ne m'en écarterai, ni ne consentirai à ce qu'on s'en écarte; que je conserverai et protègerai de tout mon pouvoir l'indépendance du royaume et la liberté publique et individuelle. »

691. Jam vero a) lex illa fundamentalis Notabilium acceptationi proposita fuerat; quum autem ea sancirentur sic dictæ libertates modernæ, quæ, attentis temporum circumstantiis, minime necessariæ erant, et prævidebantur fore valde perniciosæ; simulque alia statuerentur Ecclesiæ libertati et juribus adversantia, episcopi Belgii declaraverant prædictam legem fundamentalem a Notabilibus catholicis admitti non posse: huc pertinent *Avis aux notables; Réclamations respectueuses; Instruction pastorale de l'évêque de Gand;* cfr. Raepsaet, tom. 6, *Journal* pag. 176-188, et *Pièces justif.* n. 21, 22. — b) His non obstantibus, lex fundamentalis a rege promulgata est; hinc episcopi in celebri *Jugement doctrinal* edixerunt « nemini absque gravissimo peccato fas esse juramenta a constitutione præscripta nuncupare »; cfr. Raepsaet, op. cit. pag. 195 et n. 25. — c) Decisionem episcoporum approbavit Pius VII, *Brevi* ad episc. Gandavensem dato die 1 Maii 1816; simul tamen Pontifex gubernio operam et auctoritatem suam ultro obtulit « ut collatis cum ipso consiliis, formula juramenti ab eis (catholicis) emittendi constituatur, quæ et gubernium de fide et obedientia eorum certius reddat, et nullam prorsus ipsorum conscientiæ afferat sollicitudinem. » Cfr. Raepsaet, op. cit., *Pièces justificatives,* n. 26.

prius reprobatum

692. Ex mente Pontificis, ut formula juramenti licita esset, in ea exprimi debebat, *fidelitatem* juratam constitutioni restringi ad *ea quæ non sunt opposita legibus Dei et Ecclesiæ;* et *protectionem* cultuum intelligi *quoad ordinem civilem.* Id patet a) ex

deinde vero, post explicationes a S. Pontifice requisitas

Declaratione retractatoria imposita principi de Méan, 18 Maii 1817, antequam promoveretur ad archiepiscopatum Mechliniensem: « Je déclare et proteste solennellement que par le serment prêté à la constitution, je n'entends m'engager à rien qui soit contraire aux dogmes ni aux lois de l'Église Catholique Apostolique Romaine..., et qu'en jurant de protéger toutes les communions religieuses de l'État, c'est-à-dire, les membres qui les composent, je n'entends leur accorder cette protection que sous le rapport civil, sans vouloir par là approuver ni directement ni indirectement les maximes qu'elles professent et que la religion catholique proscrit. » — Patet b) ex *Instructione* Sedis Apostolicæ data anno 1817, quoad dubia nonnulla relationem episcoporum ad civile gubernium spectantia: « *Q.* An liceat præstare juramentum, quod gubernium exiget ab advocatis: Je jure fidélité au roi et soumission à la loi fondamentale; item sequens: Je jure de ne rien dire ni publier contraire aux lois, aux règlements, aux bonnes mœurs, à la sûreté de l'Etat et à la paix publique. *R.* Primam formulam permitti posse, dummodo ad evitandum scandalum in eadem inseratur unico contextu et nota reddatur sequens limitatio: *in quantum pertinet ad ordinem civilem, nec opponitur dogmatibus et legibus Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ.* Secundam vero permitti etiam posse, dummodo, ut supra, inserantur et notæ reddantur sequentes limitationes: *salvis tamen semper dogmatibus, et legibus Ecclesiæ Catholicæ.* » — Patet c) ex *Epistola* Pontificis ad vicarium capit. Leodiensem, qua significatur eos, qui juramentum absque limitatione emiserunt, absolvi posse quin officium suum dimittere cogantur, modo errorem suum corrigant et reparent. « Quod dum ii faciunt, id tenere debent, obligari se ad juramentum memoratum observandum in iis quæ or-

dinem civilem respiciunt, et nec divinis, nec ecclesiasticis legibus adversantur. » — Patet tandem d) ex *Brevi* Pii VII ad episcopum Gandavensem dato 14 Oct. 1820.

693. Sed gubernium, quamvis Notabilibus permiserit jurare cum restrictione, et postea declarationem archiepiscopi Mechliniensis acceptaverit, diu tamen civibus denegavit facultatem jurandi in sensu, ut dicebatur, prædicti archiepiscopi; cfr. Raepsaet, l. c. Nihilominus id tandem concessit die 14 Aug. 1821, litteris datis ad vicarios capitulares Gandavenses. et a gubernio datas,

694. Accepta ea declaratione, prædicti vicarii capitulares, die 21 Aug. 1821, *Decisionem* promulgaverunt hujus tenoris: « Placuit augusto nostro Regi..... intimare nobis, e constanti sua voluntate esse, ut juramentum, quod exigitur a quibuscumque functionariis publicis, non exigatur nisi in sensu civili, pro iis quæ concernunt ordinem civilem, et conformiter declarationi celsissimi archiepiscopi Mechliniensis approbatæ a Sede Apostolica. Probe hinc intelligit Reverentia vestra omnem difficultatem, quæ super hoc puncto existebat, authentica hac declaratione sublatam esse, *siquidem prædicta clausula, a S. Sede approbata, in singula præstatione juramenti ex mente petentis subintelligi debeat.* » Hanc vero decisionem ratam habuit Summus Pontifex, ut patet ex litteris a R. D. Mazio scriptis 19 Decemb. 1821: « Textum accepi regiæ declarationis circa juramentum. Eo rite examinato, iis qui Sanctam Sedem consuluerunt circa monitum vicariorum capitularium, jussu SSmi Domini responsum fuit: attenta notorietate regiæ declarationis diei 14 Augusti hujus anni, ex qua patet, eam esse constantem gubernii voluntatem ut juramentum quod exigitur a quibuscumque functionariis publicis, non exigatur nisi in sensu civili pro iis quæ concernunt ordinem civilem, tuto obtemperari posse monito vicariorum. permissum.

Quoad eos vero qui ante regiam declarationem juramentum sine limitatione præstiterunt, sufficere ut retractationis actum coram confessario peragant, et data occasione palam faciant se juramentum constitutioni præstitum in iis tantum quæ ordinem civilem concernunt, observare velle. » Præter auctores citatos, cfr. Roskovàny, *Ind. pot. Eccl.* tom. 2, m. 311 et 315, tom. 6, m. 1126, tom. 7, m. 1460; Em. Dechamps, *Les catholiques libéraux; Du serment de fidélité à plusieurs constitutions modernes;* Pelletier, *Les défenseurs du catholicisme libéral;* De Gerlache, *Histoire du royaume des Pays-Bas.*

Juramentum fidelitatis constitutioni Belgicæ.

695. Constituto novo regno Belgico, latum est die 21 Jul. 1831, sequens decretum: « Les membres de la Chambre des représentants et du Sénat sont tenus, avant d'entrer en fonctions, de prêter dans le sein de la Chambre le serment suivant: Je jure d'observer la constitution. — Tous les fonctionnaires de l'ordre judiciaire et administratif, les officiers de la garde civique et de l'armée et en général tous les citoyens chargés d'un ministère ou d'un service public quelconque seront tenus, avant d'entrer en fonctions, de prêter le serment dans la teneur qui suit: Je jure fidélité au roi, obéissance à la constitution et aux lois du peuple belge. »

696. Quamvis in constitutione Belgica quædam habeantur quæ nec in se possunt a catholicis probari, nec forte a circumstantiis postulabantur, tamen prædictum juramentum nullam initio controversiam movit. Videtur scilicet omnibus persuasum fuisse, et merito quidem, illud a gubernio exigi in eo sensu in quo ab anno 1821 licite præstabatur legi fundamentali; cfr. supra, n. 694; item De Gerlache, opp. tom. 6, *Essai sur le mouvement des partis en Belgique;* Em. Dechamps, opusc. cit. *Du serment de fidélité,* pag. 15. Quando autem postea dubitationes exortæ sunt, liceitas juramenti ab ipsis Belgii præsulibus pro-

pugnata est: huc pertinent opusc. citata Em. Dechamps, item *Epistolæ* Em. Sterckx, ann. 1864 editæ; nulla tamen a Sede Apostolica decisio hucusque emanata est.

IV. De juramentis germanicis.

Juramentum præsulibus Hungariæ impositum a Josepho II

697. In monarchia Austriaco-Hungarica sub Josepho II, ann. 1780, pro Hungaria desideratum est ut episcopi suam fidelitatem principi debitam ante confirmationem Romanam sequenti voverent formula: «Ego N. juro... quod ego ut fidelis vassallus et subditus in adeundo nunc per me archiepiscopali (*vel* episcopali) munere nec ipse aliquid facturus nec scienter fieri admissurus sim quod suæ Majestatis augustæ personæ, aut ejusdem augustæ domui, et statui publico, vel vero supremæ regiæ terræ principis potestati, quacumque demum ratione, directe vel indirecte, in se ipso aut quibuscumque demum inde nascituris sequelis, noxium aut adversum esse possit; prout etiam tenore præsentis juramenti voveo et promitto quod ego omnes summi terræ principis ordinationes, dispositiones et mandata sine ulla consideratione aut exceptione fideliter exsequar, non minus eadem per omnes mihi subjectos quam exactissime executioni mancipari faciam, et illos ad eorumdem adimpletionem pro eo ac teneor debite adstringam, ac generatim honorem commodaque, altefatæ suæ Majestatis statusque publici, quantum in potestate mea situm erit, in omnibus occasionibus tuebor ac promovebo. Sic me Deus adjuvet. »

controversiis obnoxium.

698. Adversus hanc formulam card. primas Hungariæ meritorias proposuit animadversiones, quibus permotus imperator admisit quidem ut a prædicta formula recederetur, et alia adhiberetur, sed sub conditione ne episcopi fidelitatis juramentum Summo Pontifici nuncuparent. Hæc autem altera for-

mula sic concepta erat : « Juro per Deum immortalem, et promitto sacræ cæsareæ Majestati regi meo, quod fidelis vassallus et subditus suæ Majestati, quoad vixero, perseverabo; quod altissimum ejus servitium statusque salutem ac bonum, quantum pro viribus potero, in conformitate regni legum semper promovebo; nec consilio neque opere quidquam tentabo, aut moliar, quod illegale et suæ Majestati aut status bono quacumque ratione præjudiciosum esse possit; quod potius, si quidquam hujus generis molitionum aut consiliorum mihi innotuerit, illud Majestati suæ sacratissimæ genuine ac fideliter statim aperiam. »

699. Tandem occasione commorationis Pii VI Vindobonæ, quæstio de juramento ita decisa fuit, ut episcopi prius civile fidelitatis juramentum nuncuparent, et deinde tempore consecrationis suæ præscriptum in *Pontificali* jusjurandum Summo Pontifici emitterent. Cfr. Roskovàny, *De Primatu Romani Pontificis*, § 154.

Juramentum vi concordati Austriaci emissum.

700. Inter articulos concordati a S. Sede cum gubernio Austriaco anno 1855 initi, vicesimus ita sonat: « Metropolitæ ac episcopi, antequam ecclesiarum suarum gubernacula suscipiant, coram cæsarea Majestate fidelitatis juramentum emittent sequentibus verbis expressum: Ego juro et promitto ad sancta Dei Evangelia, sicut decet episcopum, obedientiam et fidelitatem cæsareo-regiæ apostolicæ Majestati, et successoribus suis; juro item et promitto, me nullam communicationem habiturum, nullique concilio interfuturum, quod tranquillitati publicæ noceat, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra imperii limites conservaturum; atque si publicum aliquod periculum imminere resciverim, me ad illud avertendum nihil omissurum. » Advertatur præsentem juramenti formulam fere identicam esse cum ea quæ præscribitur in concordato

Gallico ; cfr. supra n. 660. Eadem reperitur in variis aliis concordatis, v. g. Bavarico ann. 1817, Siculo ann. 1818, Belgico ann. 1827, Helvetico ann. 1828, Wittembergico ann. 1857, Badensi ann. 1859, etc.

Juramentum fidelitatis novæ constitutioni Austriacæ

701. In eodem Austriæ imperio anno 1867 sancita fuit *Lex status*, fundamentalis nuncupata, qua omnis tum fidei tum conscientiæ ac doctrinæ libertas statuitur, et civibus cujusque cultus facultas tribuitur excitandi educationis doctrinæque instituta, et omnes cujusque generis religiosæ societates æquiparantur, et a statu recognoscuntur; aliæ insuper omnino improbandæ leges, quas interconfessionales vulgo appellare libuit, sancitæ fuerunt de matrimonio, de mixtis conjugiis, de scholis, etc. Quæsitum ergo est utrum liceret hujus legis fundamentalis observationem hisce verbis spondere: « Ego juramenti loco declaro, me fundamentales leges status esse inviolabiliter observaturum. » Respondit S. Pœnitentiaria, die 15 Aug. 1869, « sponsionem seu juramentum, prout exponitur, esse illicitum. » Rursus quæsitum est, num etiam illicitum esset similem sponsionem seu juramentum emittere, cum clausula: *salvis legibus Dei et Ecclesiæ*. Reponsum est a Cong. super negotiis eccles. extraordinariis, « Suam Sanctitatem declarasse sæpefatam sponsionem seu juramentum posse cum præmissa clausula : *salvis Dei et Ecclesiæ legibus* nuncupari. Censet tamen Sua Sanctitas, per eum qui similem sponsionem seu juramentum in hac forma emiserit, quiscumque ille sit, ad evitandum scandalum, palam, quatenus fieri possit, declarandum esse, se a S. Sede auctorisatum haberi, ut sponsionem seu juramentum sub præmissa forma nuncupare possit. » Cfr. Roskovàny, *Independentia potestatis ecclesiasticæ*, tom. 12, m. 2512-2514.

nonnisi cum restrictione permissum.

Juramentum

702. Prodiit anno 1818 nova constitutio regni

Bavaricum explicatum.

Bavarici in qua, non minus ac in ejus appendicibus, plura quæ religionem et Ecclesiam catholicam respiciunt, minime probari poterant. Expostulanti ea de re pontifici responsum quidem est « juramentum constitutioni præstandum nullo modo aut dogmata aut leges Ecclesiæ impetere posse, quoniam in edenda constitutione mens voluntasque regis omnino fuit, juramentum illud *ordinem tantum civilem respicere, nullo autem modo eos, qui illud præstarent, ad aliquid obligare quod Dei et Ecclesiæ legibus adversari possit.* » Attamen non nisi ægerrime a gubernio admissum est ut in comitiis juramentum fieret conditionatum sub hac formula: « Ego infrascriptus juramentum constitutioni præsto sub hac conditione, ut non respiciat nisi ordinem civilem, nec ullo modo me ad aliquid obliget quod aut dogmatibus aut Dei et Ecclesiæ catholicæ Romanæ legibus ac juribus adversari possit. » Documenta quæ ad hoc negotium pertinent, referuntur a Roskovàny, *Independentia potestatis ecclesiasticæ*, tom. 2, m. 299, tom. 3, m. 588-599 et 607-617, tom. 6, m. 1128-1132, tom. 10, m. 2198-2217. Iterum de juramento in Bavaria actum est anno 1851, et ab auctoritate spirituali declaratum, illud in casu determinato absque debita restrictione præstari non posse. Cfr. Roskovàny, op. cit. tom. 4, m. 827.

Juramentum Borussicum cum restrictione emittendum;

703. Etiam in regno Borussiæ difficultates circa juramentum exortæ sunt occasione novæ constitutionis anni 1850; episcopi autem præscripserunt ut a clero non emitteretur nisi formulæ adderetur restrictio: *salvis Ecclesiæ juribus*, vel ei præmitteretur æquivalens declaratio. Cfr. Roskovàny, op. cit, tom. 4, m. 707-709; et Schlesisches Kirchenblatt, ann. 1850, pag. 206, ubi de eodem objecto dissertatio habetur.

item Argoviense et Glarense.

704. Item anno 1835 episcopus Basiliensis ad cantonem Argoviensem rescripsit, juramentum super ar-

ticulis conferentiæ Badensis non aliter a clero præstari posse quam addita de juribus Ecclesiæ in salvo relinquendis formula. Eodem sensu anno 1837 episcopus Curiensis respondit ad cantonem Glarensem. Cf. Roskovàny, tom. 2, m. 388 et m. 395.

V. De juramentis hispanicis et italicis.

Juramenta Hispanica post declarationem a gubernio factam permissa;

705. Diversæ constitutiones quæ hoc sæculo in Hispania successive promulgatæ sunt, locum etiam dederunt dubiis circa juramentum eis præstandum; illud autem Sedes Apostolica licitum habuit postquam a gubernio declaratum est, *neminem ejus emissione ad quidquam obligari quod sit contrarium legibus Dei et Ecclesiæ :* huc pertinent *Declaratio* facta anno 1845 a Legato Hispanico ad card. Secretarium status, nec non *Litteræ* Nuntii Apost. ad archiepiscopum Toletanum, 26 Apr. 1877. Cfr. Roskovàny, l. c. tom. 6, m. 1166, tom. 11, pag. 369; Pelletier, op. cit. pag. 70.

Item juramentum Costaricense et Guatimalense.

706. In Costaricensi anni 1853 concordato, art. 22, et in Guatimalensi ejusdem anni, art. 23, ita habetur: « Prævia declaratione a gubernio per suum plenipotentiarium emissa, quod scilicet gubernii ipsius mens est, per juramentum formula infrascripta expressum, *haud obligari in conscientia eos, qui juramentum illud præstant ad quidpiam peragendum, quod Dei et Ecclesiæ legibus adversetur*, Sanctitas Sua assentitur sequens juramentum ab episcopis cæterisque ecclesiasticis viris præstari posse: « Ego juro et promitto ad sancta Dei Evangelia obedientiam et fidelitatem gubernio per constitutionem reipublicæ Costaricensis statuto, itemque promitto me nulli propositioni sive concilio adfuturum quæ nationis independentiæ et tranquillitati publicæ noceat. »

Juramentum Italicum non-nisi cum re-

707. Occasione præsentis Italicæ commotionis, a S. Sede petitum est die 18 Dec. 1860: « An liceat

trictione emittendum.

juramentum ab intruso gubernio propositum hisce vel similibus verbis, quibus illimitata obedientia continetur: Juro fidelitatem et obedientiam Victorio-Emmanueli, Italiæ regi, ejusque successoribus; juro me statutum omnemque aliam legem, pro inseparabili et regis et patriæ Italicæ bono, observaturum. » Responsum autem est: « Juramentum, prout exponitur, non licere; tolerari tamen posse juramentum obedientiæ mere passivæ in iis omnibus quæ legibus divinis et ecclesiasticis non adversantur, juxta formam a S. M. Pii VII approbatam et hisce verbis expressam, scilicet: Promitto et juro me cujuslibet generis conjurationi, sive conventui, sive seditioni contra actuale gubernium operam nunquam daturum; itemque eidem me subjectum fore, atque obtemperantem *in omnibus iis quæ nec Dei nec Ecclesiæ legibus adversentur.* » Rursus die 1 Dec. 1866 petitum est: « Quomodo sciscitanti, an oblatum deputati munus in nationali conventu, quem *Parlamento* Itali vocant, excipi possit, respondendum sit? » Resolutio fuit: « R. Affirmative sub sequentibus conditionibus: 1° ut deputati electi in emittendo juramento fidelitatis et obedientiæ a lege præscripto, adjiciant limitationem: *salvis legibus divinis et ecclesiasticis;* 2° ut hujusmodi limitatio fiat expresse in recitatione formulæ ipsius juramenti, audientibus saltem duobus testibus; 3° ut ipsi deputati electi animo comparati sint et declarent se nunquam legibus improbis et injustis favorem et suffragium esse laturos; imo hujusmodi leges, quatenus proponantur, esse notorie reprobaturos. » Cfr. *Acta S. Sedis,* tom. 2, pag. 676 et Roskovàny, *Romanus Pontifex,* tom. 9, m. 1175, etc.

708. Tandem anno 1845 episcopus Sartorinensis in Græcia, juramentum civile a nova constitutione depostum haud aliter quam cum clausula de non præjudicando juribus fidei catholicæ, per clerum po-

pulumque diœcesanum nuncupari indulsit. Cfr. Roskovàny, *Ind. potestatis ecclesiasticæ*, tom. 3, m. 659.

709. Ex documentis ac factis supra allegatis facile deduci potest quænam sit ratio agendi Ecclesiæ relate ad juramentum politicum. Eam exponimus sequentibus propositionibus quæ respondent principiis n. 645-647 indicatis, eaque confirmant et illustrant. Corollaria.

710. Si in juramenti formula ipsa *exprimatur aliquid injustum, illicitum, impium*, juramentum præstari nequit: huc pertinent juramenta primatus, alligantiæ et testationis, de quibus n. 662-670; item juramenta fidelitatis constitutioni civili et odii in monarchiam, de quibus n. 674, 677-679, etc.

711. Si *sensus* formulæ juramenti sit *ambiguus*, Ecclesia a gubernio postulare solet declarationem authenticam; qua obtenta et sufficienter publicata, ita ut æquivocationi locus esse non possit, juramentum permittitur: huc pertinent juramentum Gallicum Ludovici XVIII, de quo n. 683, 684, Belgicum, de quo n. 689-693, Bavaricum, Hispanicum, de quibus n. 701, 704.

712. At si *rei jurandæ* honestas *dubia* remaneat, juramentum præstari nequit, in dubio enim jurare non licet: huc pertinent responsiones Sedis Apostolicæ circa juramenta libertatis et æqualitatis, de quibus n. 675.

713. Si *formula* juramenti sit *generalis*, ita ut comprehendere possit res etiam illicitas, juramentum non permittitur nisi cum restrictione: *salvis legibus Dei et Ecclesiæ*, vel: *salva religione catholica:* huc pertinent plura ex juramentis allegatis, ac præterea juramentum Austriacum, et Italicum, de quibus n. 700 et n. 706; cfr. etiam *Sexti Decretal.* lib. 2, tit. 11, c. 1, et constitutio Gregorii XIII *Inter Apostolicas.*

714. Licitum esse potest juramentum *submissionis* erga gubernium *illegitimum*, non autem juramentum *tuitionis* ac *manutentionis*, nec juramentum

recognitionis ejus tamquam legitimi: huc pertinent juramentum Romanum, de quo n. 682, etc. Cfr. cit. opusc. *La Santa Sede e i moderni giuramenti politici*, § 21.

ARTICULUS III.

De juramentis judiciariis.

715. *Judiciarium* in sensu lato hic vocamus omne juramentum in tribunali præstitum a *judicibus* eorumque ministris, *partibus* et *testibus*.

Promissorium juramentum judicum

716. Et quidem juramentum judicum est promissorium. Scilicet judices proprie dicti, formula generali vel speciali, jurant se leges applicaturos secundum æquitatem et absque acceptione personarum. Huc pertinent *Lex* 14, Cod. aliaque vetera *Edicta* quæ referuntur apud Van Espen, *Jus Eccles.* p. 3, tit. 9.

et juratorum

717. Quod attinet ad *juratos*, hæc habentur art. 312 Codicis Inst. crim.: « Le président adressera aux jurés, debout et découverts, le discours suivant : Vous jurez et promettez devant Dieu et devant les hommes, d'examiner avec l'attention la plus scrupuleuse les charges qui seront portées contre N.; de ne trahir ni les intérêts de l'accusé ni ceux de la société qui l'accuse; de ne communiquer avec personne jusqu'après votre déclaration, de n'écouter ni la haine ou la méchanceté, ni la crainte ou l'affection; de vous décider d'après les charges ou les moyens de défense, suivant votre conscience et votre intime conviction, avec l'impartialité et la fermeté qui conviennent à un homme probe et libre. Chacun des jurés, appelé individuellement par le président, répondra, en levant la main, *Je le jure;* à peine de nullité. »

eo usque lici-

718. Porro judiciarium juramentum in tantum

licitum est in quantum est licita promissa legum applicatio. Quousque autem licita sit legum, quæ videntur injustæ, applicatio per judices, colligi potest ex supra dictis, ubi de juramento politico, et præsertim ex generalibus principiis de cooperatione. Cfr. S. Thomas, ejusque commentatores, 2-2, q. 60, a. 5, ad. 1, q. 64, a. 6, ad 3, q. 67, a. 2; item interpretes bullæ *Cœnæ*, ad c. 15 et const. *Apostolicæ Sedis*, ad n. 5, 6, 7 primæ classis, et 3 secundæ classis; præterea Cordubensis, lib. 6, quæst. 37; Sayrus, *Clavis regia*, lib. 12, c. 8; De Lugo, *De Just. et Jure*, disp. 37, s. 14; S. Alphonsus, lib. 4, n. 207.

tum quousque licita legum applicatio.

719. Juramentum partium plerumque assertorium est; quadruplex autem distinguitur, nempe juramentum *calumniæ* et *malitiæ*, juramentum *decisorium* seu *voluntarium*, juramentum *suppletorium* seu *necessarium*, et juramentum *in litem*.

Assertorium juramentum partium

720. Juramentum *calumniæ* illud est quo, principio litis vel postea, actor protestatur non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando bonam causam habere; reus vero se bona instantia uti ad reluctandum, id est resistere actori existimando se jus habere. *Malitiæ* autem juramento protestatur, quod malitiose non proponatur exceptio, petatur dilatio; etc. Cfr. Laymann, lib. 4, tr. 3, c. 5, n. 1; Devoti, lib. 3, tit. 8; etc.

calumniæ

et malitiæ,

721. Juramentum *decisorium* seu *voluntarium* illud est quod, approbante judice, pars parti in judicio defert ea lege, ut, si jurare ausit, absque ulteriori processu victoriam obtineat; hujusmodi juramentum admittitur a tribunalibus sæcularibus pro causis civilibus; cfr. Codex civilis, art. 1358-1365, et a tribunalibus ecclesiasticis pro causis tum civilibus tum etiam criminalibus, quibusdam exceptis; cfr. Schmalzgrüber, in lib. 2, p. 3, tit. 24, n. 17, 32, 33.

decisorium,

722. Juramentum *suppletorium* seu *necessarium*

suppletorium,

illud est quod judex, causa cognita, ob inopiam probationis plenæ, uni ex litigantibus defert; tale juramentum admittitur a tribunalibus sæcularibus pro causis civilibus; cfr. Codex civilis, art. 1366-1368, et Codex process., art. 120, 121; item a tribunalibus ecclesiasticis pro omnibus causis tum civilibus tum criminalibus, nisi specialiter a jure excipiantur; excipiuntur autem causæ criminales criminaliter intentatæ, causæ famosæ, causæ civiles valde arduæ et causæ matrimoniales; cfr. Schmalzgrüber, l. c. n. 40-58.

in litem. 723. Juramentum *in litem* illud est, quo res de qua in judicio agitur, æstimatur; triplex autem distinguitur, scilicet juramentum *veræ æstimationis*, juramentum *affectionis* et juramentum *super interesse singulari;* primum dicitur quod defertur ad cognoscendam quantitatem seu verum valorem rei per alterius vim aut dolum amissæ; secundum dicitur quod defertur super æstimatione rei valde caræ ob dolum alterius amissæ vel destructæ, non secundum valorem communem et taxationem, sed secundum privatam affectionem et utilitatem consideratæ; tertium dicitur quod præstatur v. g. super damno quod propter pecuniam alibi depositam et debito tempore non restitutam, deponens est passus. Cfr Codex civilis, art. 1369; Schmalzgrüber, l. c. n. 58-70.

Juramentum promissorium testium. 724. Juramentum testium plerumque promissorium est; testes enim proprie dicti jurare debent se veritatem dicturos. Huc pertinet lib. 2 Decretal. tit. 20, c. 51 *Nuper*: « Nullius testimonio quantumcumque Religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium credi debet. » Huc etiam pertinent: Codex process., art. 262 : « Il (le témoin) fera serment de dire la vérité... à peine de nullité; » et Codex inst. crim., art. 75: « Les témoins prêteront serment de dire toute la vérité, rien que

la vérité; » art. 155: « Les témoins feront à l'audience, sous peine de nullité, le serment de dire toute la vérité, rien que la vérité; » et art. 317 : « Avant de déposer, ils prêteront, à peine de nullité, le serment de parler sans haine et sans crainte, de dire toute la vérité et rien que la vérité. » Juramentum autem illud regulariter præstandum est in præsentia partium; ita cit. lib. 2 *Decretal.* tit. 20, c. 2, *In nomine Domini :* « Ecce admonendus est semper adversarius, ut ad audiendum testes veniat: quod quia hic omissum est, necesse est ut quod contra legem actum est, non habeat firmitatem. » Idem requirunt alii plures canones; unde *Decretal.* lib. 5, tit. 1, c. 24, *Qualiter et quando :* « Non solum dicta sed nomina testium sunt reo publicanda, ne per suppressionem nominum infamandi audacia præbeatur. » Cfr. Codex process. art., 120, 121.

725. Porro vi prædicti juramenti testes non obligantur judici aperire omnem veritatem, quæcumque ea sit, sed tantum eam circa quam legitime interrogantur et quam judex jus habet cognoscendi. Cfr. S. Thomas, 2, 2. q. 69, a. 1; S. Alphonsus, lib. 3, n. 154 et lib. 4, n. 265.

PARS IV.

DE ADJURATIONE.

726. Materiam explicabimus agendo seorsim de adjurationis essentia, moralitate et efficacia.

CAPUT I.

De essentia adjurationis.

727. *Adjurare* in libris Veteris Testamenti aliquando idem est ac *facere jurare,* ut Gen. XXIV, Adjurare proprie est

3, 37, Jos. II, 17,20, 3 Reg. XVIII, 10, etc.; — aliquando idem est ac *imprecari*, ut Num. V, 19, 21, et *præcipere* aut *vetare cum imprecatione*, ut 1 Reg. XIV, 24, 27, etc.; — aliquando idem valet ac *instanter petere, per Deum postulare*, ut 3 Reg. XXII, 16, 2 Esd. XIII, 25, etc. Licet autem hoc verbum in diversa significatione usurpetur, semper tamen per illud aliquid sacri connotari videtur.

interponere auctoritatem sacram ad efficaciam præbendam postulationi vel jussioni ;

728. In Novo Testamento et apud SS. Patres, ac proinde in usu ecclesiastico, *adjuratio* proprie est *auctoritatis sacræ interpositio facta in petitione vel jussione ad efficaciam eidem petitioni et jussioni præbendam.* Huc pertinent Matth. XXVI, 63, Marc. V, 7, Act. XIX, 13, 1 Thess. V, 27: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei. — Adjuro te per Deum, ne me torqueas. — Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. — Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* Ita S. Justinus, *Apol.* 2, n. 6: « Complures siquidem dæmonum intemperiis correptos homines per orbem omnem et hanc vestram urbem, multi hominum nostrorum, christianorum, inquam, per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjurantes...., sanarunt atque etiam nunc sanant exarmantes atque exigentes, qui illlos obsederunt, dæmones. » Et S. Cyprianus, *De Idol. Vanit.* n. 7: « Hi tamen (spiritus mali) adjurati per Deum verum a nobis, statim cedunt et fatentur et de obsessis corporibus exire coguntur. » Item Lactantius, *Divin. Instit.*, lib. 2, c. 16: « Justos, id est cultores Dei, metuunt (dæmones), cujus nomine adjurati de corporibus excedunt. »

adeoque Deum ipsum aut Sanctos quasi exhibere postulantes vel jubentes.

729. Per adjurationem ergo aliquid postulatur vel jubetur *nomine Dei aut Sanctorum;* adeoque Deus aut Sancti exhibentur ut simul cum adjurante postulantes vel jubentes, quod recte notavit Suarez, *De Rel.* tom. 2, tr. 5, lib. 4, c. 1, n. 2. Hoc exprimitur in variis

formulis adjurationis ab Eclesia probatis; sic v. g. in *Rit. Rom.*, tit. *De exorcisandis obsessis a dæmonio:* « Adjuro te, serpens antique, per judicem vivorum et mortuorum.... Adjuro te iterum non mea infirmitate sed virtute Spiritus Sancti.... Imperat tibi Deus; imperat tibi majestas Christi...».

730. In adjuratione quatuor præcipue elementa concurrunt, nempe: persona quæ auctoritatem sacram interponit, et est adjurans; — persona ad quam movendam interponitur auctoritas sacra, et est adjurata; — persona cujus auctoritas interponitur, et ea est per quam adjuratur; — tandem actus cui auctoritas sacra interponitur.

731. Adjurare potest *omnis creatura rationalis*, quæ nempe capax est pie petendi aut jubendi, adeoque Christus Dominus, Angeli, Sancti, homines viatores. Dæmones autem, licet materialiter interponere valeant auctoritatem sacram, non valent tamen adjurare formaliter, ea scilicet adjuratione quæ sit actus cultus. Nec Deus proprie dicta adjuratione uti potest; quod si autem formula adjurationis ipsi aliquando tribuatur, per eam non aliud connotatur quam vis et efficacia imperii, eo fere modo quo diximus de juramento; cfr supra, n. 522.

Omnis creatura rationalis per se capax est adjurandi;

732. Adjurari potest *omnis et sola natura intellectualis*, nempe Deus et Christus, Beata Virgo et Sancti, homines viatores et dæmones; siquidem omnis et sola natura intellectualis permoveri valet precibus vel jussionibus. Creaturæ ergo irrationales adjurari non possunt in seipsis; bene tamen adjurantur in aliis, scilicet in rationalibus a quibus pendent vel reguntur; cfr. Suarez, l. c. c. 2, n. 12, 13.

omnis et sola natura intellectualis adjurari potest;

733. Adjuratio maxime fit *per Deum;* potest etiam fieri *per Sanctos* tum beatos tum viatores, et hoc duplici modo, nempe prout Sancti in sua perfectione communicata considerantur, vel prout Deus in eis respicitur. Cfr Suarez, l. c. c. 3, n. 5, 6. At fieri

adjuratio fit per Deum aut Sanctos;

nequit per *res* sacras, nisi quatenus res illæ quasi assumuntur pro personis ad quas referuntur. A fortiori adjuratio non habetur ubi interponitur auctoritas creaturæ qua talis.

est deprecativa vel imperativa.

754. Tandem adjuratio fieri potest vel postulando vel jubendo: in primo casu dicitur *deprecativa*, in altero *imperativa*. Vix autem advertendum est, hanc distinctionem sumi non ab ipso actu quo auctoritas sacra interponitur, sed ab actu cui interponitur illa auctoritas.

755. Quocumque modo fiat, adjuratio supponit, illius, cujus auctoritas interponitur, voluntatem esse ut res postulata vel imperata exsecutioni mandetur; eamque voluntatem ab eo, qui adjuratur, practice recognosci et dignam quæ impleatur reputari.

CAPUT II.

De moralitate adjurationis.

Adjuratio est actus cultus latriæ vel duliæ, a cæteris distinctus;

756. Adjuratio, si rite fiat, actus est rationabilis ac bonus, et religiosus esse potest; aptus enim est ut per eum exprimatur tum submissio illius qui adjurat tum excellentia illius per quem adjuratur. Est autem actus vel *latriæ*, quando fit per Deum, vel *hyperduliæ* aut *duliæ*, quando fit per Beatam Virginem aut Sanctos in se consideratos. Porro adjuratio est religionis actus *specialis*, a cæteris et nominatim a juramento distinctus; non enim, sicut juramentum, invocatio quædam est, sed interpositio seu allegatio; nec respicit Dei veracitatem et immutabilitatem, sed ejus auctoritatem et majestatem; præterea non jungitur assertioni vel promissioni, sed petitioni aut jussioni; denique non dirigitur ad fidem dictis conciliandam, sed ad vim imperio addendam. Cfr. Suarez, l. c. c. 1, n. 8.

737. Ut autem rite fiat adjuratio, servandæ sunt quædam conditiones; nempe res ope adjurationis obtinenda debet esse honesta; legitima etiam esse debet petitio vel jussio cui adjuratio jungitur; præterea adesse debet causa rationabilis utendi adjuratione. Ex defectu harum conditionum adjuratio peccaminosa est; quantum autem peccaminosa sit, colligi potest ex iis quæ diximus ubi de juramento: eadem enim principia in utraque materia æque habent suam applicationem.

conditiones ut rite exerceatur.

738. Nulla quidem exstat difficultas specialis relate ad liceitatem adjurationis deprecativæ; at nonnulla advertenda sunt magis in particulari circa adjurationem imperativam dæmonum, quæ vocari solet *exorcismus*. Exorcismus enim, ut loquitur S. Isidorus, *De eccl. off.*, lib. 2, c, 21, « sermo increpationis est contra immundum spiritum, in energumenis sive catechumenis factus; per quem ab illis diaboli nequissima virtus et inveterata malitia vel violenta incursio expulsa fugatur. »

Ad dæmonum adjurationem, quæ exorcismus dicitur, requiritur specialis potestas;

739. Scilicet potestatem expellendi dæmones, qua ipse in terris usus erat, Christus Dominus Ecclesiæ suæ contulit. Patet Luc. X, 17-21; Marc. XVI, 17; etc.: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. — Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient.* Hanc vero potestatem inde a primis temporibus cum fructu exercitam fuisse, patet tum ex Act. Apost. XVI, 18, XIX, 12, etc.; tum ex innumeris testimoniis SS. Patrum, quæ collecta legi possunt apud P. Hurter in præclara dissert. *Dæmon vel invitus testis divinæ originis religionis christianæ.* Ita v. g. Lactantius, *Divin. Instit.* lib. 4, c. 27: « Sicut ipse, cum inter homines ageret, universos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas et malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat;

hæc potestas a Christo Domino Ecclesiæ concredita est,

ita nunc sectatores ejus eosdem spiritus inquinatos de hominibus et nomine magistri sui et signo passionis excludunt. »

et apud fideles existere potest per modum charismatis,

740. Prædicta potestas expellendi dæmones apud quosdam in Ecclesia est per modum *charismatis*, ut significatur Marc. XVI, 17; hoc quidem charisma semper inter fideles exstitit, et perpetuo permanebit; tamen initio frequentius quam nunc concedebatur. Illud supponitur in celebri loco Tertulliani, *Apol.* c. 23: « Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Jussus a *quolibet* christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso. » Cfr. Suarez, l. c. c. 2, n. 11.

vel per modum officii;

741. Est autem eadem potestas apud alios per modum *ministerii*, apud eos nempe qui ad officium expellendi dæmones deputati sunt. Inde vero ab Ecclesiæ incunabilis hæc deputatio facta est per specialem ordinationem, qua constituti sunt *exorcistæ*. Hinc conc. Laodicenum, c. 26: « Quod hi qui non sunt ab episcopis ordinati tam in ecclesiis quam in domibus exorcizare non possint. » Et conc. Carth. IV, c. 7: « Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe et commenda memoriæ, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum sive catechumenum. » Cfr. etiam conc. Aquisgran. lib. 1, c. 1.

ad quod officium exercendum, præter ordinationem, nunc passim necessaria est licentia episcopi,

742. Ad hujus potestatis, per ordinationem acceptæ, legitimum usum requiritur, ex decretis variarum synodorum, *licentia* auctoritatis ecclesiasticæ. Ita v. g. in syn. Torn. ann. 1600, tit. 2, c. 11: « Nulli liceat exorcizare in nostra diœcesi nisi licentia in scriptis obtenta, solis pastoribus exceptis, quibus licebit in sua parochia et non aliis parochianis a dæmone infestatis, succurrere. » Et Mechl. ann. 1607, tit. 15, c. 4: « Nullus omnino exorcizare præsumat sine

licentia ordinarii in scriptis obtenta. » Item Augustana ann. 1610, c. 6, n. 6 : « Nec quisquam exorcizare præsumat energumenos sine licentia nostra vel vicarii nostri generalis in scripto obtenta. » etc. etc. Inter recentiores autem sic Viennensis syn. ann. 1858, tit. 4, c. 10 : « Nullus ergo qualiscumque sacerdos audeat, eos, quos energumenos judicet, exorcismis adjurare nisi ab episcopo diœcesano facultatem scripto exaratam acceperit. » Eodem modo Pragensis ann. 1860, tit. 3, c. 12; Ultrajectensis ann. 1865, tit. 5, c. 9.

præterea servari debent formulæ probatæ.

743. Exorcismi faciendi sunt juxta *formulas probatas,* et, quantum possibile est, *in ecclesia;* insuper non pauca ab exorcizante observari debent quæ exponuntur et explicantur in *Rituali,* atque apud theologos; cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 193.

Exorcismi fiunt seorsim vel in benedictionibus et sacramentis.

744. Porro exorcismi adhibentur tum seorsim a quacumque alia cæremonia, prout sunt illi qui fiunt super energumenos, tum in quibusdam benedictionibus, v. g. aquæ, et maxime in administratione baptismi, de quo ritu antiquissimo legatur Trombelli, *De Baptismo,* diss. 3, q. 4, c. 3, et diss. 6, q. 1-7. Sufficiat heic retulisse verba S. Cœlestini, *Epist. ad episc. Galliarum,* c. 12: « Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu. Cum sive parvuli sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt quam exorcismis et exsufflationibus clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur : ut tunc vere appareat quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, et quomodo prius alligetur fortis, et deinceps vasa ejus diripiantur, in possesionem translata victoris, qui captivam duxit captivitatem et dat dona hominibus. »

745. Præter exorcismum proprie dictum est alius modus adjurandi dæmones « *privatus* et *occultus* vel etiam *invisibilis* ac *spiritualis,* quo possunt

licite et utiliter uti fideles, quando tentati dæmoni resistunt fortes in fide: solent enim sancti viri exprobare dæmoni, et interius adjurare in nomine Domini, ut discedat.» Suarez, l. c.

CAPUT III.

De efficacia adjurationis.

Efficacia propria

746. Adjuratio, quatenus est actus bonus et religiosus, vim habet obtinendi a Deo ut adjuratum moveat ad faciendum illud quod postulatur vel imperatur: hæc tamen vis non est adjurationi peculiaris, sed ipsi communis est cum aliis actibus virtutis.

cujuscumque adjurationis,

747. Efficacia propria, intrinseca et connaturalis adjurationi in hoc reponitur quod ad præstandam rem postulatam vel imperatam adjuratus se determinet amore, reverentia vel timore illius per quem adjuratur, quia nempe ejus beneplacito vel voluntati resistere non audet vel non vult.

et maxime exorcismi;

748. Talis efficacia speciali modo inest adjurationi dæmonis a legitimo ministro factæ, prout SS. Patres frequentissime docent, quando scribunt dæmones verbis adjurantium tamquam flagris verberari, religiosi sermonis flagellis castigari; cfr. Lactantius, *Divin. Inst.* lib. 2, c. 16; Julius Firminus Maternus, *De errore prof. relig.* c. 14, etc. Ita Arnobius, *Adv. gentes,* lib. 1, c. 46: « Cujus (Christi) nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, nominis, sed majoris licentia potestatis.» Et S. Cyprianus, *Epist.* 76 *ad Magnum,* n. 15: « Hodie etiam geritur ut per exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur et torqueatur diabolus.» Ac rursus *De idolorum vanitate,* n. 7: « Videas illos (spiritus malos) nostra voce et operatione ma-

jestatis occultæ flagris cædi, igne terreri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari, unde veniant et quando discedant, ipsis etiam qui se colunt, audientibus confiteri; et vel exsiliunt statim vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. »

quomodo sit ex opere operato;

749. Cum igitur hujusmodi efficacia non fundetur in merito et dignitate ministri adjurantis, dicitur esse *ex opere operato* et non ex opere operantis. Præclare rem exponit Suarez in 3 p, q. 65, a. 4, disp. 15, s. 4: « Restat explicandum quis sit modus et quæ radix hujus efficaciæ moralis. Respondetur: Triplex potest assignari. Prima est veluti connaturalis, suppositis nostræ fidei mysteriis: cum enim dæmon virtutem Christi vel invitus agnoscat et credat, seque per crucem ejus victum et superatum intelligat, ex hoc ipso quasi ex natura rei sequitur, ut audito Christi nomine perhorrescat, et viso signo crucis ejus quodammodo torqueatur et confundatur. Et ideo Sancti his duobus signis crucis et nominis Christi potissimum usi sunt ad hunc effectum consequendum.... Secunda est vis impetrandi, fundata non tantum in ministro sed in sanctitate totius Ecclesiæ, in cujus persona minister orat; et ratione hujus intercessionis fit hic effectus per modum impetrationis... Tertia causa probabilis est, specialis potestas data Ecclesiæ a Christo Domino ad imperandum dæmonibus, qui ex ipsius Christi voluntate obedire coguntur.... Cum enim ordinando exorcistas dat eis potestatem adversus dæmones, non tantum videtur eis concedere facultatem postulandi hunc effectum nomine suo, sed etiam in eos transferre potestatem aliquam specialem sibi a Christo concessam. »

an infallibilis dici queat.

750. Nihilominus « hic effectus non est ita absolute promissus, quin impediri possit, vel propter privatam vel propter publicam causam. Nam cum hic effectus non pertineat ad donum gratiæ gratum

facientis, sed ad liberationem quamdam a malo pœnæ, non solum ex proprio demerito seu obice impediri potest, sed etiam propter majorem utilitatem animæ, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiæ commodum. » Suarez, l. c. Cfr. Castropalao, tr. 14, disp. 4, p. 4, n. 19. Paulo aliter tamen loquuntur Salmanticenses, tr. 22, c. unic. p. 3, n. 20-23.

FINIS TOMI PRIMI.

LIBRARY FRANCISCAN MONASTERY
3140 Meramec Street,
ST. LOUIS, MO.

INDEX ANALYTICUS.

PROŒMIUM.

Pag.

DE SIGNIFICATIONE VOCIS RELIGIONIS. 1

Nomine religionis proprie significatur complexus relationum hominis ad Deum, 1, 2; vel omnis cultus sacer, 3; vel cultus divinus, 4; vel institutum in quo tenditur ad perfectum Dei servitium, 5; improprie vero eodem nomine significatur lex, conscientiæ scrupulus, etc. 6. Notio religionis hodie a rationalistis perversa, 7. Partitio materiæ, 8.

LIBER I.

DE RELIGIONE IN GENERE SPECTATA. 5

PARS I.

DE ESSENTIA RELIGIONIS 5

CAPUT I.

DE RELIGIONIS EXERCITIO. 5

ARTICULUS I. — De notione cultus sacri. 5

Cultus religiosus est nota submissionis ad agnitam excellentiam sacram, 12; duplex elementum complectitur, 13; cognitionem et volitionem supponit, 14; et exercetur per actus internos et externos, 15. Cultus religiosus oritur ex legitimo usu rationis, 16. Distinctio cultus religiosi naturalis et supernaturalis, 17; et mutua relatio unius ad alterum, 18.

ARTICULUS II. — De præcipuis cultus sacri speciebus. 10

§ I. — De cultu supremo et subordinato 11

Cultus religiosus supremus ille est qui tribuitur Deo, subordinatus qui tribuitur creaturæ, 20. Usu ecclesiastico antiquissimo, 21, non sine fundamento usus biblici, cultus supremus dicitur *latria*, subordinatus vero *dulia*, 22, 23; recte etiam postea cultus B. V. vocatus est *hyperdulia*, 24.

§ II. — De cultu absoluto et relativo. 14

Cultus absolutus est ille qui alicui tribuitur propter excellentiam ei inhærentem, 25; relativus autem qui tribuitur propter excellentiam quæ est in altero supposito quocum

prius relationem habet, 26. Vario modo uterque simul exercetur, 27, 28. Cultus relativus inferior est absoluto, 29, et tribui potest etiam rebus inanimatis, 30.

§ III. — De cultu interno et externo 17

Cultus internus animo perficitur, externus actibus corporis consummatur, 31. Cultus internus existere potest absque externo, 32; an autem externus sine interno consistat, non certo constat, 33.

§ IV. — De cultu privato et publico 19

Cultus privatus ille est qui in occulto vel coram paucis aut nomine proprio exercetur; publicus vero qui exercetur coram pluribus, vel nomine societatis peragitur, 34.

CAPUT II.

DE RELIGIONIS VIRTUTE 20

Existit habitus aliquis infusus, 35, quo justificati disponuntur ad Deum supernaturaliter colendum, 36. Iste habitus ab aliis differt, 37; connumerari nequit cum virtutibus theologicis, sed pertinet ad virtutes morales, et reducitur ad virtutem justitiæ, 38. Virtus religionis theologicis inferior, sed cæteris moralibus præstantior, 39. Præter virtutem religionis admitti potest habitus infusus duliæ, 40; et probabiliter etiam hyperduliæ, 41. Ad virtutem religionis refertur donum pietatis, 42, 43.

PARS II.

DE RELIGIONIS NECESSITATE 23

CAPUT I.

DE NECESSITATE CULTUS ABSOLUTI 23

ARTICULUS I. — De necessitate cultus supremi. 23

§ I. — De cultu Dei Unius et Trini 24

Debetur cultus supremus, 47, internus et externus, 48, privatus et publicus, 49, Deo Uni et Trino, 50.

§ II. — De cultu Christi Domini 28

Adorandus est Christus Dominus, 51, in quantum Deus et in quantum homo, 52, una et eadem adoratione latriæ, 53. Humanitas Christi latreutice adoratur conjuncta cum divinitate, 54. Si tamen consideretur ut separata a Verbo, cultu latriæ coli non potest, neque probabilius cultu hyperduliæ, 55. Singulæ partes humanitatis Christi cultu latriæ colendæ, 56; specialiter tamen adorationi nostræ ab Ecclesia proponuntur sacratissimum Cor Jesu, 57-61, ejus vulnera et sanguis, 62. Cultus latriæ debetur Christo in statu sacramentali, 63. Adoratio tribuitur ipsi Sacramento, 64, ita tamen ut diversi-

mode terminetur ad corpus et sanguinem Christi, et ad species panis et vini, 65.
Articulus II. — De necessitate cultus subordinati. 38
§ I. — De cultu Sanctorum. 38
Cultus Sanctorum nullo modo reprobatur in Sacris Litteris, 67, 68, sed potius verbis et factis commendatur, 69. In veteri œconomia parcior erat, 70, sub nova œconomia semper viguit, 71. Cultus Angelis et Sanctis in Ecclesia exhibitus semper fuit subordinatus, 72; absolutus tamen est, 73, et potest esse publicus vel privatus, 74; aliquomodo obligatorius dici debet, 75. Cultus religiosus tribui potest personis etiam viventibus, 76.
§ II. — De cultu Beatæ Virginis Mariæ 45
Beatæ Virgini tribui debet cultus duliæ excellentioris, propter ejus divinam maternitatem, plenitudinem gratiæ, singulares prærogativas, virtutes et merita, munera et gloriam, 77. Hujusmodi cultus semper in Ecclesia viguit, 78. Excellentia cultus hyperduliæ multiplici modo se manifestat, 79. Cultus purissimi Cordis Mariæ, 80. Monitum Pii IX, 81.

CAPUT II.

De necessitate cultus relativi 51
Articulus I. — De cultu sacrarum reliquiarum 51
Reliquiarum notio, 83. Cultus reliquiarum rationi conformis est, 84; sub antiquo fœdere non exstitit, saltem in sua ratione formali et explicita, 85; Scripturæ Novi Testamenti exhibent ejus vestigia et inchoationem, 86; sub Novo Testamento semper fuit communis, 87, et multis miraculis confirmatus est, 88. Reliquiis exhibetur cultus relativus 89, 90, latriæ, hyperduliæ vel duliæ secundum quid, 91, publicus vel privatus, 92. Ut cultus reliquiarum sit prudens, sufficit certitudo moralis de earum authenticitate, 93; hæc certitudo moralis communiter habetur, 94, 95.
Articulus II. — De cultu sacrarum imaginum. 59
Imaginum notio, 96. Usus imaginum conformis est rectæ rationi, 97, non tamen omnino necessarius, 98. Usus imaginum sub Vetere Testamento minus communis fuit, non tamen absolute proscriptus, 99; in nova œconomia semper viguit, 100. Cultus imaginum ex natura rei connexus est cum earum usu, 101, et de facto semper exstitit in Ecclesia, 102. Cultus imaginum in Ecclesia semper fuit mere relativus, 103; duplici modo exerceri potest, 104. Absque superstitione una imago præ alia colitur, 105. Imagines variis actibus legitime coluntur; nec reprehendi potest mos imagines obducendi velo, vel easdem coronandi, 106. Imagines debent esse decentes et decoræ, 107. Idem cultus præstandus nominibus sacris ac imaginibus, 108.
Articulus III. — De cultu rerum sacrarum. 71

Notio rei sacræ, 109-112. Rebus sacris debetur cultus, 113, relativus, 114.

LIBER II.

DE ACTIBUS RELIGIONIS IN SPECIE. 73

Præambulum. — Cultus supernaturalis evolutio, 115. Actuum cultus enumeratio et distributio, 116-117; distributionis explicatio, 118-120. Tractationi de actibus religionis in specie præmittitur explicatio devotionis, 121: ut sumitur pro actu, devotio est interna sui oblatio ad cultum sacrum, 122; ut autem sumitur pro statu, est habitualis addictio cultui divino, 123, quæ se manifestat per promptitudinem et fervorem in cultu divino præstando, 124; hinc oratio vel adoratio devota, vita devota, exercitia devota, 125. Devotionis effectus est lætitia quædam spiritualis, quæ, licet accidentalis, est tamen magni facienda, 126. Devotionis causa duplex: gratia Dei et meditatio, adeoque etiam studium theologiæ, 127.

PARS I.

DE ORATIONE. 78

CAPUT I.

DE ORATIONE IN GENERE 79
ARTICULUS I. — De essentia orationis. 79
§ I. — De actu orandi. 79

Oratio late dicitur motus omnis intellectus et voluntatis in Deum; strictius autem actus laudandi, gratias agendi, postulandi; proprie est pia petitio ad Deum, 132. Petitio est appellatio ad benevolentiam alterius ad favorem obtinendum, 133. Non omnis petitio *oratio* dici potest, 134, sed ea tantum quæ fit intentione cultus religiosi, 135; imo ad veram orationem requiritur ut petitio eliciatur viribus gratiæ, 136, ex fide procedat, atque spei innitatur, 137.

§ II. — De iis ad quos orari potest. 86
I. De orando Deo et Christo. 86

Oratio christiana præcipue dirigitur ad Deum, 139; rectæ rationi conforme est Deum orare, 140, Unum et Trinum, 141; oratio ad Deum dirigi debet tamquam ad principalem auctorem boni postulati, 142. Christus Dominus orandus est, 143, tamquam mediator noster principalis, 144.

II. De orandis Sanctis et Beata Virgine 93

In Ecclesia semper viguit usus orandi Sanctos, 145; usus iste non opponitur cultui divino, 146, nec cultui Christi Domini, 147; sed e contra omnino rationabilis est, 148, et omnino

conformis præsenti œconomiæ divinæ Providentiæ, 149. Angeli et Sancti orantur tamquam mediatores secundarii ad Deum, et tamquam Dei ministri, 150; legitime alii Sancti orantur pro aliis gratiis obtinendis; Sancti etiam offerunt Deo orationes nostras, 151. Præ cæteris Sanctis exoranda est B. V. Maria, quia, juxta sententiam piam ac valde receptam, constituta est omnium gratiarum thesauraria, 152. Incertum est utrum orari possint animæ in purgatorio detentæ, 153. Possunt aliquo modo orari viatores, 154.

§ III. — De iis qui orare possunt 104

Oratio est actus proprius creaturæ rationalis, 155; hinc personæ divinæ, qua tales, orare nequeunt, 156; attamen Christus Dominus secundum humanitatem orare potuit et oravit in vita sua mortali; Christi autem interpellatio in cœlo probabilius est vera oratio, 157. Orare possunt Angeli et Sancti, 158; etiam animæ in purgatorio detentæ, 159, non autem damnati, 160. Omnes viatores orare possunt, 161, quantumvis impii et peccatores, 162. Oratio infidelium, 163.

§ IV. — De rebus quæ oratione peti possunt 108

Objectum orationis est bonum, 164; bonum definitur: ratio perfecti, quod est appetibile, 165; et distinguitur in bonum utile, honestum et delectabile, in internum, externum et mixtum, in ontologicum et morale, in naturale et supernaturale, in necessarium et liberum, 166. Notio et distinctio mali, 167, 168.

I. De petitione bonorum supernaturalium 109

Bona supernaturalia ordinis beatificationis, 169, et sanctificationis peti possunt propter se, absolute et absque limitatione, 170; supernaturalia ordinis ontologici peti nequeunt nisi sub conditione, 171; hæc bona petuntur concedenda juxta ordinem a Deo constitutum, 172, et per Christum, 173.

II. De petitione bonorum naturalium 111

Bona naturalia honesta peti possunt propter se et absolute, 174; utilia autem peti nequeunt nisi propter finem aliquem bonum, 175. In oratione petitur ut hæc bona nobis obveniant secundum ordinem divinæ Providentiæ, 176. Petitio miraculi, ibid. Bona naturalia peti possunt per Christum, 177.

III. De petitione malorum 117

Malum morale nullo modo peti potest, 178; malum physicum peti potest quatenus tale est tantum relative, 179.

§ V. — De iis pro quibus orari potest 119

Orari potest pro solis creaturis rationalibus, 180. Pro Sanctis fortasse aliquo modo orari potest, 181; certum est pie et utiliter orari pro animabus purgatorii, 182; nullo modo orari potest pro damnatis, 183. Orari potest pro omnibus viatoribus, 184.

Articulus II. — De necessitate et efficacia orationis 124

§ I. — De necessitate orationis. 124

I. De orationis necessitate medii 124
Orationem necessariam esse necessitate medii ad salutem, certum est et forte fidei proximum, 188-189, ut plene demonstratur ex Sacris Litteris, 191, ex SS. Patribus, 192, ex unanimi theologorum sententia, 193, ex ratione theologica, 194, ex conciliis, 195.
II. De orationis necessitate præcepti 128
Oratio adultis imposita est, 196-197, præcepto naturali divino, 198, quod sæpius urget per se, 199, et aliquando per accidens, 200.
§ II. — De efficacia orationis 131
Impetratio, seu vis movendi alterum ad beneficium concedendum 201, orationi propria est, 202. Oratio supernaturalis vim impetrandi infallibilem habet, 203, ex divina promissione, 204-205, si sit de re necessaria ad salutem, atque fiat pro homine sufficienter disposito, et sit perseverans, 206. Efficacitatem orationis plurimum augent puritas conscientiæ, bona opera, humilitas, gradus sublimior fidei et spei, 207. Vis orationis finita est intensive et extensive, 208. Differt impetratio a merito et satisfactione, 209. Oratio etiam meritoria est et satisfactoria, 210.

CAPUT II.

DE ORATIONE VOCALI 139
ARTICULUS I. — De oratione vocali in communi 139
Ad essentiam orationis vocalis requiritur prolatio verborum, 212-213, cum intentione orandi, saltem implicita et virtuali, 214, et attentione, 215, saltem superficiali, 216, ac remissa, 217; hinc substantiam orationis vocalis non semper et necessario destruunt actiones externæ, quæ simul cum ipsa exercentur, 218-219, nec distractiones internæ seu cogitationes de alienis, 220-222. Nullæ sunt pro oratione vocali conditiones specialiter requisitæ, quoad verborum formulas, corporis modum et situm, orandi tempus et locum, orationis mensuram, 223. Oratio vocalis est rationabilis, honesta, utilis, non tamen obligatoria, 224. Oratio Dominica, 225.
ARTICULUS II. — De oratione vocali publica. 149
Oratio publica ea dici debet quæ fit ab ipsa communitate vel ipsius nomine, 226; præcipua est officium divinum, 227.
§ I. — De personis quæ ad officium divinum obligantur . . . 150
Oratio publica primitus fiebat ab ipsis cœtibus christianis, 228; postea fieri debuit per speciales ministros, scil. per personas ecclesiasticas, 229, 230.
I. De clericorum obligatione ad officium divinum 152
Officium divinum recitare debent, ex lege ecclesiastica, clerici omnes, 231, in majoribus ordinibus constituti, ab ipso die ordinationis, 232.
II. De religiosorum obligatione ad officium divinum 154

Etiam officium recitare tenentur religiosi, 233, ad chorum professi, 234.

III. De obligatione beneficiariorum ad officium divinum . . . 155
Officium recitare debent beneficiarii, 235, qui scilicet beneficium possident, ex quo percipiunt fructus alicujus momenti, 236. Pœna imposita beneficiariis non recitantibus, 237-238.

§ II. — De officio quod recitandum est 157
Officii divini compositio, 240, et distributio, 241, ejusque diversæ formæ, 242. Clerici, religiosi et beneficiarii officium divinum recitare debent integre, 243, juxta formam a S. Pio V præscriptam, nisi ipsis legitima consuetudo suffragetur, 244 : secus obligationi non satisfaciunt, 245 ; item recitare debent secundum designationem temporum, dierum et festorum, 246; controvertitur quousque hæc altera obligatio se extendat, 247 ; judicium de diversis sententiis expositis, 248; conclusiones practicæ ex illis deductæ, 249. Quæstio de absentibus, 250.

§ III. — De loco in quo officium est recitandum 163
Officium divinum convenienter recitari solitum est in ecclesiis, 251 ; juxta præsentem disciplinam obligatio non existit nisi relate ad quosdam, illud recitandi in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et regularibus, 252, 253.

§ IV. — De modo quo officium est recitandum. 165

I. De officio vocaliter recitando 166
Officium divinum convenienter recitatur psallendo et cantando, 255-256, in choro, 257 ; in præsenti tamen illi soli officium in choro psallere vel cantare obligantur qui deputati sunt servitio ecclesiæ cathedralis, collegiatæ, vel regularis, 258. Qui officium recitat in choro obligationi satisfacit si partem suam cantet aut psallat, aliam vero audiat, 259 ; item ille qui extra chorum officium legit cum alio, 260 ; qui autem solus recitat debet omnia verba per semetipsum ita pronuntiare ut seipsum audire possit, 261.

II. De officio ordinate recitando 170
Officium divinum ita recitari debet, ut, saltem sub levi, singulæ horæ suo ordine ponantur, 262, 263, et in singula hora diversæ ejus particulæ, 264. Una hora absque ullo peccato ab altera separari potest, 265 ; in eadem autem hora separatio unius particulæ ab altera fieri nequit absque peccato saltem levi, 266, 267.

III. De officio decenter recitando. 174
Ad satisfaciendum obligationi officii, non est necessarius in recitante status gratiæ, 268, 269, sed requiritur et sufficit intentio orandi et attentio ad verba, 270, 271. Rubricæ stricte obligatoriæ non sunt nisi in choro, 272.

§ V. — De tempore quo officium est recitandum 176
Officium divinum est onus diei naturali annexum, 273.

Diversæ ejus partes diversis horis diei accommodatæ fuerunt, 274 ; hæc tamen distributio a multo tempore non amplius stricte observatur, 275; in choro enim officium recitandum est temporibus debitis et congruis, 276; extra chorum, matutinum, laudes, prima et tertia recitari debent ante meridiem, vesperæ et completorium post meridiem ; sexta et nona bene possunt sed non absolute debent ante meridiem recitari, 277 ; præterea matutinum et laudes ex privilegio recitari possunt pridie, ab ea hora quæ est media inter meridiem et solis occasum, non autem ab hora secunda pomeridiana, 278; tempore autem quadragesimæ licita est recitatio vesperarum ante meridiem, 279, 280.

§ VI. — De causis a recitatione officii deobligantibus 180

I. De ignorantia obligationis ad recitandum 181

Vix admitti potest ignorantia excusans quoad substantiam obligationis, 283 ; facilius contingit quoad recitationis modum, 284, et pœnam impositam non recitantibus, 285; admittitur ignorantia facti et naturalis oblivio, 286.

II. De impotentia recitandi officium 182

Ab obligatione recitandi officium excusat impotentia absoluta physica, 287-288, vel spiritualis, 289, item impotentia moralis, 290, seu difficultas gravis, 291, in hoc consistens quod recitans exponeretur periculo notabilis detrimenti, 292, vel a notabili bono consequendo impediretur, 293. Impotentia eousque excusat quousque se extendit, 294. Judicium de præsentia causæ excusantis, 295.

III. De dispensatione ab officio recitando 189

Ab officio recitando cum omnibus dispensat summus Pontifex, 296, episcopus vero cum suis subditis et in casibus particularibus, 297, item prælatus regularis cum suis religiosis, 298.

§ VII. — De fructu recitationis officii. 190

Recitatio officii præcipuum valorem habet ab Ecclesia, cujus nomine fit, 299 ; valor iste probabiliter dividitur in triplicem partem, 300.

PARS II.

DE VOTO 192

CAPUT I.

DE ESSENTIA VOTI 192

ARTICULUS I. — De actu vovendi 192

Votum est promissio Deo facta, 304. Promissio est actus quo aliquis erga alterum se obligat ad aliquid faciendum, 305; ex se apta est ut submissionem testificetur et ad cultum pertineat, 306; de facto autem rationem cultus acquirit ex affectu a quo procedit, et ex materia circa quam versatur, 307. Votum

potest esse perfectum in ratione cultus quin sit perfectum in ratione promissionis, et vicissim, 308.

§ I. — De dotibus promissionis votivæ 196
Ad essentiam promissionis votivæ requiritur voluntas obligationis suscipiendæ, 309, formalis et directa, 310, saltem virtualis, 311, et implicita, 312, deliberata, 313, significata et acceptata, 314.

§ II. — De vitiis valori promissionis votivæ oppositis. 200

I. De influxu metus in votum 200
Nullus metus validitati voti obstat, nisi fuerit gravis, injustus et directe incussus ad votum extorquendum, 317; talis autem metus validitati voti obstat probabiliter ex jure naturali, certius ex jure ecclesiastico, 318.

II. De influxu erroris in votum 205
Prænotiones, 319. Votum invalidum reddunt ignorantia et error quæ versantur circa essentiam actus vovendi, 320, vel circa substantiam aut conditiones substantiales materiæ, 321, vel etiam circa causam finalem voti, 322, vel tandem circa voti terminum, 323.

§ III. — De modificationibus votivæ promissionis. 210
Præcipua voti modificatio est conditio, 324, 325; conditio autem est eventus futurus et incertus ad cujus præsentiam alligatur promissionis efficacia, 326; eventus ille pendere potest a causa naturali, vel a causa libera, vel a voluntate promittentis; potest esse honestus vel turpis, optandus vel præcavendus, 327. Promissio facta sub pluribus conditionibus, 328.

Articulus II. — De iis quibus votum fieri potest 214
Promissio religiosa fieri potest Deo et Sanctis, 329, aliter tamen Deo et aliter Sanctis, 330; Sanctis autem promissio fieri potest duplici modo, 331. Promissio facta Sanctis minus proprie votum dicitur, 332. A promissione facta Sanctis distingui debet promissio quæ fit Deo in honorem Sanctorum, 333, vel quæ fit Deo coram Sanctis, 334; una autem cum altera conjungi potest, 335.

Articulus III. — De iis qui vovere possunt. 218
Votum emittere potuit Christus Dominus, 337, item probabilius Angeli, 338. Nullus homo viator votum emittere potest nisi usum rationis adeptus sit, 339; si autem usum rationis sit adeptus, omnis homo viator ex se capax est emittendi votum, 340. Homo ex se habilis ad votum, inhabilis ad hoc reddi potest per legitimam auctoritatem, 341; talis auctoritas competit Ecclesiæ, 342, quæ ea usa est relate ad sola vota solemnia, 343. Vota omni ex parte firma emittere nequeunt illi quorum voluntas subjecta est plenæ dominationi alterius, 344; nec illi quorum actiones vel res dominio alterius subjiciuntur, 345-347.

ARTICULUS IV. — De rebus quæ voveri possunt. 225
Materia voti est actio vel omissio voventis, 348 ; ratione materiæ distinguitur votum in reale et personale, ibid. ; voti conditiones ex parte materiæ, 349.
§ I. — De materiæ possibilitate 227
Votum fieri nequit nisi de materia possibili; principii applicationes, 350 ; quo sensu voveri possit factum alienum, 351 ; votum de re partim possibili partim impossibili aliquando validum est, aliquando invalidum, 352. Promissio votiva rei impossibilis mala est, 353.
§ II. — De materiæ bonitate 229
I. De promissione operis mali 229
Invalidum est votum de re ex objecto mala, 355, adeoque etiam votum priori voto repugnans, 356 ; non tamen votum emissum ab eo cui vovere prohibitum est, 357. Invalidum est votum de re mala ex circumstantiis et fine, 358; non tamen votum emissum propter finem malum, 359. Promissio votiva operis mali graviter peccaminosa est, 360.
II. De promissione operis indifferentis. 232
Invalidum est votum de opere ex objecto indifferenti, 362, nisi istud opus referatur in finem honestum, 363, sibi proportionatum, 364. Validum esse potest votum emissum ad obtinendum a Deo beneficium temporale, 366. Votum de re partim bona, partim mala aut indifferenti, 367. Promissio votiva operis indifferentis mala est, 368.
§ III. — De materiæ melioritate 234
Invalidum est votum quod non est de bono meliori, 369, 370 ; hinc deducitur quid sit sentiendum de voto non vovendi, non petendi dispensationem a voto, non suscipiendi statum clericalem, vel episcopatum, 371; item exercendi actus honestos ordinis inferioris, 372, matrimonium contrahendi, 373, amplectendi ordinem religiosum minus rigidum, 374. Promissio votiva de bono non meliori culpabilis est, 375.

CAPUT II.

DE VI ET EFFECTU VOTI 238
ARTICULUS I. — De voti effectu intrinseco 238
§ I. — De vi obligatoria voti 239
Fide certum est voto obligationem induci, 378, si sit omni ex parte validum, 379 ; hæc obligatio est fidelitatis et alicujus justitiæ ad Deum, 380, et gravis est ex genere suo, 381.
I. De obligatione voti pure conditionalis 241
Votum conditionatum statim voventem obligat ad sincere exspectandam conditionis adimpletionem, 383-385 ; hac autem conditione sufficienter adimpleta, obligat ad præstandam rem voto promissam, 386.
II. De obligatione voti pœnalis 245

Obligatio voti pœnalis pendet ab obligatione actionis vel omissionis cui pœna adnexa est, 388 ; ab ea aliquando excusat ignorantia vel inadvertentia, 389-391.

§ II. — De personis voto obligatis 247

Nullus propria obligatione voti tenetur adimplere votum alterius, 392, nisi illud fecerit suum, 393. Verum aliquis votum alterius adimplere teneri potest ex fidelitate humana, vel ex justitia, vel ex obedientia, 394.

ARTICULUS II. — De extrinseco voti effectu 251

Effectus voti extrinsecus est, ut voventem constituat in statu religiosæ perfectionis, 396, et ut actus ipsi oppositos reddat irritos, 397; hæc vis irritandi actus competit votis solemnibus, 398, et, sicut ipsa solemnitas, oritur ex jure ecclesiastico, 399.

CAPUT III.

DE INTERPRETATIONE ET ADIMPLETIONE VOTI. 254

ARTICULUS I. — De interpretatione voti 254

Regulæ interpretationis generales, 401, 402; earum applicatio ad obligationis naturam, 403, materiæ extensionem, 404, qualitatem, 405, quantitatem, 406, individuationem, 407; ad conditiones appositas, 408 ; ad pœnam adjectam, 409.

ARTICULUS II. — De adimpletione voti. 261

Votum personale adimpleri debet per ipsum voventem, 410 ; votum autem reale partim per voventem, partim per alium adimpleri potest, 411. Quousque ad voti adimpletionem requiritur intentio satisfaciendi, voluntas obtinendi finem voti, actus bonitas, 412. Adimpletio voti est opus fidelitatis ad Deum et religionis, 413; voti violatio est peccatum perfidiæ ex genere suo mortale, 414.

CAPUT IV.

DE VOTI DEOBLIGATIONE 267

ARTICULUS I. — De deobligatione ob causas intrinsecas . . 267

§ I. — De cessatione finis voti. 267

Distinctio inter finem rei promissæ et finem actus vovendi, 417; si finis rei promissæ cesset, etiam cessat obligatio voti, 418-420; secus, si cesset tantum finis actus vovendi, 421.

§ II. — De mutatione materiæ voti. 269

Obligatio voti cessat, si ejus materia fiat inepta, 423, vel diversa moraliter ab ea quæ promissa fuit, 424; regulæ practicæ, 425; casu mutationis materiæ obligatio cessat totaliter vel ex parte, juxta naturam ejusdem mutationis, 426.

ARTICULUS II. — De deobligatione ob causas extrinsecas. . 273

§ I. — De voti irritatione 273

Irritatio est voti annullatio vel suspensio 428; directa est vel indirecta, 429.

I. De irritatione voti directa 274

Irritatio voti directa supponit dominium in voventis voluntatem, 430. Parentes, 432, filiorum impuberum vota, 433, quæcumque directe irritare possunt, valide, 434, etiam sine causa, 435. Prælati regulares directe irritare possunt religiosorum vota, 437, 438, quæ proprium statum non constituant, 439. Maritus non potest directe irritare vota uxoris, 440.

II. De irritatione voti indirecta 281

Irritatio indirecta supponit potestatem in res et actiones voventis, 441. Indirecte irritare valent : parentes vota filiorum puberum, 442, maritus vota uxoris, 443, prælati regulares vota subditorum etiam novitiorum, 444, domini vota servorum, 445, Pontifex vota fidelium, 446. Prædictæ potestatis extensio, 447; causa requisita ad irritandum indirecte, 448.

§ II. — De dispensatione voti 285

Potestas dispensandi in voto, seu remittendi nomine Dei debitum voto contractum, 449, competit Ecclesiæ, 450.

I. De votis in quibus dispensari potest. 286

Potestas dispensandi Ecclesiæ concessa est generalis, 451; hinc dispensabilis est promissio Deo facto in commodum tertii, 452-453, licet generatim dispensabilis non sit promissio facta tertio, 454; item promissio concomitanter sed seorsum facta Deo et homini per se dispensabilis est quoad obigationem erga Deum, quamvis dispensabilis non sit quoad obligationem erga hominem, 456; imo dispensabilis est promissio Deo facta, cui secundario conjuncta est promissio erga hominem, 457; at per se dispensabilis non est promissio Deo facta quam intrinsece afficit promissio facta homini, 458. Dispensari potest in votis solemnibus, 459.

II. De iis qui dispensare possunt in votis. 289

Facultas dispensandi in votis primario, principaliter et in supremo gradu perfectionis est penes Summum Pontificem, 462; pœnitentiarius, legati et episcopi jure ordinario dispensare possunt in votis, 463, quæ non sunt Summo Pontifici reservata, 464; nullum votum Summo Pontifici reservatum censetur nisi fuerit perfectum, 465, tum ex parte actus, 466, tum ex parte modi, 467, tum ex parte materiæ, 468; præterea sola voti substantia reservata est, 469. In votis reservatis episcopi quandoque dispensare possunt tum ex jure quasi ordinario fundato sive in benigna voluntate Pontificis sive in consuetudine, 470, 471, tum ex jure delegato, 472. Prælati regulares cum suis subditis dispensare possunt, 473, in omnibus votis quæ non sunt

Summo Pontifici reservata, 474. Facultatem delegatam dispensandi in votis habent confessarii approbati ordinum mendicantium, 475, 476.

III. De iis quibuscum dispensari potest in votis. 298

In votis dispensare possunt : Summus Pontifex cum omnibus Ecclesiæ membris, 478 ; episcopi cum suis diœcesanis, 479 ; prælati regulares cum suis subditis, 480.

IV. De causa requisita ad dispensandum in votis. 300

Ad valide dispensandum in votis requiritur causa justa et rationibilis, 483, quæ se tenet aliquando ex parte actus vovendi 485, aliquando ex parte exsecutionis voti, 486; sufficientia hujus causæ prudenti arbitrio definienda, 487.

§ III. — De commutatione voti 304

Commutatio est substitutio alicujus operis in locum operis promissi, 488 ; absoluta est vel conditionata, ibid. ; fit in æquale, in melius, vel in minus, ibid.

I. De iis qui vota commutare possunt 305

Commutatio in melius fieri potest auctoritate privata ; non autem commutatio in æquale vel in minus, 489. Commutare possunt vota illi qui in iis possunt dispensare, 490 ; et præterea confessarii jubilæi, 491, intra certos tamen limites, 492.

II. De votis quæ possunt commutari 306

Quoad vota circa quæ versatur, et personas in quarum favorem fit, commutatio regitur iisdem principiis ac dispensatio, 493-495.

III. De causa requisita ad commutandum 307

Commutatio in melius fieri potest sine causa, non autem commutatio in æquale vel in minus, 496, 497.

IV. De effectu commutationis. 307

Commutatio absoluta facta a prælato extinguit priorem obligationem, non autem commutatio facta conditionate, 498. Facta commutatione in minus vel in æquale et forte etiam in melius, licet redire ad priorem materiam, 499, 500. Qua ratione obligatio sit adimplenda, si commutatio indebite facta fuerit, 501, 502.

PARS III.

DE JURAMENTO 311

CAPUT I.

DE ESSENTIA JURAMENTI. 311

ARTICULUS I. — De actu jurandi 311

Juramentum proprie est invocatio testimonii divini, 505, 506 ; non autem mera locutio coram Deo aut affirmatio religiosa, 507 ; nec pœnæ pro mendacio infligendæ appre-

catio, 508; hæc invocatio potest esse vel tantum interna, 511, vel interna et externa simul, 512, vel fortasse etiam solum externa, 513; non potest esse mere materialis, 514.

Articulus II. — De eo per quem juratur 515

Proprie non juratur nisi per majorem, 515; major autem per quem juratur est solus Deus, 516. Divinum testimonium invocari potest dupliciter: explicite vel implicite, 517, 518. Invocatio testimonii Beatorum et Angelorum juramentum proprie non est, 519, et multo minus invocatio testimonii viatoris, 520.

Articulus III. — De persona quæ jurare possit. 521

Sola creatura rationalis jurare valet, 521; Deus jurare nequit, 522; jurare potuit Christus, 523; Angeli capaces sunt jurandi, 524, et omnes viatores, licet non omnes licite jurent, 525.

Articulus IV. — De re quæ jurari potest 523

§ I. — De materia juramenti assertorii. 524

Materia juramenti assertorii est affirmatio facti externi vel interni, 527; hæc affirmatio debet esse vera, 528-530, certa, 531-532, et honesta, 533. Ea jurari censetur assertio quæ verbis exprimitur, 534. Notio restrictionis mentalis, et amphibologiæ, 535. Non licet juramento firmare assertionem factam cum restrictione pure mentali, 537, 538, nec assertionem factam cum restrictione late mentali, 539, 540, nisi ex sufficienti causa, 541-543. Difficultates practicæ, 544, 545.

§ II. — De materia juramenti promissorii 535

Materia juramenti promissorii est actio vel omissio exsequenda a jurante, 546; per hoc juramentum Deus invocatur ut testis præsentis intentionis, 547, et ut testis seu potius fidejussor pro futura exsecutione, 548. Res jurata potest esse vel mere proposita vel promissa, 549; debet esse bona, 550-552, imo melior vel saltem utilis, 553, et possibilis, 554.

CAPUT II.

DE MORALITATE JURAMENTI. 557

Articulus I. — De moralitate juramenti in genere. . . . 557

§ I. — De liceitate juramenti ex lege naturali 557

Juramentum legi naturali conforme est, 557, licet non sit propter se appetendum, 558; hinc licite non emittitur nisi ex causa rationabili, 559, cujus tamen absentia grave peccatum non est, 560.

§ II. — De liceitate juramenti ex lege divina. 559

Juramentum in lege Mosaïca admissum, 561. In Evangelio sanctitas juramenti restituta est, 562, sed ejus usus

non est prohibitus, 563. Ab initio Ecclesiæ fideles multum deterriti sunt a male jurando, 564, nunquam tamen juramentum eis interdictum fuit, 565. Licet juramenti liceitas forte per quoddam tempus a nonnullis in dubium vocari potuerit, 566, a multo tempore extra controversiam posita est, 567, 568.

ARTICULUS II. — De moralitate juramenti in specie 346

Juramentum est actus latriæ, 570, 571. Omnia juramenta assertoria sunt ejusdem speciei moralis : alia tamen aliis graviora, 572; disputatur an juramentum promissorium specie differat ab assertorio, 573. Ecclesiæ est de juramento leges statuere, 574, juramentorum causas cognoscere, 575, juramenta perversa punire, 576.

CAPUT III.

DE VI ET EFFECTU JURAMENTI 351

Juramento assertorio fides dictis conciliatur, 577, 578; promissorio autem obligatio inducitur, et actus confirmantur, 579.

ARTICULUS I. — De effectu intrinseco juramenti promissorii . . 352

§ I. — De existentia, qualitate et quantitate obligationis ex juramento 352

Ex juramento promissorio oritur obligatio, 581, religionis, 582, probabilius ex toto genere gravis, 583. Comparatio obligationis ex juramento cum obligatione voti, 584.

§ II. — De conditionibus ad obligationem ex juramento requisitis. 355

Obligatio non oritur nisi ex juramento deliberate facto, 586. Ad existentiam obligationis non requiritur voluntas adimplendi juramentum, nec intentio sese obligandi, imo ei non obstat voluntas se non obligandi, 587. Obligatio juramenti non videtur pendere a sola voluntate jurandi eique soli commensurari; licet enim juramentum emissum cum restrictione late mentali non obliget nisi ad ea quæ intenta sunt et realiter expressa, tamen juramentum emissum cum restrictione pure mentali obligat ad ea quæ realiter expressa sunt, non vero solum ad ea quæ sunt intenta, 589. Probabilius obligat juramentum vi, metu aut dolo extortum, 590. Obligationem non inducit juramentum de re mala, 591, undecumque malitia oriatur, et qualiscumque ea sit, 592; nec juramentum de re prorsus indifferenti, 593. Non obligat juramentum de re exsequenda intuitu honoris divini, nisi hæc sit melior, 594, at juramentum de re exsequenda in favorem proximi obligat etiamsi hæc sit minus bona; dummodo sit utilis, 595, 596. Non obligat juramentum per falsos deos, 597.

§ III. — De interpretatione et adimpletione obligationis ex juramento 368

Sensus juramenti judicatur ex natura actus cui adjungitur,

598; obligatio juramenti est strictæ interpretationis, 599, et personalis, 600.

§ IV. — De cessatione obligationis ex juramento 370

In omni juramento promissorio subintelliguntur conditiones, quæ si deficiant, juramentum obligare desinit, 602; cessare autem potest obligatio juramenti ab intrinseco, 603, vel ab extrinseco, 604, 605.

I. De juramenti condonatione 372

Condonatione seu renuntiatione rei juratæ, 606, cessare potest obligatio juramenti, 607; condonare valet solus ille in cujus favorem res jurata cedit directe et primario, 608, 609; hic tamen ad condonandum aliquando legitime cogitur, 610.

II. De juramenti relaxatione 375

Relaxatio est remissio beneficii ex juramento, facta a superiore illius in cujus favorem cedit res jurata, 611; per eam tollitur obligatio juramenti, 612. Causa relaxandi est bonum commune, 613, crimen puniendum, 614, injustitia in contractu jurato, 615, iniquitas in ipso juramento, 616. Potestas relaxandi competit Ecclesiæ, et forte etiam principi temporali, 617.

III. De juramenti irritatione. 375

Duplex irritatio, directa et indirecta, 618. Juramenta probabiliter irritari nequeunt directe, 619; irritari possunt indirecte, 620; difficultas de juramentis minorum relate ad tutores, 621.

IV. De juramenti dispensatione 377

Dispensatio est actus jurisdictionis in jurantem, quo ipse ab exsecutione rei juratæ eximitur, 622. Dispensandi potestas Ecclesiæ competit, 623, relate ad omnia juramenta, 624. In juramentis dispensare possunt qui habent potestatem dispensandi in votis, non solum si hæc sit ordinaria, sed etiam si sit delegata, 625. Probabilius reservata sunt juramenta quæ versantur circa res, de quibus votum est reservatum, 626.

V. De juramenti commutatione 379

Commutatio est semiplena dispensatio vel semiplena relaxatio et condonatio, 627, 628.

ARTICULUS II. — De effectu extrinseco juramenti promissorii. 380

Effectus juramenti extrinsecus est confirmatio contractus, 629. Juramentum vario modo se habere potest ad contractum, 630; ipse vero contractus variæ firmitatis est, 631. Contractus intelligi potest juramento confirmari improprie vel proprie, æquivalenter vel formaliter, 632. Juramento non confirmatur proprie contractus jure naturæ invalidus; nec contractus jure positivo irritus in bonum commune aut in odium contrahentis, 633; an autem juramento proprie confirmentur contractus jure humano irriti in bonum contrahentis, controvertitur, 634; sententia affirmativa communior est, 635.

CAPUT IV.

DE QUIBUSDAM JURAMENTIS IN SPECIE. 386

ARTICULUS I. — De juramentis doctrinalibus 386

Juramentum doctrinale potest esse mere assertorium, 638, 639, sed frequentius est promissorium, 640; hujusmodi sunt juramenta retinendi ac propugnandi fidem catholicam, 641, tuendi immaculatam Virginis conceptionem, 642, adhærendi doctrinæ S. Thomæ, 643.

ARTICULUS II. — De juramentis politicis 391

Juramentum politicum pro objecto habet vel potestatis exercitium vel superioritatis recognitionem atque obedientiam et legum observantiam, 645; ut determinetur quousque sit licitum, sedulo distinguendum est inter subjectionem passivam erga superiorem et positivam ei adhæsionem, 647, inter passivam exsecutionem legum et earum exsecutionem activam, 648, inter leges ipsas et circumstantias pro quibus latæ sunt, 649, inter leges malas moraliter et leges imperfectas, ibid.; et præterea inspiciendum est undenam proveniat legum malitia, ibid. Juramentum politicum præstandum est in sensu exigentis, 650. Obligatio juramenti politici ex vario capite cessare potest, 651. Quæstiones de juramento politico non temere solvendæ, 652.

§ I. — De juramentis politicis ecclesiasticis 395

Juramenta ecclesiastica Summi Pontificis, 653, cardinalium, 654, episcoporum, 655, beneficiariorum, 656, missionariorum, 657, alumnorum collegiorum Pontificiorum, 658, regum et imperatorum, 659.

§ II. — De juramentis politicis civilibus 398

Juramenta civilia emittere possunt personæ etiam ecclesiasticæ, 660.

I. De juramentis anglicis 399

Juramentum primatus ab Henrico VIII, Elisabetha et Jacobo I impositum aperte iniquum, 662. Juramentum fidelitatis a Jacobo I impositum, 663, ab Ecclesia damnatum 664-666. Hæreticum juramentum testationis, 667. Nova juramenti formula anno 1788 a quibusdam catholicis proposita, 668, sed a superioribus ecclesiasticis rejecta, 669. Alia formula a gubernio acceptata, ab episcopis tolerata, non tamen admissa a S. Sede, 670. Formulæ tres a Summo Pontifice propositæ, 671.

II. De juramentis gallicis. 409

Primum juramentum civicum, 673. Juramentum fidelitatis civili constitutioni cleri a Pio VI proscriptum, 674. Juramentum æqualitatis et libertatis, 675. Declaratio submissionis et recognitio primatus populi, 676. Juramentum odii erga regimen monarchicum et anarchiam a Pio VI repro-

batum, 677-680. Juramentum non instaurandi monarchiam, 681, et promissio fidelitatis erga constitutionem, ibid. Juramentum subditis Summi Pontificis impositum a Napoleone, 682. Juramentum fidelitatis regi et constitutioni a Ludovico XVIII, 683, et a Ludovico Philippo impositum, 684.

III. De juramentis belgicis 417
Juratio Pacificationis Gandavensis, 686, 687. Illicitum juramentum Antverpiense, 688. Juramentum fidelitatis legi fundamentali, 690, prius reprobatum, 691, deinde vero post explicationes a Summo Pontifice requisitas, 692, et a gubernio datas, 693, permissum, 694. Juramentum fidelitatis constitutioni belgicæ, 695, 696.

IV. De juramentis germanicis 423
Juramentum præsulibus Hungariæ impositum a Josepho II, 697, controversiis obnoxium, 698. Juramentum vi concordati austriaci emissum, 700. Juramentum fidelitatis novæ constitutioni austriacæ nonnisi cum restrictione permissum, 701. Juramentum bavaricum explicatum, 702. Juramentum borussicum cum restrictione emittendum, 703; item argoviense et glarense, 704.

V. De juramentis hispanicis et italicis 427
Juramenta hispanica post declarationem a gubernio factam permissa, 705; item juramentum costaricense et guatemalense, 706. Juramentum italicum nonnisi cum restrictione emittendum, 707. Corollaria, 709-714.

ARTICULUS III. — De juramentis judiciariis 430
Promissorium juramentum judicum, 716, et juratorum, 717, eousque licitum quousque licita legum applicatio, 718. Assertorium juramentum partium, 719, calumniæ et malitiæ, 720, decisorium, 721, suppletorium, 722, in litem, 723. Juramentum promissorium testium, 724, 725.

PARS IV.

DE ADJURATIONE. 433

CAPUT I.

DE ESSENTIA ADJURATIONIS 433
Adjurare proprie est interponere auctoritatem sacram ad efficaciam præbendam postulationi vel jussioni, 727, 728, et Deum ipsum vel Sanctos quasi exhibere postulantes vel jubentes, 729. Adjurationis elementa, 730: omnis creatura rationalis per se capax est adjurandi, 731; omnis et sola natura intellectualis potest adjurari, 732. Adjuratio fit per Deum vel Sanctos, 733; est deprecativa vel imperativa, 734, 735.

CAPUT II.

DE MORALITATE ADJURATIONIS 436

Adjuratio est actus cultus latriæ vel duliæ, a cæteris distinctus, 736. Conditiones generales ut rite exerceatur, 737. Ad adjurationem dæmonum, seu exorcismum, requiritur specialis potestas, 738; hæc potestas a Christo Domino Ecclesiæ concredita est, 739, et apud fideles existere potest per modum charismatis, 740, vel per modum officii, 741; ad quod officium exercendum, præter ordinationem, nunc passim necessaria est licentia episcopi, 742, præterea servari debent formulæ probatæ, 745. Exorcismi fiunt vel seorsim vel in benedictionibus et sacramentis, 744, 745.

CAPUT III.

DE EFFICACIA ADJURATIONIS 440

Efficacia propria cujuscumque adjurationis, 746, 747, maxime exorcismi, 748; quomodo sit ex opere operato, 749, an infallibilis dici queat, 750.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.B682 C001 V001
TRACTATUS DE VIRTUTIBUS RELIGIONIS BRUG
3 0311 00044 1480

WITHDRAWN

48203

BX
1758
.B682 48203 Bouquillon, Thomas Joseph

AUTHOR

TRACTATUS DE VIRTUTE RELIG
-IONIS.

TITLE

~~240~~ ~~24,975~~ ~~B765I~~
~~v.1~~

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

BOUND BY
HNM

3 0311 00044 1480